12 pp
500 pp

L'Art Ancien
Lugano
155 sw. fr. 3 vols
April /28



JOSEPHI LANZONI,

FERRARIENSIS

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS IN PATRIA UNIVERSITATE LECTORIS PRIMARII,

S. R. I. Academiæ Cæsareo-Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum Socii &c.

OPERA OMNIA,

MEDICO-PHYSICA ET PHILOLOGICA

CUM EDITA HACTENUS, TUM INEDITA.

Accedit

VITA AUCTORIS HIERONYMO BARUFFALDO Ph. D. Ferrariensi, Scriptore.

CUM INDICIBUS RERUM CUIQUE VOLUMINI NECESSARIIS.

TOMUS SECUNDUS.



LAUSANNÆ,

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET & SOCIOR.

M. DCCXXXVIII.



INDEX CONSULTATIONUM.

LXXXVIII.

INDEX OBSERVATIONUM.

JOSEPHI

JOSEPHI LANZONI

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris Ferrarienſis, in Patria Univerſitate Lectoris Primarii, ac S. R. I. Academiæ Cæſareo-Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii, &c.

CONSULTATIONES MEDICINALES VIGINTI.

Poſt ADVERSARIA ejuſdem Auctoris antea editæ.



LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.

MDCCXXXVIII.

Recta Consilia Ægrotis damus.

Terentius in Andria Act. 2. Scen. 1.



CONSULTATIO I.

De Apoplexia.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

FRANC. MARIAM NIGRISOLIUM

Medicum Sapientissimum, &c.



EXTOR Ferrarienfis Annorum ætatis 49. habitûs carnofi, alioquin fani, Baccho indulgens fub finem Quadragefimalis Jejunii hujus anni 1713. in meridie, de repentè collapfus inftar mortui jacet fine voce, nec videns, nec audiens, quin etiam tactu, motuque privatur, cum ftertore quodam, pulfu adhuc integro, abfque febri; fuper cubile delatus, confilium, atque medicum petit auxilium.

Hæc affectio eft morbus ille graviffimus Apoplexia fortis dictus, qui primò caput obfidet, & protinùs, ac fubitò fenfu, & motu corpus univerfum privat, ut in præfenti Patiente apparet, figna enim diagnoftica per fe manifefta funt; Hujus affectionis caufa eft impedita irradiatio fpiritûs animalis ad organa fenfûs, & motûs, quod, fi obfervationibus anatomicis credendum, à ftagna-

tione ſanguinis evenit, quemadmodum innuit *Hippocrates* & poſt eum *VVepferus* ac *Dolæus*; impedito enim ſanguinis motu, ipſoque cruore coagulato in vaſculis cerebri, ſeu meningum, vel in jugularibus ipſis, influxus in animales ſpiritus tollitur, unde lumen animale deficit, ex quo immediatè Apoplexia habetur; Quoad prognoſim ſpectat, *Hippocrates* in caſu noſtro apertè ait, *Apoplexiam fortem ſolvere impoſſibile eſſe*, & cùm ſtertorem habeamus, nulla vitæ ſalus ſperari poteſt; At quia, monente *Celſo*, *melius eſt anceps experiri remedium*, *quàm nullum*; ideò ad indicationes curativas, ut rectam conſultationis methodum ſervemus, tranſeamus; Iſtæ igitur ſunt, primò reſtituere, quanto citiùs fieri poſſit, ſanguini motum, indè ſpiritibus animalibus; poſteà depurare, ac volatilizare cruorem ipſum; tandemque viſcera, & præſertim cerebrum ipſum corroborare: Pro quibus aſſequendis, cùm in caſu noſtro Diæta, ac Pharmacia fruſtraneæ ſint, æger enim nihil per os admittit, experto enim me præſente aquæ apoplecticæ brevi hauſtu, ipſe per os ingrediebatur, & unà exibat; Tota ergo ſpes ſalutis in Chirurgia eſt reponenda; Venæ ſectio in brachio, pede, ac jugulari inſtituatur partitis vicibus; Frictiones fortes, ligaturæ, cucurbitulæ ſcarificatæ, & avulſæ applicentur, nec non experiatur remedium à *Clariſſ. Dom. Miſtichello* præſcriptum, nempè ferrum ignitum plantis pedum appoſitum; clyſtere acri uti non incongruum puto; quod ſi iſtis non cedat aliquantiſper morbus remediis, ac ſaltem liquida æger inglutiat; tunc de vita actum eſt; ut in præſenti noſtro caſu accidit; nocte enim ſequenti vitam cum morte commutavit; & ſi in meridie lumine animali orbatus fuit, ſub media nocte, vitalis pariter flamma extincta; atque ſic illi

In æternam clauduntur lumina noctem.

CON-

CONSULTATIO II.

De Paralysi post Apoplexiam.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

ALOYSIUM A FABRA

Medicum Præstantissimum.

NOtissima est Affectio Rever. Sacerdotis Parochi nostri Ferrariensis Annorum ætatis 50. post enim validum Apoplexiæ insultum, diversarum partium corporis subsequuta est, & præsertim linguæ, ut neque verbum integrum articulare valeat, Paralysis. Hujus affectûs generationem descripsit *divinus Senex in* 4. *de rat. vict.*, cujus causa videtur esse vitium musculorum, & animalis spiritus; & quidem musculorum, cùm ipsorum fibræ ineptæ sint, & malè dispositæ ad sui extensionem, cùm sint flaccidæ, ac molles; vitio autem animalis spiritus, si impotens sit ad musculorum fibras distendendas, aut quia deficiat, aut quia impediatur ejus influxus in nerveas partes à materia crassa, & obstruente; Quoad prognosim, hæc paralysis curatu est difficilis, quia inveterata est, & quartum nunc videt annum, immò quia ab Apoplexia ortum habuit, timendum, ne iterùm in Apoplexiam degeneret; attamen quia ætas consistens est, aliquid boni sperandum, nam si in senectute esset Patiens, tunc incurabilis omninò esset, cùm tubuli partis affectæ sint duriores, & fibrillæ crassæ, ac densæ, & minus sint mobiles, unde obstructiones in iis genitæ non facilè tolluntur; Indicationes igitur curativæ in hoc casu sunt, restituere motum spiritui animali, tollere materiam illam crassam, ac obstruentem, tandemque firmare, ac corroborare fibras, aliasque partes nervosas; Pro quibus assequendis, ad tres Medicinæ Fontes deveniendum puto; nempè ad Chirurgiam, Pharmaciam, ac Diætam; & quoad primam, venæ sectionem commendo repetitam,

titam, ad hoc, ut communicato motu cruori, impedimenta facilius tollantur; frictiones, ac cucurbitulæ scarificatæ, etiàm in subsidium venire possunt; ex Pharmacia, expiatis primò communibus viis: & alvo sollicitata, potione nostra magistrali solutiva, vel pilulis de agarico, Cochiis, & aggregativis, & pro alterantibus ad plures dies utendo jure vituli, in quo bullierint *Cornu Cervi limatum*, *folia primulæ veris*, *Betonicæ*, & *Graminis*; indè ad specifica deveniendum; ut est sequens mixtura per cochlearia repetenda ad plures dies. ℞. Aquæ Cerasorum nigrorum, Salviæ, ana, ℥. ij., Epilepticæ Langii, ℥. *sem.*, Extracti castorei, ʒ. *sem.* Syrupi de stœchade, ℥. *sem.* misce. Præbeatur pulvis viperinus per mensem, superbibendo decoctum ex Ligno Quercino, Salsæ parillæ, Santali citrini, Radicibus Pœoniæ, & foliis Majoranæ, Salviæ, Betonicæ, mixtis, & in aqua Fontis paratum S. A. Quovis vesperè utatur conserva primulæ veris, Florum tunicæ, betonicæ, & liliorum convallium. Inungatur pars affecta, oleo vulpino, Castorei, & spiritu vini mixto, nec non vinacea calida apponantur suo tempore; Vitet frigus, ac aërem nocturnum, victus sit moderatus, & cibi condiantur aromatibus; cavendum à carne suilla, anatum, anserum, & pavonum, & à vino nimio, ac generoso; immò poterit vinum suum medicari foliis rorismarini, & sassafras. Cœna sit parcior prandio, & valdè ab eo distet; Somnum fugiat meridianum; Motum, atquè exercitium præsertim sereno cœlo commendo; alvus lubrica semper servetur, & hilari animo speret salutem à Deo, qui solus languores omnes sanat.

CON-

CONSULTATIO III.

De Vertigine.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

FRANCISCUM JUSTINUM

Medicum, Chirurgum, & Anatomicum Solertissimum.

CIvis noster Ferrariensis ætatis 40. annorum, aurium primò tinnitum sensit, cum modico capitis dolore, ac rubore oculorum, paulò post omnia verti in gyrum videbantur, nec rectà stare poterat, ità ut timeret, ne caderet; hæc affectio facta est frequens, & nunc visio tenebricosa est, & nisi baculo inhæreat ambulare nequit, ob timorem concidendi; Petit à Medicina auxilium, remedia, & salutem.

Vertigine affici hunc nostrum Civem certum est, signa enim tàm manifesta sunt, & aperta, ut cuilibet etiam non Medico appareant; Subjectum hujus affectionis communi Authorum consensu cerebrum statuitur, cum spiritibus animalibus, qui valdè perturbantur, ac inordinatè vagantur circa callosa corpora, & striata cerebri, nec non per poros omnes ipsius visceris principalis; sic causa conjuncta hujus affectus erit spirituum animalium turbatio à corpusculis heterogeneis, & ipsis spiritibus infestis, vel in sanguine, vel in aliis humoribus latentibus producta; particulæ enim vertiginosæ in internas partes cerebri insinuatæ spiritus fugant, atquè tenebricosos faciunt; undè inordinatè ad oculos propulsi, vertiginem pariunt in casu nostro.

Post causas, ad Prognosim est deveniendum, & primò si vertigo hæc diutiùs duraverit, apoplexiam, vel maniam, vel spasmodicos insultus prænunciat; undè colligo, hunc affectum non flocci pendendum esse, tanquàm morbi majoris prodromum; Interrogandus autem est Æger præsens, an viridis, aut purpureus color antè

antè oculos obverſetur, tunc enim amentiam, ac epilepſiam prænunciare, ſcribit *Clariſſ. Dolæus*; Si verò recens vertigo eſt periculo vacat; Aliquandò capitis dolor hujus affectionis ſolet eſſe remedium, cujus exemplum dat *Læl. à Fonte Conſ. 6.*

Indicationes curativæ ſunt, ſedare inordinatum ſpiritus animalis motum, corpuſcula vitioſa heterogenea eliminare, atquè cerebrum corroborare; Quarè primò innixi aphoriſm. *Hippocratis* ſect. 4.num. 17., „ ſi febrem, non habeat, & æger noſter abſtineat à cibo, & „ tenebricoſam vertiginem patiatur, & oris amaritudinem ſentiat, „ purgatione indigere ſignificat; ſic igitur alvo ſollicitata aliquo lenienti pharmaco v.g. Caſſia, Manna, Syrupo aureo, Conſerva florum Perſicorum, vel ſimilibus, dico ſanguinis miſſionem, tanquam ſingulare remedium, admittendam, & ſi de facili non cedat remediis Vertigo, tunc frictiones, Arteriotomia, Cucurbitulæ ſcarificatæ, Hirudines, & id genus remedia, è Chirurgo fonte derivata, uſurpanda ſunt; Ex Pharmacia verò nonnulla veniunt aſſumenda præſidia, ut Decoctum ligni Guaiaci, Viſci Quercini, Buxi, Radicis Pœoniæ, Foliorum Calendulæ, Betonicæ, procurato ſudore per hypocauſtum, & id per dies triginta; ſudor tamen ſufficiet per x. dies, habito reſpectu ad Ægri tolerantiam, & reſiſtentiam; omni autem octavo die decoctionis, ſumat Patiens Pilulas de Agarico ad ʒ. j. Immò, tincturam Succini parciùs, ſed ſæpè datam cum Syrupo florum pœoniæ meritò inter ſpecifica referri ait *VValdſchmidius in monit. med.*. Laudo etiam ſequentem Tincturam à *Præſtantiſſ. Dolæo* deſcriptam ℞ Florum Pœoniæ, Liliorum Convallium, ana, ℥. *ſem.* Roriſmarini, ʒ. iij., Salviæ, Betonicæ, Tiliæ, ana ʒ. ij., cum Spiritu cranii humani ſuo ſale imprægnati; Ultimo loco Conſerva florum Calendulæ quavis veſpere ad Cochleare unum commendarem, ſicut non ſemel uti ſequenti bolo bonum erit, ℞. Stercoris Pavonis albi in Sartagine leniter exſiccati, & pulveriſati, ʒ. *ſem.* cum conſerva betonicæ q. ſ. fiat bolus auratus. Hoc autem ſtercus effectum ſuum edit ob ſuum copioſum ſal volatile, quo ſcatet; Ad Diætam quod attinet, Cibus eligatur ſucci boni, & qui facilè digeratur, vitentur ergò omnia legumina, Suillæ carnes, & præſertim ſalitæ, Caſeus, Paſta, item vinum generoſum, quia hoc adauget ſangüinis, ſpirituſque effervеſcentiam, indèque

multas

multas particulas indomitas ad cerebrum mittit; Æger animi perturbationes fugiat cane pejus, & angue, quia istæ valdè sanitatem lædunt; Aër sit serenus, temperatus, ac lucidus, austrini cœli flatus fugiat, sicque sanitatem Deo adjuvante recuperabit; Faxit Deus, &c.

CONSULTATIO IV.

De Cephalalgia.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

FRANCISCUM SALMIUM

Medicum Præstantissimum.

MUlier 30. Annorum Vidua boni corporis habitus, cui mensium fluxio imminuta est, dolore capitis pungitivo per plures dies afficitur, cum inappetentia, & aliquandò cum cordis palpitatione; vix febre tentatur, ordinatè enim motus cruoris incedit, præter exiguam alterationem pulsûs; aliquandò pallet, & modò rubet, atque oculi inflammantur; Ob dolorem nequit è lecto surgere, consilium medicum poscit, & auxilium sperat.

Hic affectus Cephalalgia nuncupatur, & est dolorifica sensatio capitis à continui solutione dependens; Partes affectæ sunt partes nervosæ capitis, illæ enim sunt exquisito sensu præditæ, & quò magis acres particulæ sanguinis, & lymphæ in illis partibus latentes sunt acutiores, ac in majorem motum percitæ, eò dolor exsurgit validior, undè pungitivum sentit nostra Ægra dolorem; Causæ igitur istius affectionis, sunt acres particulæ cum humoribus per vasa ad caput derivatæ, & cerebri filamenta, meningesque vellicantes, atque pungentes, quæ fortassis acres particulæ ortum habuere ex imminuto catameniorum fluxu, non benè enim purgato menstrualiter sanguine, ut scateat particulis impurioribus est necesse, & maximè in Vidua juvene, cui fervet massa sanguinis.

Circa Prognosim, *Galenus* ait, quod ex se iste dolor lethalis non

est; nihilominùs tamen periculo non careret, si longus, ac diuturnus esset, altasque radices produceret, tunc enim in Apoplexiam, Epilepsiam, & cœcitatem transire posse docuit *Joh. Fortis in Consult.* monendo cum *Aretæo* capitis doloris finem mortiferum esse, exigui enim dolores non sunt spernendi; attamen quia in nostro casu, mulier sana est, & juvenis, ac dolor altas non egit radices, sperandum ope remediorum, citò salutem ipsam recuperare posse, ut voveo.

Indicationes ergo curativæ sunt, sanguinem à particulis illis acribus depurare, easque eliminare, caput corroborare, & cruorem ad inferiora loca invitare, atque per ea minuere, sicque catameniorum fluxum in perenni motu, ac debita mensura restituere.

Quibus, ut satisfiat, ad tria Medicinæ brachia recurrendum; & primò quoad Chirurgiam, præcipuè consideretur sanguinis missio, & ità sanguis erit educendus à vena pedis, *Hippocrates* enim suadet, *ut dolorem sedes, sanguinem de venis detrahito*; & si dolor non cedat, monente *VValdschmidio*, vena secetur in fronte, vel manu; & ego pluries observavi feliciter sectam fuisse venam jugularem, quin & Arteriotomiam in temporibus summæ efficaciæ esse putarem, quandò dolor pertinaciter hæreret, nec de facili cederet; Cucurbitulæ etiam scarificatæ spernendæ non sunt tanquam Venæ Sectionis vicariæ; hæc in quantum ad Chirurgiam in casu nostro; Quod attinet ad Pharmaciam; Expurgatis primò à saburris, & vitiosis fermentis primis viis vel Syrupo aureo solutivo, vel Potione nostra magistrali, ad sex unciarum pondus; Prò alterantibus utatur quavis mane jejuno stomacho jusculis, in quibus bullierint folia *Betonicæ*, *Cichorei*, *Endiviæ*, *Oxalidis*. Ab opiatis abstinendum; hæc enim, teste *VValdschmidio*, palliativè curant, idque non sine periculo gravioris recidivæ, vel affectus lethargici; Pro magno remedio in tali casu, & in mea potissimùm dilectissima Uxore expertus fui, *decoctum ligni Visci Quercini* per plures hebdomadas jejuno stomacho assumptum; Nonnulli usum frequentem *Pilularum de Aloe*, atque *de Agarico* laudant; Pro externis remediis, Primò sint lintea sequenti liquore madefacta, & fronti ad dolorem cicurandum apposita; ℞. Aquæ Verbenæ, Betonicæ, Rosarum, ℥. iij., vel unguento populeonis, & alabastrino inungatur frons; Verbenam collo suspensam com-

commendat *Petr. Forestus*; Lotio pedum sæpè juvat, quatenùs fibrillæ nerveæ blando popysmate demulcentur; quod etiàm laudat *Dolæus*; Quoad Diætam demùm, cibi sint optimi succi, & facilis concoctionis; Potus sit vinum tenue, immò si à vino omninò abstineret melius esset, nam vinum capiti nocere ait in suis *monitis Medic. VValdschmidius*; Exercitium sit moderatum, somnus, & vigilia sint mediocria, Animi pathemata fugiat, utpotè quæ spiritus, & humores agitant, sicque dolori capitis calcar adderent, & effervescentias sanguinis excitando nimias, arterias extendendo, cephalalgiam augerent. Cæterà quæ pertinent ad varias conservas, aliaque medicamina à Practicis, tam antiquis, quàm recentibus præscripta, silentio præterire volui, tùm quia præscriptis super remediis salutem recuperaturam spero, tùm etiam cùm illa in dies à prudenti Medico præsenti perfici debeant.

CONSULTATIO V.

De Tussi contumaci.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

PETRUM DOMIN. VOLTOLINAM

Medicum Doctissimum.

CAsus proponitur ab Excellentissimo D. Medico ad Curam Nobilissimi Juvenis, qui immodicè delectatus potionibus gelidis ex succo limoniorum, & modico sacchari paratis, diebus canicularibus incidit in tussim molestam, adeò ut noctu dormire nequeat, & tàm pertinacem, ut usque adeò elapsi sint tres menses, & multis tentatis ex Arte remediis, nondùm convaluit; quare opem, & auxilium à Deo primò, indè à Medicina implorat.

Affectus igitur, quo noster hic Æger laborat absque dubiò est Tussis molesta, & contumacissima, quæ definiri potest, valida crebrior, inæqualis, & sonora efflatio, vel expiratio, qua magn

spirituum pars cum impetu foras erumpens vi sua explodere nititur acria excrementa, ex lympha peccante orta, trachæam, ipsasque pulmonares fibrillas lacessentia, & vellicantia: Pars affecta est primò Pulmo, qui vel per se, vel per consensum alterius partis afficitur; posteà fibræ bronchiorum, musculorumque pectoris, ac alii nervi lacessiti mediantibus spiritibus tussim excitant, nec excludenda venit trachæa fibris suis quoquè instructa; Signa Diagnostica jam per se nota sunt, unde per adagium dicitur, tussim, & amorem dissimulari, & abscondi non posse; Nunc igitur pergamus ad causas, quæ in casu nostro, sunt particulæ in sanguine cuspidatæ, acutæ, & ferientes, quæ per cruoris circulum ad partes supradictas pectoris derivatæ, illas vellicant, atque molestè pungunt, & sic motum præternaturalem excitant, qui formaliter tussis dicitur; tales autem irritantes particulæ ortum habuere à nimio succi limoniorum usu, & à valido frigore, quo imbutæ fuerunt Potiones inordinatò desumptæ; *Frigidum enim pectori inimicum esse* docuit maximus Medicorum magister *Hippocrates*.

Quoad Prognosim observandum, in nostro casu, tussim non esse affectum spernendum, qui diu durat, & contumax est, ut advertit doctissim. *Franc. de le Boë Sylvius*; immò addit Clariss. *Ettmullerus*, timendum ne sit Phthiseos prodromus; Capiti, & oculis tussim molestam nocere volunt multi, ideoque citò ad hujus affectionis est deveniendum curationem, ne æger in pejorem incidat morbum.

Curativæ igitur indicationes erunt in casu nostro tollere irritamenta, dulcificando cruoris acredines, retundendo, & hebetando cuspides ferientes nerveas partes illarum particularum, quæ propriè causant tussim; demùm, eas è corpore eliminare, atque pectoris partes corroborare; Ad quæ assequenda, ad tria Medicinæ brachia deveniendum, & primò ad Pharmaciam; ex qua expiatis primò communiter primis viis, & pro præparantibus exhibitis ad plures dies *Syrupo de Hyssopo*, *de Prassio*, & *Jujubino*; ad usum Lactis asinini per longum tempus est deveniendum; Indè *pulverem Haly* commendarem, *oculos Cancrorum*, *Conservam rosarum recentem*; *Mixtura Pectoralis* non exigui est usus, sicuti *Ferculum Saxoniæ*, *Syrupus de Erysimo Lobelii*, & *liquiritiæ succus*; *Balsamum Sulphuris* com-

commendatur à *Rob. Boyleo in tract. Philos. experim.*, & *decoctum Raparum* à *Joanne Cratone in Epist. Medic.*, & si lubricare alvum oporteat, usum Clysterum, ex lacte vaccino chalybeato, aut ex oleo amygdalarum dulcium, confectorum laudo, fretus autoritate Celebris *Malpighii in consl.* 32., quas Consultationes recenter collegit, atque Typis Patavinis publici juris fecit Clarissimus, atque omni laude dignns *D. Hieronymus Gaspari*. Opiata rarius esse adhibenda monet *Ettmullerus*, cum *VValdschmidio*, qui sudores conducere scribit; Usum *spermatis ceti*, & *myrrhæ* approbo; linimenta verò tanquàm parùm utilia, vetulis credulis linquo, quæ in tussi non tantùm pectus, verùm etiam plantas pedum inungunt; Ex Chirurgia suscipienda est Venæ sectio, quæ licèt à Practicis tantoperè non commendetur, magnæ tamen solet esse efficaciæ, ut in *monit. suis* ait *VValdschmidius*; Hìc autem obiter noto, similem casum observasse temporibus suis Amstelodamensium Medicorum lumen *Nicolaum Tulpium lib.* 4. *observ. medic. num.* 21., qui tamen casu solo Raparum Decocto fuit curatus. Diæta denique sit blanda, ita ut suavibus particulis demulceat partes membranosas, & fibrosas, ideoque fugiat Ægrotus noster à cibis acribus, salsis, aromaticis, aliisque alimentis serum fluxile, & acutum reddentibus; Potus sit ptisana Veterum, vel decoctum hordei cum passulis, Vinum fugiat maximè generosum, ob particulas acidas, quas in se habet; Motus, & quies mediocriter se habeant; motus enim nimius humores agitando laticem acriorem reddit; Aër impurus, & frigidus nocturnus, cane pejus, & angue vitetur; Læto sit animo; dùm hæc pauca ego indico pro salute nostri Juvenis tussi pertinacissima ægrotantis; Faxit Deus &c.

CONSULTATIO VI.

De Asthmate.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM HIERONYMUM BARUFFALDUM

Philosophum Eruditissimum.

PRoponitur mihi curandus Rev. Sacerdos ætatis annorum 60. habitûs carnosi, qui quatuor ab hinc annis correptus est quadam spirandi difficultate, præsertim in ascensu scalarum; modò magis invaluit hic affectus, adeò ut fermè continuus sit factus, & nocte decubitus sit difficilis; Anhelosus igitur, & suspiriosus difficillimè trahit spiritum, adeò ut ob pectoris angustiam, suffocationem timeat; & hæc ex historia dictæ affectionis desumpta fuere ab Excellentiss. Viro Curante eleganter exarata, atque ad me transmissa.

Ex qua colligo Reverend. Sacerdotem Asthmate premi, & non incipiente, sed inveterato, & ad quatuor annos protracto; Hic affectus à multis caducus pulmonum nuncupatur, & est difficilis respiratio ferè semper absque febri, cum sonitu, & strepitu à cellularum pulmonis, & bronchiorum obstructione originem trahens; undè pars affecta sunt bronchia, seu asperæ arteriæ propagines, non exclusis vesiculis, & vasis sanguifluis materiam vitioso-viscidam afferentibus; Causa est materia crassa, & glutinosa, ductus, & pulmonis vesiculas obstruens; & hoc dignoscitur, ex eo quod à Famulo Ægrotantis intelligo, per tussim enim sæpè ipse Rev. Sacerdos crassam materiam excernit, & quò magis illa excernitur, tantò magis affectus imminuitur; quia verò materia vitiosa, & viscida ab humoribus circulantibus assiduè ad pulmonem defertur, atquè ibi deponitur, hinc est, quod licet æger à materia stagnante exonetamen Asthma continuum humorosum perseverat; Prognosim

sim quod concernit, advertendum, quòd, cùm vita, & respiratio pari passu ambulent, iste affectus asthmaticus, sit valdè periculosus, & maximè quia contumax est, & quatuor annorum soboles; ex quo dubitari potest, insignem pulmonis læsionem inductam esse; Quia verò expectoratio, & excreatio cum aliquo levamine succedit, ideò spes erit paroxysmorum ferociam mitigari posse; Timendum autem, ne sub morbi hujus contumacia Rever. noster Patiens, vel cachecticus, vel hydropicus fiat, quod tamen Deus avertat; Indicationes itàque medicæ in nostro casu erunt depurandi sanguinem à materia viscida, ac glutinosa, eamque, vel per diuresim, vel per diaphoresim educendo, & partes affectas corroborando; Pro quibus assequendis ad Medicinæ practicæ ordinarios fontes vertendum est; & primò quoad Diætam spectat, quia victus ratio constat ex rebus nonnaturalibus; ideò primò aër sit moderatus, serenus, siccus, non tamen æstuans, è contrà frigus vitetur, ex hoc enim humores faciliter conspissantur; Cibus sit attenuans, ne materia crassescat, isque condiatur herbis aromaticis, pectoralibus, *hyssopo* scilicet, *fœniculo*, *Salvia*, &c. Abstineat à Caseo, carne suilla, à leguminibus, omnibusque illis, quæ crassum, lentumque succum generant; Vinum sit tenue, ac variis herbis pectoralibus medicatum; Somnus sit moderatus, nec sit diurnus; Alvus quotidiè servetur lubrica, & sicuti ira, & mœror lædere possunt, ità Gaudium conducit; A pharmaceutico fonte duo remediorum genera desumi possunt, unum in paroxysmo, alterum extrà paroxysmum; quoad primum *Syrupum de Tabaco* & *de Erysimo* commendo, una cum *balsamo Sulphuris*, & *spermate ceti*; ad secundum verò primò oportet blandè alvum sollicitare modico *Cassiæ* cum *pulvere Cremoris tartari*, vel *oleo recenti amygdalarum dulcium*, indè exhiberem ad plures dies *Serum Caprinum* depuratum, posteà *lac asininum* cum saccharo fino, more consueto per xx. saltem dies; Commendabilis etiam est usus *Syrupi de Helenio Horatii Augenii*, cujus formulam habet *Dolæus in Encyclopedia med. pract.*, sicuti pilularum sequentium, id est; ℞. Pulveris Millepedum præparatorum, ʒ. ij., Florum benzoini, Salis succini, ana, ℈ ij., Extracti Helenij, Castorei, ana, ℈. *sem.*, croci ℈. j., Therebinthinæ, q. s. misce, fiant S. A. pilulæ parvæ quarum assumat Æger quatuor omni vespere; *Gummi Ammoniacum* tanquam

egre-

egregium expectorans, ac incidens commendatur ab *Ettmullero*; *Flores sulphuris* extrà paroxysmum pro pulmonum conservatione, atque si læsi fuerint, restitutione feliciter usurpari possunt, nempè ℞. Florum sulphuris, Sacchari ana, q. s., notandum tamen, ne nimis abutatur Æger noster saccharo, & saccharatis, propter facilem effervescentiam, ob quam multi exasperantur morbi, & præcipuè pectoris, viscidiora reddendo excrementa, & putrilaginem, & corruptelam pulmonis magis intendendo; Usum *pulveris Viperini*, etiam laudavit *Joh. Fortis in suis Consult.*

Deveniendum tandem ad Chirurgiam; ex qua si Paroxysmus sit talis, ut metum incutiat suffocationis, tunc statim vena secetur, ut sic circulatio in pulmonibus paulùm impedita promoveatur; cæterum posteà Venæ sectio per se in Asthmatis curatione methodica nullum locum habet; Quibus ritè, & ex præscripto modo observatis per divinam benedictionem salus perfecta erit speranda, quod faxit Deus &c.

CONSULTATIO VII.

De Melancholia Hypochondriaca.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM ANTONIUM FRAN. BOTTICINUM

Medicum Præstantissimum.

MEdicos in decernenda ægritudinis Honesti Civis nostri Ferrariensis sede, discrepantes habuisse sententias mirari non oportet, quia, *Hippocrate* teste, in morbis internis si Medici decipiantur, sunt excusandi, quemadmodùm posteà nculpandi sunt, ait *Mercurialis*, si in externis, & sensibus ipsis subjectis morbis, hallucinentur; Nos tamen sensum nostrum super hoc casu breviter exponemus.

Honestus Vir annorum ætatis 47. variis obstructionibus, & præcipuè Lienis, affectus, post cibi assumptionem, anxietates in præcordiis sentit; profundis, ac assiduis cogitationibus deti-

detinetur, ità ut ad interrogationes aliquandò non reſpondeat; hypochondriorum adſunt tenſiones, ac tandem imaginatur multos habere morbos, quos realiter non habet; Ex quibus colligitur præſentem Ægrum melancholia hypochondriaca affectum eſſe; hoc eſt Delirio ſinè febre; Hujus morbi generatio obſcuriſſima eſt, quoniam Natura in cerebro phantaſiæ actus exercet, & aliorum ſenſuum interiorum modo adhuc ignoto, & difficili explicatu; ut ingenuè fatetur *Clariſſ. Malpighius in ſuis Conſil. à præſtantiſſ. D. Gaſpari evulgatis pag. mihi 45.* Nonnulli putant Stomachum affici, alii Meſenterium, Pancreas, & Lienem accuſant; certum tamen eſt, ex ſectione Cadaverum hypochondriaca affectione denatorum, modò obſervata fuiſſe vitia in Ventriculo, modò in Meſenterio, nunc in Omento, nunc in Liene, modò in aliis viſceribus; Ego pro ſede iſtius morbi agnoſco, globoſam partem cerebri, in qua functiones non ritè peraguntur; utpotè quia cerebro ſubminiſtratur ſanguis infectus, ex eo quod ratione obſtructionum, nec ſufficienter filtrari, nec fermentari poteſt, undè acidior factus, vitiatur ſuccus nerveus, qui à corticalibus glandulis perpetuò ſeparatur, & acidis ſalibus imbutus, non omnimoda pollet volatilitate, undè mens angitur, & ſpecie timoris torquetur; Hypochondriorum adſunt in noſtro caſu tenſiones, quia ſegniùs cruor movetur per vaſa infimi ventris, undè retardato motu extenduntur membranæ, & in nimia illa extenſione, particulæ illæ, quæ debent egredi per inſenſibilem tranſpirationem retinentur in muſculorum poris, abdominis, & inteſtinorum, unde flatus excitantur. Quoad Prognoſim, dico hunc affectum chronicum eſſe, & curatu difficillimum, & meritò dici Medicorum flagellum, ac opprobrium, cùm plura, immò & generoſa eludat remedia; interdùm iſte affectus in maniam tranſit; Indicationes ſunt depurare humores à ſalibus acidis, tollere vitium in Cerebro, obſtructiones in Liene, Meſenterio, &c., tandemque viſcera ipſa corroborare; quæ ut peragantur primò ad Pharmaciam deveniendum eſt, & alvus eſt lubricanda lenienti remedio; cavendum tamen à catharticis, nam hæc majorem excitabunt confluxum ad partes affectas, & quia noſter Hypochondriacus eſt Flatulentus, ideò admodum conducere poſſe enemata puto; Uſum *ſuccorum depuratorum fumariæ, borraginis,* & *Cichorei,* per plures dies laudo, qui-

bus succi addi potest *tinctura chalybis*; Deinde bonum erit uti *sero caprino* cum *stibio diaphoretico*; quin & *lactis asinini* usum præscribit *Clariss.* Malpighius; *Pulverem oculorum Cancri præparatorum*, & *rasura eboris* egregii sunt usus. *Rotulas Diarrhodon Abbatis* non improbarem, & *essentiam Croci*, teste Clariss. *Zannichello*. Ex Chirurgia sanguis mittatur per hæmorhoidales venas ope hirudinum, atque nihil aliud ab hac Medicinæ parte sumatur, quia sperandum est, teste *Clariss. Joh. Forti*, talem morbum medicamentis sine ferro, & igne magna parte cessurum; Interim victus ratio non sit rigida, sed moderata; Vinum alteretur infuso *Chalybe*, *croco* cibus condiatur; Potus *Caffé*, & *Thee* utilis erit; Abstinendum à carne suilla, leporis, avium aquaticarum, ac cibis ex pasta paratis, à Leguminibus præter Hordeum, & Oryzam; Somnus maximè nocturnus valdè proderit; sicut exercitium moderatum ante cibum; Animi passiones, tanquam saluti oppositæ, juxtà *Clariss. Terenzonum de Valet. tuenda exercit. 8.* vitandæ, & gaudio, atque hilaritati studendum; spiritus enim tristis exsiccat ossa; Pauca autem hæc dicebam pro confirmatione eorum, quæ à Doctissimis Viris proposita fuere, quorum judicio libens me subjicio; Faxit Deus, &c.

CONSULTATIO VIII.

De Sputo Sanguinis, &c.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM JO. DOMINIC. BENETTUM

Medicum Præstantissimum.

QUi historiam medicam, super qua consilium meum, etsi parvi pendendum, mihi tulit, Sacerdos quidam venerabilis fuit, ex illustri Jesuitarum Collegio satis eruditus, & summa bonitate præditus, quales solent esse omnes alii illius Illustrissimæ Religionis, à me perpetuò venerandæ, atque vero amore jugiter prosequendæ. Historia Affectionis talis est.

Civis cujusdam Nobilis Filius annorum ætatis 21. post nimiam incalescentiam, atque violentum exercitium in venatione incidit in sputum sanguinis spumosi cum tussi, præcedente titillatione, & pruritu in aspera arteria, & præsertim in ejus principio; variis tentatis remediis convaluisse videbatur, sed falsò, tres enim post menses iterùm tussis invaluit, & Hæmoptoe recruduit; ità ut cum quadam violentia ultimo loco sanguinem vividum, floridum, ac spumosum ad pondus ferè unius libræ excreverit; ità quod vomere videretur; nunc remedia quærit non tantùm pro præsenti curatione, quàm pro præservatione; super quam historiam Juvenis præsentis Hæmoptoici sic consulo.

Graviores inter pectoris affectionis sanè, & omnibus annuentibus Practicis, est sputum sanguinis; potest verò hic tripliciter à pulmone exire, per anastomosim videlicet, id est per osculi vasis aperitionem; vel per diapedesim, nempè per transsudationem, vel per Diæresim, hoc est per rupturam vasorum, quam ultimam timeo accidisse in nostro casu; qui est rejectio cruoris per os cum tussi, sine inflammatione, à vasorum pulmonalium ruptura ortum habens; Pars affecta propriè est Pulmo, ejusque vasa, membranæ, & vesiculæ; Causa est sanguinis acrimonia, undè particulæ acres suis cuspidibus feriunt, ac erodunt partes supradictas, atque continuum solvendo, sputum Sanguinis excitant; Consultationis methodus nunc postulat, ut ad Prognostica calamum vertam, & quid de Ægri nostri salute sperandum sit candidè fatear; idcircò primò cum *Hippocrate* dico, quamcunque sanguinis supernam ejectionem malam esse, à disrupto enim pulmone suppuratio, & tabes timendæ sunt; à sanguinis enim sputo puris sputum, à puris sputo Phthisis, sunt verba magni nostri Præceptoris; quia verò in juvene præsens affectio est divite, atque præcepta medica summa obedientia recipiente; sperandum, ut assumptis ab Arte præscriptis remediis salutem recuperet, ut ex corde voveo; Indicationes ergò curativæ sunt dulcificare massam cruoris, & aperturam pulmonis claudere, atque consolidare; Quibus ut satisfaciamus; ad tria medicinæ lumina vertendum, nempè ad Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam; & quoad primam; injecto prius clystere, vena cubiti dextri aperiatur, & si

cruor in magna copia, & quantitate exiret, venam etiam pedis erit secanda, Ex Pharmacia sumatur *succus Urticæ*, cum *pilulis ad Hæmoptoëm D. Helvetii*, quibus sæpe feliciter utor in Praxi facienda hic Ferrariæ pro sanguinis quibuscumque effusionibus; Decoctiones insuper conducunt *Plantaginis*, *Malvæ*, *Cichorei*, *Borraginis*, cum pulvere oculorum Cancri præparatorum ad plures dies; postea ad usum lactis asinini cum saccharo more solito confugiendum est, & hoc per 40. dies; vespere autem utatur *conserva Rosarum*, ex cujus frequenti usu aliquos etiam Phthisicos sanatos esse nonnulli Authores perhibent; Tempore vero, quo lac assumet, abstineat à vino, & ejus loco potet aquam hordei, & *emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum*, & loco cœnæ sumat ptisanam hordeaceam; *Esus testudinum*, *ranarum*, atque *cancrorum fluviatilium* utilis erit, Carnes sint elixæ, & facilis coctionis; abstinendo ab acidis, salsis, ac austeris tanquam à cane, & ab angue; & hæc sunt quæ à Diæta præscribi possunt; Somnus, & Vigiliæ non excedant limites mediocritatis, & ab ira, aliisque animi vehementioribus affectibus, abstineat Æger, ut optatam recuperet salutem. Faxit Deus, &c.

CONSULTATIO IX.

De Pleuritude.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

NICOLAUM BELLAJAM

Medicum Præstantissimum.

HOnestus Mercator annorum ætatis 40. Mense Februario, aëre inclementiore, & frigidiore existente, per diem personatus incedit, atque Bacchanalia celebrat, domum reversus defatigatus assumit haustum magnum vini generosi, ad sitim, qua torquebatur, tollendam, & ut dicebat, ad vires reficiendas; Hinc paucis elapsis horis, horror totum ejus corpus invadit, cubile pe-

petit, obdormit spatio duarum horarum, expergefactus sentit dolorem, sed obscurum sub mamma dextra, inde corripitur febre, cum dolore, & rigore, dolor augetur cum tussi sicca, & cum spirandi difficultate, pulsus est durus, & frequens, urina turbata, tandem expuit sanguinem in modica tamen quantitate; Auxilium petit ab Arte nostra.

Ex signis in historia enarratis, colligitur nostrum Ægrum vexari Pleuritide, cujus pars affecta est pleura membrana scilicet, quæ costas internè vestit; unà cum dextra pulmonis parte; certum enim est in quavis pleuritide pulmonis partem inflammari, sicuti in Peripneumonia ambo latera pulmonis inflammatione corripiuntur, & hoc *Hippocrates* docet *de loc. in homin.*, sicuti *Erophilus*, *Bonetus*, *Dolæus*, *Celsus*, *Platerus*, & alii tam antiqui, quàm recentes Medicinæ Magistri; cùm enim substantia pulmonum sit valdè apta ad inflammationem, quia mollis, spongiosa, rara, & porosa, hinc est quod facilè obstrui potest indequè erysipelatosæ inflammationes oriuntur; quæ originem habent à sanguine crasso, & lentescente vitio aciditatis contractæ, à qua coagulatio dependet; & cum fixatæ in pleura particulæ acres evadant, ideò dolor insurgit pungitivus; particularum enim acrium cuspides feriendo pleuram sensu exquisito præditam, solutionem continui inducunt, undè acutus dolor invadit; causæ verò remotiores sunt in nostro casu, insensibilis transpiratio impedita, exercitia vehementiora in solemniis Bacchanalium habita, quatenus ista fermentant magis cruorem, undè hic impetuosior redditus per arterias, & venas fertur, indèque faciliùs extra vasa effluere potest; imprimis si subitò in suo motu impediatur, & in pleura, & pulmone sistatur, tunc enim vasa nimium distenduntur, atquè indè faciliter rumpuntur; ex acredine verò illarum particularum irritante, tussis sicca primò oritur; Visis causis, nunc ad Prognosim veniemus; Pleuritis igitur cùm sit morbus acutus semper est timenda; morborum enim acutorum, juxtà *Hippocratem*, incertæ sunt prænunciationes Salutis, aut Mortis; Si pulsus sit parvus, & creber atque serratus nunquam periculo carere ægrum, ait *Jungken in sua Praxi*; si sputum appareat ante quartam, & sit album, leve, & æquale, septima die terminabitur morbus; Urina

est inspicienda, & si sit mala cum sedimento copioso, sputis tamen bonis, rem salvam esse docuit *VValdschmidius*, cum citato *Jungkenio in sua Praxi.* Indicationes curativæ erunt, coagulationem in parte particulari auferre, sanguinem ab aciditate coagulante liberare, dolorem lenire, atque vires conservare; Quibus ut satisfiat; ad Chirurgiam primò recurrendum, & ab ista primò præmisso Clystere, sanguinem mittere è vena brachii dextri opus erit, ipsamque operationem repetere tanquàm necessariam, & summè proficuam, ut monet *Clariss. Barthol. Corte pro Venæ Sectione*; Ex pharmacia desumantur *pulveres dentis apri præparati, sanguinis hirci præparati, mandibulæ Lucii piscis, oculorum Cancri præparatorum* cum *aqua Papaveris erratici, Graminis, Endiviæ, & Hordæi*; Utiles erunt medicinæ diureticæ, & sudorifica mitiora omnem absolvere paginam inquit *VValdschmidius in Monit. medic.* diaphoresim enim juvare ait *Clariss. Pascolus in observ. medic.*; sicuti Opiatis, ceu infidis remediis hìc non admodum fido. Electuarium pectorale, *Syrupum de Ibisco, de hyssopo, Jujubinum* commendarem; externè *Oleum nostrum de cucurbita* antipleuriticum semper adhibeo non sinè juvamento; Purgare autem in tali casu esset eum magno exponere vitæ periculo; Quoad Diætam verò, notandum eam tenuem esse debere; Vinum omnino vitetur, & huc facit illud observatum *Brasavoli incliti Medici nostri Ferrariensis comm. in lib.* I. *Hipocratis de rat. vict. in acut.* præsentissimum esse venenum in laterali morbo, vinum præsertim in principio. Pro potu igitur sit *decoctum Hordei*, & *aqua pectoralis* nostra; & hìc pariter advertendum nihil nocentius in Pleuritide esse, & quod malum magis exasperare soleat, quàm potus frigidus; tepida ergò debet esse potio; Si adsint vigiliæ urgentes, emulsiones papaveraceæ non erunt absque effectu; Quoad excreta, & retenta melius est alvum suppressam habere, quàm laxam, cum ex *Hippocratis* sententia purgantia noceant, quod etiam docuit Clariss. *Dolæus.* Sed jam tempus est, ut vela contraham, & de hac Pleuritide satis, superque; Deum itaque O. M. deprecor, ut salutem optatam Mercatori nostro restituat.

CON-

CONSULTATIO X.

De Cordis palpitatione frequenti.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM JACOBUM CICOGNINUM

Medicum Præstantissimum.

EXactissima, & Eruditissima morbi nobilissimæ Matronæ à Te (Vir Excellentissime) ad nos missa historia, demonstrat nostram Ægram vexari cordis palpitatione; Hæc enim, ut colligo, est nobilis mulier vidua annorum 39. quæ post vehementes animi passiones, post Mariti mortem, sæpius immani, ac frequenti palpitatione cordis corripitur, summa cum anxietate, & animi deliquio; deficit autem in mensium fluxu; nunc scire desiderat à me, quæ hujus morbi sit causa, & quomodò sanari possit; circa quod breviter respondeo, istam nobilissimam Viduam affici cordis palpitatione, quæ definitur à Doctoribus inordinatus, ac convulsivus cordis motus, sive concussio, cujus causa est quidquid musculos cordis, aut nervos moventes irritare potest; & in nostro casu hæc irritatio fit à particulis salino-acribus in sanguine existentibus, quæ per arterias coronarias deponuntur in parenchyma Cordis; per intervalla verò malum urget, quia sanguis non semper eodem modo dispositus existit; vitium autem sanguinis hoc dependet à catameniorum defectu; Quoad Prognosim attinet; pro affectione periculosa palpitationem cordis agnoscit *VValdschmidius*, quia dicit ille, æger suffocatione facile extingui potest; Quia verò levior est, & à mensium defectu eam oriri putamus, ideò major salutis spes effulget; Palpitatio verò frequens, & magna mortalis est, suadente *Illustriss. D. Lancisio de subit. mortib.*; Indicationes considerandæ nunc sunt, ad hoc, ut curationem istius affectus assequamur, istæ verò sunt, meo videri, Sanguinem à particulis acribus liberare, menstrualem purgationem stimulare, obstructiones leves in vasis uteri tol-

lere,

lere, & partes affectas corroborare. Quibus, ut satisfaciamus, in primis laudo omnia remedia ab Excellent. D. Medico Curante adhibita; indè, ut salutem optatam acquiramus, ad Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam, tanquam ad remediorum fontes devenio, & primò quoad Chirurgiam; in ipso Paroxysmo venam secare licet, sed vide ne excedas in quanto, ut monet *VValdschmidius*; extra paroxysmum etiam juvabit, quatenùs à vena pedis eductus mensium fluxum promovet, à Chirurgia verò nullum aliud præsidium capere posse ægram nostram cogito; Ex Pharmacia in Paroxysmo exhiberi poterit sequens remedium. ℞. Aquæ Epilepticæ Langii, hystericæ Quercetani ana, ℥. j. *sem.* Melissæ, unc. ij. spiritus Cornu Cervi, ℈. j. Sacchari perlati, ʒ. iij. Misce. In hoc negotio opiata optima esse aiunt multi, quod ego non semel expertus fui; A Purgantibus fortioribus abstinendum, Usum *seri lactis*, indè *Decocti Radicis Chinæ*, *Salsæparillæ*, *Santali* ego comendarem; sub vespere etiam *Conserva Betonicæ*, *Florum Tunicæ*, *Borraginis* exhibeatur; Aperitiva etiam, quatenus aperient vias uteri commodè administranda erunt, atque externè applicetur Theriaca cum vino, & croco, quod remedium commendat *VVolfgangus Hoeferus*, & post eum *Burnetus*. Diæta constet ex cibis laudabilis succi; Juscula sint medicata *radicibus asparagi*, *fœniculi*, & *petroselini*; Vinum pariter medicatum sit *ligno sassafras*; Alacri animo vivat, & salutem speret à Domino, ut enixè precor.

CONSULTATIO XI.

De Mania.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM DOMINICUM MAZZARELLUM

Medicum Doctissimum.

SUmmus ille Philosophus *Plato in Charmidis initio* sub persona Socratis dicere solebat omnes morbos, qui in hominibus

nibus generantur, ab animo originem ducere; Quod manifestum, est ex Historia sequenti, super quam consilium medicum petitur.

Juvencula Annorum 20. ingeniosa valdè, ac non deformis speciei, Adolescentis cujusdam amore capta, correctiones frequentes matris ægrè ferens, incidit in obstructiones, undè imminuta fuit mensium fluxio, & pallidus color apparuit; successit hysterica passio, à qua malè vexata est; post hanc vigilias patitur, modò cogitabunda, & taciturna, modò nimis hilaris, & incomptè loquax, ad insaniam redacta est sine febre; auxilium implorat.

Delirio Maniaco Adolescentulam præsentem affici manifestum est, quod definitur crudelis animæ passio cum actionum ejus plurium, vel sensuum omnium perturbatione, præprimis delirio, cùm audacia, & furore absque febre, à texturæ pororum cerebri, & ejus vasorum inversione, & circulantium humorum acrimonia ignea dependens; Pars affecta est Cerebrum cum suis incolis tum passivis, tùm activis. Causa est perturbatio texturæ pororum cerebri, & ejus vasorum, nec non spiritûs animalis, quæ omnia dependent à vitio sanguinis acrioris redditi à mensium fluxione imminuta, à passionibus animi, &c. cùm enim spirituum animalium motus, & generatio consistat in blanda sanguinis fermentatione, & dulci crasi, nec non apta pororum, & vasorum cerebri configuratione, hinc est, quod illis vitiatis, pariter operationes animæ in cerebro vitiantur, undè delirium sequitur. Prognoseos ratione notetur, quod Mania rarò est lethalis, etsi curatu sit admodùm difficilis, maximè quando jam altas egerit radices; benè autem sperandum in nostro casu, nam nostra patiens Juvenis est, nec in morbo adulta; Si præsens delirium somnus sedaverit, juxta *Hippocratem Sect.* 2. *aphor.* 2. bonum erit, quin, & bonum etiam, si cum risu sit præsens insania; si verò ad suum statum naturalem fluxio menstruorum restituatur, tunc spes erit salutis; quàm ut celeriter, & perfectè assequamur, primò indicationes veniunt examinandæ; indè curatio instituenda; Primaria igitur indicatio medica, videtur esse restitutio, & correctio sanguinis, ità ut ad naturalem statum reducetur, ut tùm exindè laudabilis fiat succus nerveus, & spiritûs animalis motus, ex quo rectæ mentis operationes dependent; indè corrigere oportet vasa, ac porositates ip-

sius cerebri, ipsumque corroborare; Quibus ut satisfiat, primò ad Chirurgiam deveniendum, ex qua sanguinis missio est petenda, & repetenda, à venis brachii, pedis, atque jugularibus. Hirudines, & cucurbitulæ scarificatæ applicandæ, & tonsura capillorum commendatur à *Joh. Forti in suis consult. cent.* 1. cauterium suturæ coronali applicatum maximè probatur à *Gordonio*, immò ego commendarem ipsam arteriotomiam; à Chirurgia gradum faciamus ad Pharmaciam; Ex qua Tincturam florum hyperici, suadente *Raio*, usurpandam suadeo, sicuti emetica ex *antimonio*, atque cathartica, & medicamenta ex *Helleboro* confecta, unà cum *opiatis* commendarem; si somnus enim delirium sedaret bonum esset, uti suprà ex *Hippocrate* innui; A *Thoma Bartholino*, & *Clariss. D. Luca Tozzio* Amico meo semper recolendo in sua Praxi proponitur sequens Pulvis; ℞. Pulveris Gentianæ, ʒ. j. Myrrhæ, tantundem, pulveris cancrorum fluviatilium ustorum, duplum. Misce pro duabus dosibus; Balnea aquæ tepidæ frequenter, & post singulas purgationes usurpanda sunt; & memini de quodam Cive nostro Maniaco, qui post purgationem, usu Balnei aquæ currentis nostri Eridani sanatus fuit; Diætetica cura nunc sequitur, unde cibus sit refrigerans, & humectans, & juscula refrigerantibus herbis sint medicata; Vinum perpetuo exulet, juxta illud Poetæ:

Vina gravant animos, faciuntque furoribus aptos.

& hujus loco aqua hordei bibenda; Hìc autem noto, *Clariss. Dolæum decoctum hirundinum* cùm *lapide prunellæ* sua experientia comprobare; immò pro potu ordinario *serum lactis* convenire, monet *VValdschmidius*. Quæ in præsenti affectione sufficiant. Faxit Deus, &c.

CONSULTATIO XII.

De Nausea, & Vomitu.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

JOS. FLOR. VACCARIUM GIOIAM

Medicum Eruditissimum.

EX litteris Excellentissimi Medici ordinarii accepi, Illustrem nostrum Juvenem, à longo tempore nausea, & vomitu laborare multis incassum exhibitis remediis, quare à me consilium petit.

Vetriculus recipiendis, retinendisque alimentis a Natura destinatus, aliquandò si gravetur, vel a noxiis humoribus irritetur, nausea primùm, mox vomitu afficitur; qui nihil aliud est, quàm ventriculi, atque in specie fundi ejus, & pylori, versus superius orificium contractivus, aut convulsivus fibrarum motus, contenta quævis per superiora rejiciens, cujus levior species est nausea; subjectum ventriculus est cum suis fibrillis nerveis; Causa verò istius affectionis consistere videtur in particulis viscosis, & acribus, vel in ventriculo ipso detentis, vel per arterias in ipsum delatis, quæ suis iritantibus acuminibus fibras Ventriculi pungendo nauseam primò, inde vomitum excitant; probabile enim est, inquinamenta primæ coctionis in hoc Juvene membranas ventriculi amplexantia convulsionem in ventriculo excitare, unde vomitus accidit; Accedamus nunc ad signa prognostica; & primò timendum, ne in Hecticam incidat, ut monuit D*olæus*, ulterius vomitus contumacia semper mala solet esse, quia laborat pars quædam nobilis, & cessante actione Ventriculi tota destruitur animalis OEconomia; Indicationes curativæ sunt in nostro casu, tollere irritationem, & convulsionem Ventriculi, hebetando cuspides particularum irritantium, illasque evacuando, & demum corroborare oportet fibras Ventriculi ipsius;

Quæ ut assequantur ad tria Medicinæ Brachia deveniendum, nempe ad Pharmaciam, Chirurgiam, ac Diætam, quibus mediantibus salus sperari potest; & quoad Pharmaciam laudo frequentem usum *olei amygdalarum dulcium* signe igne extracti, ut & *seri caprini colati* longo tempore usurpati, cum *Gelatina Corn. Cervi*, tandem cum *Clariss. Malpighio lac asininum* propono, quo irritatio demulceri potest, & si quid exulceratum esset potest detergi, ac consolidari; Commendarem præterea *Specificum stomachicum Poterii*, *Salem Absinthii*, *Aquam Menthæ*, *Laudanum opiatum* & *Syrupum de corticibus Citri*, cum *succo Cydoniorum*; Exterius apponatur *emplastrum de Crusta Panis*, aut *aqua rosarum* cum modico *camphoræ*, & *succo limoniorum* pro linimento; Utatur sæpè *Conservis Cydoniorum*, *Rosarum*, ac *totius Citri*, ut & *China Chinæ*, suadente *Clariss. Nigrisolo* nostro, *in Feb. chin. curat.*; Ex Chirurgico fonte nihil assumerem in nostro casu; Diæta sit moderata, & fugiantur legumina, dulcia, & pinguia; atque condiantur aromatibus esculenta; cum cibo conveniet *balsamum Peruvianum* & *Chocolata*; *Vinum hispanicum* in modica sumptum quantitate juvare potest, sicuti *fructus cydoniorum* cum *emulsionibus ex amygdalis dulcibus*. Pauca hæc scribebam in tali Ventriculi affectu, quæ itaque subjicio acri judicio Doctissimorum Virorum. Faxit Deus, &c.

CONSULTATIO XIII.

De Cardialgia.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

DYONIS. ANDR. SANCASSANUM

Medicum Præstantissimum.

Civis noster Ferrariensis ætatis annorum 41. post longum iter tempore æstivo, febri corripitur cum stomachi immani dolore, erosione, & morsu, ità ut penè mori se sentiat; auxilium petit. Morbus iste Cardialgia est cum febri, quæ affectio definitur do-

lorifica

lorifica sensatio excitata in ventriculo à particulis acrioribus in eo contentis, orificium ejus superius convulsiva constrictione irritando, & rodendo afficientibus; Subjectum istius est propriè sensibilissimum ejus ventriculi orificium superius, non exclusis etiam reliquis ipsius visceribus partibus; dolet autem magis orificium superius, cùm longè copiosiores nervos habeat, qui per illud diffunduntur; Cardialgia verò dicitur, quia æger, ob istum dolorem animo deficit, & sudore exsolvitur, unde *Galeno* Duce, *Sapientiss.* *D. Lucas Tozzi*, hanc affectionem syncopem stomachicam appellat. Causa istius affectûs immediata est rosio orificii superioris Ventriculi, totumque nervosum genus per consensum trahens; quam causam suppeditat omne id, quod figura sua acuta, & pungente, dictum orificium ventriculi quovis modo potest lædere; Non excludit etiam *Franc. de le Boë Sylvius* halitus ascendentes ad dictam partem cùm acriores fuerint; sicut contingit porum felleum natura tam proximum Pyloro superfluitates biliosas è sua cysti deponere in duodenum intestinum, ex quo in ventriculum, ut subindè Cardialgia accidat; & similiter dicendum de succo pancreatico. Prognosis, morbum hunc periculosum pronunciat, si diutiùs duraverit, siquidem pars ista ventriculi affecta exquisito adeò sensu pollet, ut in consensum trahat utrumque principium vitæ, nempè cor, & cerebrum propter nervorum à cerebro manantium copiam, undè *Galenus* dicebat, os ventriculi in sui consensum animam ducere; immò observavit *Trallianus*, quod si humores erodentes pertinaces sint, æger brevi morietur.

Citò ergò indicationes videndæ, & his satisfaciendum est; istæ sunt, materiam acrem lædentem internè stomachum dulcificare, educere, atque omninò eliminare, ulteriùs ventriculum corroborare, ac ipsi suum naturalem tonum restituere; Quibus, ut satisfaciamus, ad tria Medicinæ brachia deveniendum, nempè ad Chirurgiam, Pharmaciam, atque Diætam, ista enim Praxeos Medicæ magna sunt lumina, sine quibus nihil; Ex Chirurgia igitur desumatur Venæ sectio non tantùm ob febrem, sed ad avertendam inflammationem, quæ de facili posset excitari à particulis erodentibus; sic apud *Hippocratem in Epid.*, Vir vehementi dolore ventriculi correptus, secta vena in utraque manu, & sanguine educto, liberatus fuit.

 A Phar-

A Pharmacia vomitorium primò commendarem ſumendum, ut monent *Guil. Fabricius Hildanus*, *Felix Platerus*, *Mart. Rulandus*, *Mich. Ettmullerus*, *Jungken*, aliique plures; Summè conferunt *Corallium rubrum præparatum Cryſtallus Montana præparata*, *Oculi Cancrorum præparati*, *Margaritæ præparatæ*, omniaque alkalia acredines acidas imbibentia; Opiata maximi ſunt uſus, clyſteres proderunt, ſicuti *ſerum depuratum*, *emulſiones quatuor ſeminum frigidorum majorum*. Externè *Emplaſtrum de cruſta panis* laudo cum *ſucco agreſtæ*, aceti loco paratum; Hiſce remediis addatur congrua victus ratio, circa quam notat *Joh. Fortis* tardius cibum ſumere eſſe nocuum; ideo *Celſus* cibum paucum, & ſæpè exhibebat; vinum abſinthites commendatur à *Jungkenio*, ut & decoctum ſalſæparillæ cum cinnamomo, pro potu ſit ordinario; Quæ omnia D. O. M. pro votis propitia reddat.

CONSULTATIO XIV.

De Singultu.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

BERNARDINUM GIBERTUM

Medicum Præſtantiſſimum.

ADeò clara, & manifeſta eſt Morbi, qui noſtrum Civem torquet, Natura, ut ſupervacaneum omninò ſit diutiùs in ea indaganda immorari; eſt ſingultus valdè frequens moleſtiam inferens, ac ſomnum impediens; quæ affectio definiri poteſt per motum convulſivum interpolatum diaphragmatis in conſenſum trahens ventriculum, & vicinas partes; undè *Dolæus* pro ſubjecto cognovit ventriculum ſecundum fibrillas ſuas, nervos, & tunicam cum diaphragmate communem; Cauſa hujus affectus provenit ab humoribus, vel vaporibus, aut copia, aut qualitate acri peccantibus, & ad membranaceum diaphragmatis centrum, vel medium penetrantibus, ipſumque pungendo, vel rodendo, vel aggravando ad convulſivum motum

motum irritantibus; Fatetur autem ingenuè, ac candidiſſimè *Sydenham*, *in obſ. de morb. acut.*, ſe ſibimet ipſi de ſingultûs cauſa diſquirenti ſatisfacere non potuiſſe; *Hippocrates* verò, eum provenire ex inanitione, vel ex repletione ſtatuit; Quoad prognoſim attinet, notandum, quod, quia eſt ſine febri, ideò periculo vacat, ſi verò cum febre jungeretur periculoſus eſſet; Cæterùm ſi noſtro patienti ſternutatio ſupervenerit bonum erit, docet enim *Clariſſ. D. Lucas Tozzi* Amicus meus ſemper recolendus, ſternutationem remedium eſſe ſingultus, concuſſione enim ea quæ ventriculi tunicas vellicant facilè excutiuntur, & ablegantur; Indicationes erunt materiam irritantem cicurare, atque educere, & ventriculo, aliiſque affectis partibus robur addere; Quæ ut fiant, ad Pharmaciam, ac Diætam deveniendum, ut ſic ſalutem optatam Patienti noſtro reſtituamus; ex primo igitur remediorum Fonte, leviter purgare convenit ventriculum, & ſi æger non abhorreat, vomitus leviter excitandus, ut cauſa, ſi quæ eſſet, in ſtomacho educatur; ad cujus verò correctionem non tantum *oleum recens amygdalarum dulcium*, *emulſiones ſeminum quatuor frigidorum majorum*, ſed *cremorem ptiſanæ*, *juſcula pinguia*, cum *oculis Cancrorum præparatis* commendarem; *VValdſchmidius* præcipitantia, *Ebur*, *Cornu Cervi*, & Cryſtallum montanam præparatam laudat, & *Clariſſ. Pomp. Saccus* Parmenſis Collegii Lumen hodiernum, mixturam *Sylvii* præſcribit, quæ talis eſt. ℞. Aquæ Menthæ, ℥. ij., Theriacalis, ℥. *ſemis*, confectionis alchermes, ʒ. j., laudani opiati, gr. ij., Syrupi Menthæ, ℥. j. Miſce. Extrà maximè convenit fotus ex aceto valdè acri cum caſtoreo, pipere, & ſinapi benè calido per ſpongiam ventriculi regioni applicatus monente *Rod. à Fonſeca*; immò *Joh. Hartmannus* extemporaneum pro ſingultu remedium eſſe ait thoracis compreſſionem; Ex Chirurgia nihil petendum, niſi in caſu timoris, ne inflammatio ſuccederet, tunc enim Venæ ſectionem inſtituerem in pede dextro; Fugienda tandem ſunt omnia frigida, acida, flatulenta, acria, & conſequenter vinum, quod nerveis partibus eſt inimicum; Pro regula enim eſt, vinum in omnibus morbis convulſivis non convenire; Pro potu, itaque ordinario inſervire poterit *Decoctum hordei* cùm tantillo *Cinnamomi*, vel *Galangæ* paratum. Victus ergo ſit tenuis, optimi nutrimenti, ac facilis concoctionis.

Exerci-

Exercitium confert antè cibum, hilari ſit animo, ut completam adipiſcatur ſanitatem, quàm à D. O. M., & nos eidem nobiliſſimo Civi ex corde precamur.

CONSULTATIO XV.

De Lienis Obſtructione.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM HYACINTHUM AGNELLIUM

Medicum Præſtantiſſimum.

E his, quæ non minùs eleganter, quàm abundè de mala nobiliſſimi Viri valetudine, ſcripſit Excellentiſſ. Medicus aſſiſtens, facilè cognovi, præſentem affectionem eſſe Lienis tumorem, id eſt obſtructionem pertinacem; quæ à pluribus annis ægrum noſtrum vèxat; certum enim eſt, licet Lien nullo præditus ſit ſenſu, obſtructionibus fieri obnoxium, nam quotieſcumque cruor ab arteria derivans in cellulis ſplenis ipſius ſtagnans, amiſſa ſua fluiditate, debita facilitate per venam ſplenicam non reportatur, ſed remoratus diſtendendo membranoſas cellulas, ipſius viſceris molem auget, & continentia involucra tenſa reddit; Lienis enim uſus eſt ſanguinem ſubtilizzare, cùm autem obſtructus eſt, hoc munus exercere nequit, undè varia oriuntur incommoda; optimè ſiquidem dicebat *VValdſchmidius*, humorem obſtruentem aliquandiù ibi deliteſcentem, acquirere naturam fermenti, quod poſteà variorum morborum eſt author. Viſis cauſis mox Prognoſis ſequatur, quapropter obſervandum Lienis affectiones ſemper eſſe magnifaciendas; ex annoſis enim ſplenis obſtructionibus hydropes provenire poſſe timendum, maximè quia obſtructio Hepatis ordinariò antecedit Lieni Obſtructionibus, teſte

teste *Sapientiss. D. Joh. Baptista Bianchi Taurinensi in Hist. Hepatic.*

Indicationes Medicæ sunt tollere tumorem, sanguinem volatilizzare, coagulationem jam factam attenuare indèque viscus corroborare; Quæ, ut assequantur ad Chirurgiam, Pharmaciam, ac Diætam deveniendum, & primò ex Chirurgico Fonte, sanguis mittendus, & à vena brachij sinistri, & ab hæmorrhoidalibus ope hirudinum; Mox ad Pharmaciam vertendo, instituatur levis, & communis purgatio, post quam, usum *juris columbini chalybeati*, & *absinthio alterati* cum *Celebri Malpighio* proponerem, cui potioni adderem guttas aliquot *Spiritus salis ammoniaci*, insuper *pilulas ex ammoniaco aceto dissoluto* confectas ad plures dies propinarem, sicuti *antimonium diaphoreticum cum Croco martis aperitivo* per longum tempus; Externè pars affecta inungatur *oleo de Capparibus*, vel *unguento nostro de Bryonia*, & apponatur *Emplastrum de Cicuta*, juxtà *D. Zannicchellum*. Circà Diætam demùm, victus ratio sit attenuans, panis benè salitus, benè fermentatus, & benè coctus; intereà infundatur Chalybs, & absinthium in Vino, quo in mensa uti debeat, immò cibaria ipsa condiri poterunt sale absinthij; Vascula sui Vini parentur ex ligno Tamarisci; Exercitium commendo, undè *Aëtius* vidisse fatetur aliquos ex solis deambulationibus, & cursibus sanatos; Alvus lubrica servetur, & hilari, ac festivo animo vivat; Quæ pauca scribebam prò confirmatione eorum, quæ à Doctiss. Viro proposita sunt pro salute nostri nobilissimi Patientis; Faxit Deus, &c.

CONSULTATIO XVI.

De Diarrhæa.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

ANTONIUM MARIAM BONONUM

Medicum Præſtantiſſimum.

MOrbus, qui mihi proponitur eſt manifeſtus, & Diarrhœa nuncupatur; eſt enim in Viro alioquin robuſto, æſtate media, frequens alvi dejectio non cruenta, cum ſiti intenſa; Hæc affectio deſcribi poteſt, quod ſit frequens, largior, & diuturna excretio fluidorum ſeroſorum, & bilioſorum excrementorum cum utilibus permixtorum magis, vel minùs acrium, cum torminibus; cujus cauſam exiſtere puto, vitioſam ſuccorum in inteſtinis effervescentiam, & eorundem particularum acrium irritationem, undè oritur inteſtinorum ſtimulatio; itaque pars affecta inteſtina erunt, & præſertim eorundem glandulæ, atquè fibrillæ; adjuvantes verò cauſæ ſunt errores in victu commiſſi, & maximè in noſtro ægrotante, qui dulce vinum recens in magna quantitate potavit, comedendo etiam Uvam in copia; undè egregiè *Clariſs. D. Luc. Tozzi* Amicus meus ſemper recolendus in ſua Praxi docuit, Diarrhœam ab acribus, acidiſque humoribus, dolorem ſimul, & irritamentum inteſtinis afferentibus, pendere, quorum humorum vitium pendet à cibis, & potibus corruptis; Quoad Prognoſim, ſe primo loco ſiſtit *Hippocrates in aphoriſm.*, qui ait, quod ſi in turbationibus alvi, quæ ſpontè fiunt, purgentur ea qualia oportet, conferant, & facilè etiam ferentur, & è contrà; & tendit ad ſalutem cùm eſt mitis, ut in noſtro caſu; undè ſalus citò eſt ſperanda, & maximè ſi mutatio excrementorum in melius vertatur; Indicationes curativæ ſunt educere humores peccantes, eorumque acrimoniam temperandam, ac corrigendam eſſe ac inteſtinorum fibrillas corroborare; quæ ut aſſequamur, confugere oportet ad tres ordinarios Practicæ Medicinæ fontes, nempè ad Pharma-

maciam, Diætam, atquè Chirurgiam, quibus mediantibus Deo adjuvante saluti restituendum Ægrum nostrum brevi cogito fore; & quoad Diætam, Aër primò sit temperatus, cibi sint laudabilis succi, & in pauca quantitate assumantur; Carnium esus nocet alvi fluxu laborantibus, juxtà *VValdschmidium in Monit. Medic.* Potus sit *Aqua Hordei* & *Plantaginis* & *Portulacæ*, *Vinum granatorum* commendatur à *Dolæo*; Somnus erit conciliandus. Ex Chirurgiæ Venæ sectio erit sumenda, atquè in usum ducenda, dum tamen Medicus assistens cognoscat, recrementa fermentiscibilia Diarrhœam causantia à sanguine deponi in intestina, febre accedente, sin minùs verò nullum à Chirurgia sperandum auxilium; Pharmacia tandem totam remediorum implebit paginam; cavendum tamen, ne curam Stipticis inchoemus, sic enim introducuntur, ait *VValdschmidius*, contumaces viscerum, & intestinorum obstructiones, quas sequitur hydrops de facili; & *Bellonius* exemplum exhibuit unius, qui ex cydoniatis in Diarrhœæ principio exhibitis, illaque sic intempestivè suppressa ileon lethale passus fuit; undè tutiùs erit clysteribus uti ad abstergenda intestina, eaque confortanda, in quibus dissolvatur modicum *Diascordii Fracastorii*; quin & *rhabarbarum* in principio ob purgationem assumptum juvabit; indè mixturam sequentem commendatam à *Sylvio de le Boë* cochleatim exhibendam præscribere auderem. ℞. Diascordii Fracastorii, ʒ. j. ß. Confectionis de hyacintho, ʒ. j., Syrupi myrtini, ℥. j. Aquæ Cinamomi, ℥. ß. Plantaginis, ℥. j. ß. Misce. Post septimam, sequentes pulveres usurpare bonum erit. ℞. Terræ sigillatæ Magni Ducis, Antimonii Diaphoretici, Cornu Cervi usti, Corallii rubri præparati, Terræ Catechu, Salis Absinthii & aliorum hujusmodi; Externè ungatur ventriculi regio oleo sequenti. ℞. Olei masticheş, menthæ, ana, ℥. ß., cydoniorum, rosacei, absinthii, ana, ʒ.ij. misce, vel apponatur *Emplastrum de crusta panis*, & *de palmulis Galeni*. Quæ pro salute istius Viri nostri Ægrotantis sint satis, quam sanitatem D. O. M. illi elargiri dignetur, ut ex corde precor.

CONSUTATIO XVII.

De Dysenteria.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM HYACINTHUM BELLANIUM

Medicum, & Chirurgum Præstantissimum.

ADolescens Ferrariensis ad iram pronus, æstatis tempore, fructibus, ac in specie peponibus nive refrigeratis usus, cum multa vini gelidi potatione, tandem incidit in alvi fluxum cum doloribus ventris; cruenta fit excrementorum materia cum torminibus paulò ante excernendi tempus; Pulsus evadit justo celerior, calor totius corporis acris, atque febrilis, cibi adest fastidium, sitis, anxietas, tenesmus, ac vigiliæ excruciant; Ex quibus enarratis, non est difficile judicium facere, Adolescentem hunc eo morbo conflictari, qui appellatur Dysenteria, & hæc à Medicis definitur Dejectio Alvi frequens plus minùs cruenta, ventrem magnis doloribus, & torminibus affligens, & ab intestinorum continua forti irritatione, quandoque cum exulceratione juncta, originem trahens; Subjectum ergo hujus affectus sunt intestina, tàm tenuia, quàm crassa cum suis glandulis, ac vasis; Causa immediata sunt, non tantùm vasa varia intestina constituentia ad excretionem irritata, sed & ipso actu quandoque corrosa, sivè ad sanguinis effusionem stimulata, & concitata; mediatam verò causam constituunt corrosivæ, acres, & acidæ particulæ humorum circulantium, in insteftina depositæ, sivè in ipsis intestinis vitio rerum nonnaturalium enatæ, & acres factæ; & dolores in nostro casu excruciantes dependant à spasmodia fibrarum ipsorum intestinorum, propterea sanguis, qui excernitur, non ex corrosis vasis derivat, sed exprimitur ratione ejus irritationis. Febris autem oritur à vitio sanguinis ope particularum acrium, undè ejus mixtio turbatur, & pulsus celerior evadit; cibi fasti-

stidium à depravato ventriculi fermento dependet; Quoad Prognosim, *Hippocrates* vocat hunc morbum magnum, periculosum, longum, laboriosum, atque lethalem; si superveniet singultus tunc malum signum erit; cùm verò simus in Adolescente, symptomata sint mitiora, ac vires consistant, spes adest salutis; Indicationes curativæ in nostro casu sunt mitigare acredinem, & eliminare particulas salium acrium, ac partes affectas roborare; Quæ ut assequantur; ad tres Medicinæ practicæ fontes deveniendum est, & primò ad Pharmaciam, ex qua Rhabarbarum primò ad ʒ. j. ß. assumatur, ac propinetur cum Decoctione Hordei; multi vomitorium in principio commendant, ut potè quo solo Dysenteriam à principio curabilem existere experimento, casu quodam facto, comprobat *Albrechtus in not. ad Chirurg. Bontekoe pag.* 814. Pulverem Radicis *Ipecacuanhæ* summoperè commendo, & anteà commendavit *Clariss. ac Eruditiss. D. Anton. Franc. Bertinus Medicinæ Professor Florentinus omni Scientiarum genere instructus in sua Medic. defensa*; & hujus pulveris usu ego hîc Ferrariæ curatas vidi plures Dysenterias. Notandum autem cum Sapientiss. *D. Joh. Baptista Vulpino Astensi Medicinæ Practicæ maximo lumine, ac omnium virtutum genere ornato in sua Spasmologia eleganter conscripta pag.* 18. hanc radicem esse *Asarum Indorum*, quæ in pulverem redacta ad pondus drachmæ unius propinatur cum jusculo, vino, aut conserva rosarum, & hæc per vomitum, & alvi fluxum primas vias purgat, detergit, emundat, ab excrementis ibi morantibus cum salutis discrimine. Circà adstringentia, ea in principio non convenire puto, non enim relaxata, sed irritata sunt intestina; *Crystallum montanam præparatam*, *Laudanum Nepenthes Quercetani*, *Cornu Cervi ustum*, *Diascordium Fracastorii*, *Philonium Persicum*, & *Stibium Diaphoreticum* partitis vicibus, à prudentis Medici Curantis peritia exhibenda, laudo, unà cum clysteribus ex *lacte chalybeato*, & modico *Theriacæ*. *Chinam Chinæ* commendat *Illustriss. D. Franciscus Tortus insignis Medicus Mutinensis in sua Therap.* Sequentem conservam ad unum cochleare vespere assumendam præscriberem. ℞. Conservæ rosarum antiquarum, ℥. iij. laudani opiati, gr. vi., Confectionis Alchermes, ʒ. ii., Syrupi papaveris erratici, q. s. fiat Electuarium. S. A. Externè inungatur abdominis

regio, oleo Abſinthii & Roſarum, atque ſuprà unctionem imponatur omentum Hirci caſtrati, & hoc tàm mane, quàm veſpere exerceatur, ac uſurpetur; Quod verò ſpectat ad Chirurgiam, nihil ab iſta deſumerem, ſic Venæ ſectio exulet, & non admittatur, niſi in caſu metus inflammationis inteſtinorum, quam Deus avertat; Tandemquè circa victus rationem nonnulla addere oportet pro conſultationis præſentis coronide. Primò igitur advertendum, quod excrementa qualibet vice ſint exportanda à cubiculo, nè ab eorum halitibus foveatur morbus, & ſemper vas aqua frigida abluatur, & detergatur; immò poſtquam in latrinam projectæ ſunt fæces, ſtatim aqua pariter projiciatur, ad infringendam excrementorum malitiam; ſæpè enim contagioſæ fiunt Dyſenteriæ; Ciborum parſimoniam commendo, cibiquè ſint facilis concoctionis; laudo *oryzam cum lacte*, *juſcula carnis vervecinæ*, *ova recentia*; Potus *ſit aqua hordei deſtillata*, vel *communis chalybeata*, addunt nonnulli *vinum granatorum*; Somnus ſiſtit omnes fluxiones, monente *Joh. Forti in Conſult. cent.* 2., præter tamen ſudorem; concilietur igitur remediis appropriatis, & præſertim *emulſionibus ſeminis peponum*, *amygdalarum dulcium recentium*, & *ſeminis papaveris albi*; Quiete tandem opus eſt, nec à cubili ſurgat, ſed in eo egerat; Quæ omnia D. O. M. pro votis propitia reddat; ut cupio.

CONSULTATIO XVIII.

De Dolore Iliaco.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

BORSUM FERRUM

Medicum Præſtantiſſimum.

VIr nobilis ætatis annorum 60. animi candore à Natura donatus, quod hac noſtra tempeſtate rariſſimum eſt, poſt nimium exercitium ſudore madidus, ſitique oppreſſus, aquæ glacie nimiùm infrigidatæ magnum calicem ebibit, indè ab ejus potu in ſublimio-

mioribus inteſtinis dolorem ſenſit acutum; Domum ſe confert, vomit ſæpè, alvus adſtricta erat per quatuor dies; dolor circà umbilicum vehementior evadit, pulſus fit frequens, color totius corporis cum ſiti, & vigilia; tandem per vomitum ſtercorariam materiam emittit; nunc auxilium petit.

Ex præſenti hiſtoria facilè colligitur Ægrotum noſtrum Iliaca affectione detineri, pars enim affecta in hoc morbo, eſt inteſtinum Ileum, omnium inteſtinorum longiſſimum; Definitur hic morbus, quod ſit dolor acerbus tenuiorum inteſtinorum, cum pertinaci alvi obſtructione, & fæcum per vomitum ejectione moleſta; undè *Clariſſimus A. Muſa Braſavolus noſter*, in tota ſua Praxi nunquam vidiſſe ait, Ileum abſque vomitu. Cauſa iſtius morbi eſt convulſio inteſtinorum tenuium, quæ derivat ab humoribus acribus intrà membranas inteſtinorum ſenſu exquiſito donatas hærentibus, undè invertitur inteſtinorum motus, & convulſio excitatur non ſinè metu inflammationis. Prognoſim quod attinet, hoc malum horrendum omninò eſt, & periculoſum, & præcipuè in caſu noſtri Patientis ſexagenarii. *Galenus* inſuper ſcribit, ſtercora rejicere exitiale eſſe ſignum, ſi autem inflammatio ſit facta, deſperatus dicitur æger, teſte *Dolæo*. Attamen quia in caſibus etiam deploratis, ſuadente *Celſo*, melius eſt anceps experiri remedium, quam nullum; ideò curationem tentare non incongruum erit; ad quam rectè peragendam primò erunt obſervandæ, & diligenter conſiderandæ indicationes, quæ in noſtro caſu, ſunt inflammationem tollere, humores acres moderare, atque expellere, convulſionem ſedare, ac tonum naturalem fibris inteſtinorum reſtituere, atque inteſtina ipſa corroborare; Ut his igitur ſatisfaciamus, operæ pretium erit ad Medicos fontes recurrere, nempè ad Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam; & quoad primam, mittendus ſanguis à brachio ad pondus unciarum decem, atquè clyſteres emollientes ſine ſale fiant; Pharmacia dabit *oleum recentem amygdalarum dulcium* ad pondus unciarum quatuor aſſumendum, quod *Petrus Foreſtus* ſummopere commendat; *Epiphanius Ferdinandus Mercurium crudum* exhibet; hoc autem nonniſi cogente magna neceſſitate exhiberem, ſicuti aſſumptionem *pilularum plumbearum*, quod remedii genus approbare videtur *Zacutus Luſitanus*; Proſunt etiam *Elixir*

pro-

proprietatis Paracelsi, *Sal Absinthii cum succo Limoniorum*, *Laudanum opiatum*, *Emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum cum Saccharo*, & *confectione de hyacintho*; & *alchermes*; Externè fiat fomentum ventri adhibendum hujusmodi. ℞. Foliorum Malvæ, Altheæ, Violarum, ana, man. j. Florum Chamomillæ, Meliloti, verbasci, ana, man. *semis*; Seminum lini, anisorum, anethi, ana, ʒ. iij. Misce decoque in aqua communi, vel lacte, & fiat S. A. fomentum; Axungiam Taxi laudat *Dolæus*, quo totum inungatur abdomen. Circa Diætam verò, victus ratio sit tenuis, sic conveniunt *Cremor hordei*, *jusula caponum*, &c. Somnus concilietur, & quies; Pauca hæc indicabam, eaque subjiciebam libenter pro salute nobilis Patientis acri judicio Excellentissimi Domini Curantis.

CONSULTATIO XIX.

De Febre Maligna.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM FRANCISCUM ALBINUM

Medicum Præstantissimum.

HOnestus Civis 37. annum agens negotiis multis implicitus, ventri, gulæque nimis indulgens hoc tempore æstivo, post longum iter Domum reversus, conqueritur primò de lassitudine totius corporis, mox cum exiguo horrore decubuit, cui non magnus calor febrilis successit, absque vomitu, siti, & sine ullo pravo symptomate; tertia die alvi fluxus apparet, cum pulsu languido: Urina sanorum urinis est similis, attamen adest summa virium prostratio, ut vix è cubili surgere possit, erumpunt maculæ in facie, & in brachiis, modò in sopore jacet, modò delirat; Domestici consilium poscunt.

Eodem ferè pacto, quo dantur homines maligni, qui boni specie simulantes alterum lædunt, ità febres aliquæ dantur, quæ placidam, atque mitem effingunt naturam, & tamen Patientes perdunt, & febres malignæ dicuntur, qualis est præsens nostrum ægrum infestans; ex

ex signis enim pathognomonicis enunciatis in historia, malignam febrem cognoscimus, & præcipuè ex alvi fluxu, nam *Galenus de præsag.* ait, perpetuum esse symptoma, fluxum colliquativum febris malignæ essentialis; sicuti etiam urinam a naturalibus parum distare, ait *Joh. Fortis*, *quia venenum magis urget quam putredo*, quod idem esset, ac si diceretur, quod causa febris malignæ magis infensa esset spiritibus, quàm humoribus. Sedes verò hujus morbi est ipsa massa sanguinea non exemptis tùm vitalibus, tùm animalibus spiritibus; & quia ad felicem morborum curationem instituendam causarum inquisitio est maximè necessaria; ideò causam istius febris nunc est inquirenda, ut exindè curativæ indicationes habeantur; Omnes febres malignæ vel à sanguinis coagulatione, vel ab ejusdem dissolutione dependent, sicque cogito præsentem febrem à sanguinis nimia dissolutione pendere, quæ concitatur à particulis salinis, septicis, atque solventibus; ab istis enim sanguinis pars sulphurea nimium agitatur, undè effervescentia, & calor insequitur, & sal volatile acre sanguinis consistentiam naturalem minuit, undè prava oriuntur symptomata, quæ malignitatem sua pernicie ostendunt, ut sunt pulsus languidus, alvi fluxio, & virium prostratio; Ad Prognosim quod concernit, quoniam febris maligna est ex classe acutorum, ideò habet locum id, quod *Hippocrates* scripsit, nempè acutorum morborum incertas esse prædictiones, adeoque febris hæc est timenda; & præstat præsagium suspendere, donec vel naturæ, vel morbi victoriæ indicia certa se obtulerint; advertendum tamen, quod si superveniat Singultus, & æger floccos carpere incipiat, tunc erit lethale signum; quemadmodum sæpè observavi in praxi facienda spatio triginta annorum. Indicationes curativæ sunt salia solventia tollere, massam cruoris ad statum naturalem reducere, atque spiritus, tùm vitales, tùm animales restaurare; Quibus indicationibus, ut satisfaciamus, primò ad Pharmaciam est confugiendum, & Clystere imposito ad alexipharmaca deveniendum ut v. g. ad usum *Aquæ cordialis Saxoniæ*, *Scorzoneræ*, *Melissæ*, & *Cardui Sancti* cum *pulvere oculorum Cancrorum præparatorum*, *Cornu Cervi philosophicè præparato*, *Margaritis præparatis*, & *lapide Bezaar. occidentalis*; Prosunt etiam *Gelatina Cornu Cervi*, *Confectio Alchermes*, *Juli Gemmarum*, *Diascordium Fracastorij*, *Terra sigillata*, & *Spiritus Vitrioli*; cum *Stibio diaphoretico*, & *nix Ferri*,

juxtà *Præſtantiſſ. Zannicchellium*; Ad Chirurgiam quod attinet, fri-ctiones, atque cucurbitulæ leviter ſcarificatæ conveniunt, ad ſudo-rem concitandum, & ab intrà ad extrà, id eſt, ad corporis ambi-tum cauſam morbi evocandam; ſudorem enim laudat *Clariſſ. An-tonius Stolfinus Medicus Mantuanus*; Quia verò adeſt alvi fluxus, o-mittatur Venæ ſectio, ait enim *VValdſchmidius in ſuis monitis*: Præ-ſente Diarrhœa nunquàm V. S. tentandam eſſe; immò ſum in vo-to in malignis febribus, & potiſſimùm in illis à ſanguinis diſſolutio-ne pendentibus ſanguinem mittere nocuum eſſe, quia ſalia corro-ſiva dominantur, & vires ſunt debiles, ut quoque docet *Præſtan-tiſſ. D. Joan. Simbenius in Exercit.* De Veſicatoriis nihil. Diæta tandem ſit tenuis, & *juſcula carnis pullorum* ſint alterata cum *radice Scorzoneræ*, & *Cornu Cervi* limato; Pro potu utatur æger *Decocto Scorzo-neræ*, & *Sero Vaccino deſtillato*, nec non *Aqua hordei*, modicum *vini* concedatur tanquam cordiale; Somnus, atque vigilia debitam ſervent alternationem; & ſi vigilia nimia ſit, ſomnus arte concilietur ope laudani opiati ad gr. ij. cum conſervæ violarum q. ſ. ad conficien-dum bolum parvum; Excreta verò, & retenta in ſtatu naturali ſunt conſervanda; Quæ ad Ægroti noſtri ſalutem dicta ſuffi-ciant.

CONSULTATIO XX.

De Febre Hectica.

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM

DOMINIC. ANTON. TRAVINUM

Medicum Eruditiſſimum.

NObiliſſimus Adoleſcens ætatis annorum 18. ad iram pro-nus, & facilis ad ſudorem, poſt præcedentes æſtivo tempo-re multas corporis defatigationes, & præſertim in venatio-ne, incidit in tuſſim moleſtam, cui ſucceſſit Febris tertiana du-plex

plex cum valido capitis, dorsique dolore; variis ex arte adhibitis remediis die morbi undecima melius se habere incepit, ast febricula oborta est parva, cum tussi post cibum, & maximè nocturnis horis; Somni sunt breves, lotia clara, & fæces duriores; nunc auxilium petit.

Ex qua historia, atque signis apertè colligitur, *Ægrum* nostrum febri hectica incipiente laborare; cujus sedem juxta Veteres, esse partes solidas volunt multi, quia consumptio, & emaciatio in illis solidis, & maximè carnosis partibus evidenter apparet, cùm tamen non minùs indispositio sanguineæ massæ inhæreat, in qua latex balsamicus deperditur, undè sanguis acrem, & fermentativam indolem acquirit, & hinc Febris hectica oritur. Sic ergo in massa sanguinea, & lympha latere causam hujus affectionis non dubitamus; Causa verò febris hecticæ nihil aliud est, quam dyscrasia sanguinis acris, & inepti ad nutritionem, quatenùs caret moleculis balsamicis aptis ad nutriendum, non sinè obstructione vasorum lacteorum in mesenterio; fit autem incalescentia post cibum, quia aliqua pars Chyli vitiosi, tunc sanguini admiscetur; & tussis ad acres particulas refertur; Febris hæc eventum habet dubium, & quando est confirmata, & ut dicunt Doctores, in tertio gradu, tunc est insanabilis: verùm quia in nostro Patiente est incipiens, ideò curari faciliter posse affirmo; Quod ut assequatur, ad ordinarios Practicæ Medicinæ Fontes deveniendum est satisfaciendo indicationibus, quæ sunt, sanguinem edulcorare, aptumquè reddere ad nutritionem, & vasa lactea obstructa reserare; Ideò relicta Chirurgia tanquam in nostro casu inutili, ac vana, teste doctissimo *Ferrario in suis Respons.* ad Pharmaciam gradum faciamus; Commendarem ergò usum *oculorum Cancri præparatorum*, *Margaritarum præparatarum*, *Antihectici Poterii*, & *Gelatinæ Cornu Cervi* cum *Conserva rosarum recentium*, cujus tantummodò usu hecticos sanatos referunt Authores qui de Praxi scripsere; Posteà ad *lac* confugiendum *Asininum*, ad xxx. dies assumendum cùm modico sacchari fini pulverisati, quavis mane jejuno stomacho ad pondus unciarum septem; Horis autem postmeridianis conveniet Balneum aquæ dulcis; cathartica verò fugienda sunt cane pejus, & angue; Circa Diætam demùm, alimenta sint boni succi, & cruorem edulcorantia, ut *jusculà Caponum*, *Vituli* cum

hordeo mundato; *Carnes* pariter *Vituli*, *Caponis*, *Testudinis*, *Cancros fluviatiles* laudo; Pro potu sit *decoctum hordei cum radice Chinæ*, *& passulis*, cum *emulsionibus quatuor seminum majorum frigidorum*, Animus sit tranquillus, & lætus, ex mœrore enim, & tristitia sæpiùs hecticam febrem productam se vidisse fatetur *Joh. Dolæus in sua Encyclopedia Medica lib.* 4. *cap.* 4. sicque Deo favente noster adolescens sanitatem recuperabit, ut spero, & ex corde precor.

FINIS.



JOSEPHI LANZONI

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris Ferrarienſis, in Patria Univerſitate Lectoris Primarii, ac S. R. I. Academiæ Cæſareo-Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii, &c.

CONSULTATIONES MEDICINALES

Nunc primùm in lucem editæ



LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.

MDCCXXXVIII.



CONSULTATIO XXI.

DE HEMITRITÆO.

Nobilissimus Patiens ætatis annorum LXIX. boni corporis habitûs, frequenter Arthriticis doloribus obnoxius, vivacissimi Spiritûs, ac promptissimæ concoctionis, hilaris, lætus, ad iram pronus, sed de facili remissibilis, post urinæ supressionem periculosam è qua difficulter evasit, & non omninò sanus surrexit, licèt Medicus sanum esse promitteret, brevi duorum mensium spatio in febrem incidit cum totali virium postratione, siti intensa, ac æstuatione, & respiratione magna, & frequenti; quæ febris cum horrore ac frigore incepit, & ad statum usque inæqualiter perseveravit, ita ut modò in summo esse, modò retardari sit visa: calor in statu acris, & mordax, & paulò post vaporosus, & humidus, atque tarda usque in sequentem diem declinatio: biliosæ, & frequentes sunt alvi dejectiones: aliquandò visum est, febrim cum mediocri sudore terminare: pulsus frequens, magnus, celer, ut in febre Tertiana: adveniente nocte nova est observata febrilis accessio cum extremarum partium refrigeratione, & aliquo horrore, calor mox succedit acris, & mordax; pulsus mutatus, nam modò parvus, modò inæqualis, ac debilis cum aliquali madore usque ad noctem; quo tempore nova apparet accessio, antecedente non terminatâ, & non semel subdelirium adest cum manus agitatione. Verùm cùm Nobilissimum Patientem morbus hic magnoperè torqueat, ac ejusdem vires pessundet; modò in quin-

ta vocatis ad consilium aliis Medicis, de agendis pro recuperanda sanitate consulit.

Febris hæc Græcè Ἡμιτριταῖος *Hemitritæos*, Latinè *Semitertiana* vocatur; à *Galeno*, & *Spigelio* febris horrida dicitur; undè Ego eam in numero malignarum, & complicatarum febrium pono, & definiri poterit, quod sit febris composita, maligna, putrida, participans de Tertiana, & Quotidiana, proveniens à sanguinis biliosi, cum serosis & crudis portionibus permixti fermentatione præternaturali ad dissolutionem malignam vergente; quamobrem cum constet ex pluribus, cognitu difficilis existit, ita ut aliquandò transeat quarta morbi dies, antequam dignoscatur, ut ait *Joh. Fortis*, & ut accidit in nostro Ægroto; Medicus enim ordinarius eam nisi tardè nimis cognovit. Componitur igitur præsens febris ex Tertianâ, uti dixi, intermittente, & Quotidianâ continuâ, ab humoribus pravis in primis viis existentibus, & à sanguine in vasis depravato, atque ad dissolutionem disposito, ut evenit in febre Maligna *à dissolutione*; est tamen unica febris, nempe maligna, unicus morbus, licèt duo sint humores formâ distincti, qui duas complicatas excitant febres uno, eodemque die, ac tempore invadentes. Instat autem *Cardanus*, si in hac febre alter humor reperitur in vasis, alter extrà, quomodò simul agunt, & uniuntur ad excitandum hoc malum? Sed facilè respondetur, nam quotidiana à continua fermentatione præternaturali cruoris dependet, & sic adest continuatus motus inordinatus cruoris, id est febris; accenditur verò, & additur alia febris, cùm accenditur humor exoticus in primis viis stagnans Tertianam efficiens; ex quibus duobus humoribus, ac causis unitis præsens oritur febris; quæ, meo videri, conjunctas habet in sanguine septicas quasdam, ac vitriolico-lixiviales particulas, quæ massam sanguinis non tantùm turbant, sed dissolvunt, & fundunt magno cum salutis detrimento. Habet igitur quatuor conditiones hæc febris, primò quod sit horrifica, secundò quod sit continua, tertiò quod sit acuta, & periculosa, quartò demum quod alterâ die, scilicet impari, gravior sit, alterâ verò levior. Cognoscitur porrò hæc febris ex signis simplicium febrium, & in primis ex frigoris, horroris, & rigoris reditu post quietem, & si rigor fiat, mox sudor sequitur.

Pulsus

Pulſus ſæpè contrahitur, cùmque duæ ſint febres, fieri poteſt, ut utraque, aut altera anticipet, aut utriuſque paroxyſmus in unam conveniat horam, ut monuit *Galenus lib. 2. de differ. febr.*: Aliquandò additur alicujus viſceris interni inflammatio, ut notavit *Sennertus de feb. lib. 2. cap. 21.* Ad Prognoſim quod attinet, notandum, *Hippocratem* lethalem vocaviſſe hanc febrem, & *Galenum* periculoſam: cùm verò, ut in caſu noſtro, aliis morbis ſuccedit, omninò periculoſa videtur, ſicque timendum erit, ne Nobiliſſimus noſter Ægrotans vitam cum morte commutet, quod Deus avertat. Magnâ igitur diligentiâ, & induſtriâ opus eſt, ut cura inſtituatur, ideòque duo illa communia axiomata potiſſimùm erunt obſervanda, urgentiori ſcilicet indicationi incumbendum, altero non neglecto, & feſtinemus prodeſſe, ita tamen, ut non noceamus, quod ſemper in morbis periculoſis fiendum monuit *Clariſſ. Dom. Joh. Fortis*: imò advertendum, nos in hoc caſu eſſe in febri Maligna, omnes enim Practici ponunt, hanc febrem in Malignarum numero, eo quia adſunt ſigna febris Malignæ, ut ſunt proſtratio virium non ordinaria in principio, ut in caſu noſtro, ſitis inexplebilis, Nauſea, Vigiliæ contumaces, & ſubdelirium, quæ eſſe certa ſigna febris Malignæ ait *Alex. Paſcolus in lib. de febrib.* Licèt autem hujus mali curatio elici videatur ex cura febris Tertianæ, & Quotidianæ, attamen præter hanc ad medelam febris Malignæ deveniendum, ſuprà enim monuimus hanc febrem eſſe de genere Malignarum. Indicationes igitur curativæ erunt ſanguinem ad bonam craſim reducere, & vitriolicas, ac ſepticas particulas in eo luxuriantes, illumque fundentes corrigere, ac removere, primas vias à pravis fermentis liberare, calorem febrilem temperare, ſymptomatibus occurrere, atque demùm partes affectas corroborare. Quæ ut aſſequantur tres Medicinæ fontes adire oportet, nempe Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam: Et quoad primam nihil dicunt de Venæ ſectione Arabes, & Græci, undè in hac febre, utpotè Maligna, omninò à Phlebotomia abſtinendum: Clyſteres refrigerantes, ac humectantes adhibendi ſunt ad nocuas humorum ſaburras ex Inteſtinis eliciendas, abſque incommodo viſcerum principalium. Fricationes utiles erunt, ut & balneum aquæ tepidæ ad pedes, & crura, quam operationem

Phlebotomiam ſiccam vocat *Clariſſ. D. Joh. Maſſeneau in ſua Medicina, & Chirurgia naturali pag.* 237. Nonnulli commendant cucurbitulas ſcarificatas, & veſicantia, à quibus abſtinendum eſſe conſtanter affirmo. A Pharmaciâ verò deſumi poterunt ſequentia remedia, videlicet *ſemiuncia Cremoris Tartari* ad leniter ſtimulandas primas vias: *Diaſcordium Fracaſtorii*, *Confectio de Hyacintho*, *Laudanum liquidum Sydenhamii*, *pulvis Bezoar Occidentalis*, *Magiſteria oculorum Cancri*, *aqua cordialis Saxoniæ*, *Theriacalis*, & *Meliſſæ* utiles erunt. *Radicem Contraiervæ* optimam eſſe ſemper in praxi facienda collegi; uſumque *Chinæ Chinæ pulveriſatæ* non improbandum eſſe monuit *Clariſſ. Dom. Franc. Torti Archiater Mutinenſis in ſuâ Therapeuticâ Speciali.* Inter Julapia conveniunt *Julapium de Contraierva*, & *Perlatum*, nec non *Gelatina Cornu Cervi in aqua Scorzoneræ.* A proprietate juvant, ſi *Joh. Forti* fides habenda, *decoctum Centaurii minoris*, & *Smaragdus collo appenſus.* Victus ratio ſit tenuis, & qualis in Malignâ febre, boni ſucci, & facilis coctionis. Vinum in duobus caſibus concedatur, primò ſi vires deficiant, ſecundò ſi apparerent ſigna coctionis, quod utinam eveniat, ſit autem modicum, tenue, & oligophorum, diſponat tamen æger domui ſuæ; vita enim in periculo exiſtit, & nihil vel parum de ſalute ſperandum.

Eventus.

Multa ex ſupra dictis remediis fuere diligenter obſervata, & adminiſtrata, ſed omnia incaſſum, nam die morbi undecimâ à decubitu, ſanctè, ut ſperare convenit, obdormivit in Domino. Secto verò cadavere omnia viſcera ſana fuerunt reperta; evidentiſſimum ſignum, cauſam hujus morbi in humoribus, ac ſpiritibus delituiſſe, ut in Conſultatione fuerat dictum, & pronunciatum.

CON-

CONSULTATIO XXII.

De Febre mali moris.

Pharmacopola ætatis annorum 28. biliosæ temperiei, primò conqueritur de ingenti, ac spontanea lassitudine corporis, inde sequitur horripilatio, & rigor, tandem calor cum siti magna, vigilia, capitis dolore; pulsus est languidus, & sæpè naturali similis; mox animi deliquio afficitur cum stomachi dolore, nausea, ac Diarrhœa; Lingua aliquandò est arida, modò humida; urina cruda. Quæritur quænam sit talis febris, & quibus remediis curanda.

Veram curationem morborum esse illorum cognitionem, docuit *Hippocrates.* Itaque primò considerandа istius febris idea, quæ, meo videri, est febris mali moris, & ferè maligna ratione symptomatum, quia potest decipere Ægrum, Medicum, & Adstantes, & cùm symptomata habeat gravia, eludere potest artis remedia: dicitur autem mali moris, quia similis est homini malo, qui aliud facit, & verbo præ se fert, & aliud in corde gerit. Subjectum istius morbi esse totum corpus assero, cum omnes penè actiones sint læsæ. Hujus febris causa consistit in particulis acribus volatilibus, ac valdè incongruis, quæ compagem totius cruoris solvunt, & destruunt, ut in serosum abeat liquorem, undè particulas has acres esse malignitatis, & effervescentiæ causam febrilis, puto. Lassitudo corporis totius partim dependet à copia humorum vitiosorum, partim à vitio spirituum animalium, siquidem læso sanguine, læditur etiam genuina spirituum animalium generatio, unde functiones animales non ritè peraguntur; Horror autem, & rigor oriuntur ab halitibus acribus partes sensiles lædentibus: Pulsus est languidus ob cruoris corruptelam; undè *Clariss. Sylvius* ait, pulsum minorem fieri ab halitibus acidis ad cor delatis, & Sanguini admixtis. Alvi fluxus oritur ab ipsa sanguinis fusione, & colliquatione, quæ signa profectò febrem mali moris denunciant. Signa prognostica hac in febre sunt dubia; ait enim *Hippocrates*, in affectionibus acutis incertas esse prænuntiationes salu-

ſalutis, vel mortis: Metus augetur in hoc Ægro à gravitate Symptomatum, attamen inter ſpem, & metum verſamur. Ad curationem accedo, & primò Venæ ſectionem excludo, malignitas enim nunquam indicat ſanguinis miſſionem præterquam quod alvi fluxus videtur perpetuum prohibens Venæ ſectionem; & hujus loco cucurbitulæ ſcarificatæ apponi poterunt. Purgantia pariter excludenda tum ratione malignitatis, tum ratione alvi fluxus. Poterit autem uti cordialibus, & alexipharmacis, ut *Diaſcordio Fracaſtorii, Cornu Cervi philoſophicè præparato, Oculis Cancri præparatis, aqua Cordiali Saxoniæ, aqua Scorzoneræ, Bezoar Occidentali, Cornu Rhinocerotis, Confectione de Hyacintho* & aliis hujuſmodi. In hoc autem caſu opiata vitanda ſunt. Victus ſit tenuis, ac potus paretur ex *Emulſionibus quatuor ſeminum frigidorum majorum*, vel *ſero Caprino deſtillato cum cichoreaceis*: abſtinendum a vino, quia delirium poteſt excitare, ac ſulphure ſuo ſanguinem inflammare. Fides noſtri Patientis ſit apud Deum qui ſolus noſtros languores ſanat.

Eventus.

Septima morbi die magno perfuſus ſudore Æger noſter convaluit.

CONSULTATIO XXIII.

De Capitis Dolore pertinaci.

QUamvis Vir Perilluſtris annorum ætatis 45. de cujus adverſa valetudine habita eſt conſultatio, ſatis firma corporis conſtitutione ſit natus, aſſuetus commodâ ſalute frui; duobus tamen abhinc annis dolore capitis vehementi penes dextrum temporalem muſculum primò, mox in occipite afficitur; à quo liberari ſuſpirat. Hæc igitur affectio ſymptoma eſt terrificum propter excellentiam, & dignitatem affectæ partis, cujus officio vita carere nequit: definitur autem à Medicis moleſta quædam, & triſtis ſenſatio partium capitis membranoſarum à ſolutione continui producta: Pars affecta ſunt Pericranium, Meninges cum appenſis

pensis nervis, & membranæ, quæ à particulis salinis irritatæ solutionem continui patiuntur: Causa proxima est ipsa continui solutio: remota verò sunt salino-acres particulæ in lympha, & sanguine hærentes, quæ ad illas partes delatæ, eas suis spiculis pungunt, unde dolor emergit. Quoniam tamen ætas in nostro Patiente consistit, ac viscera incontaminata sunt, ideò curabilis affectus evadit; probabile enim est, peccantes istas moleculas non esse in magna quantitate, ideòque faciliter superandas, ac corrigendas. Indicationes in nostro casu sunt, destruendi scilicet, ac cicurandi has particulas acres, depurandi universam humorum massam, & corroborandi affectam partem.

A Chirurgia igitur primò assumerem venæ sectionem in pede, ac sectionem Jugularis, pariterque appositionem hirudinum hæmorroïdibus; cucurbitulæ etiam, fricationes, & clysteria laudantur à nonnullis Medicis. Pharmacia interim dabit, non omissa tamen priùs communi corporis expiatione, *decoctum Salsæ parillæ*, & *Betonicæ cum extracto ligni Visci Quercini*; non neglectis tabellis interdiù assumendis, præscriptis à *Malpighio in Consult.* & paratis *ex rasura Matris Perlarum*, *Eboris*, & *Antimonio Diaphoretico*. Juvabaut *Emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum*, ut & aliquandò præstabit propinare *bolum sequentem* ad sedandum dolorem. ℞. Laudani opiati, gr. ij, Conservæ Violarum, q. s. Misce fiat bolus, & deauretur. His transactis, & adhuc sæviente dolore, suaderem usum *seri Vaccini destillati cum cichoreaceis* ad multos dies. Blanda etiam pedibus conveniunt balnea parata ex aqua dulci, herbis emollientibus alterata; quod remedii genus non semel profuisse observavi. *Unguento Alabastrino*, & *Populeonis* inungere tempora utile erit. Sunt qui laudant *Verbenam* collo appensam, vel *radicem Plantaginis*. Pectinatio insuper capitis, teste *Gilberto Anglico*, pectine eburneo valet in omni Capitis dolore, ut refert *Forestus*. Circa Victûs rationem, Ægrotus noster abstinere debet à vino, ejusque loco supplebit *aqua Nucerina ligno Visci Quercini* medicata. Quantùm autem fieri poterit, omnes aëris inclementias vitare debet, cibis optimis vescatur, ut sunt *ova recentia*, *carnes Vituli*, & *Pullorum*; ex oleribus, *Asparagi*, *Fæniculi*, *Endivia*, *Borrago* concedi poterunt. Fugiat cibaria concoctu difficilia.

Somnus ſit diuturnus ; alvus quotidie reſpondeat ; & procuretur animi quies : Hæc erant dicenda in caſu noſtri Ægrotantis.

CONSULTATIO XXIV.

De Pervigilio.

EX Litteris, quæ ad me delatæ ſunt, apparet Adoleſcentem ægrotantem, à principio tentatum fuiſſe capitis gravedine, cum ſenſuum omnium quodam torpore, quibus ſucceſſit morboſa ad ſomnum propenſio, ob quam clauſis oculis, licèt ad ſomnum ſe componat, illud tamen capere neſciat, & ſubdelirans apparet ; quare medicam ſuſpirat opem.

Hunc affectum eſſe vigilem comam, vel, ut Medici aiunt, Pervigilium, manifeſtum eſt ; claudit enim oculos, & ſe ad ſomnum componit, & tamen dormire neſcit, nec non adjunctâ febri delirat. Pars affecta eſt corticalis cerebri portio, & poroſitates ſpiritus animales continentes ; hujus enim affectionis cauſſa eſt nimia dilatatio pororum à ſpiritibus animalibus nimis agitatis, & accenſis ; cauſa verò mediata conſiſtere videtur in omni eo, quod ſanguinem attenuat, nimium calefacit, & ſpiritus agitat, ut ſunt omnia acria, & aculeata in maſſa cruoris præternaturaliter graſſantia, quæ non tantùm febrem, ſed ſymptoma hoc peſſimum excitant. Prognoſis nunc accedat, quæ ſolet eſſe in Ægrotis præcipua pars conſultationis. Idcirco cùm vigiliæ in ſenibus ſint curatu difficiles, teſte *Dolæo*, ſic in noſtro caſu, bonus erit ſperandus eventus, quia Pervigilium eſt in Adoleſcente, eò magis quod fatale Tuſſis indicium in ipſo non habemus ; nihil autem certi prædici poteſt, nam monet *Magiſter*, acutorum morborum incertam eſſe prænunciationem ſalutis, aut mortis : Indicationes curativæ erunt, ſanguinem ad naturalem craſim reducere, agitationem ſpirituum nimiam compeſcere, poroſitates cerebri ad propriam figuram revocare, ipſamque partem affectam corroborare. Quibus ut brevi ſatisfaciamus, ad tres Medicinæ fontes deveniendum. Et primò ad Diætam ; cibus ergo ſit facilis coctionis, & tenuis, qualis in acuta febre optimè fuit præſcriptus ab Excellentiſſ. Medico curan-

te::

te: Potus sit *decoctum Hordei*, & *Emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum*, cum modico *seminis Papaveris albi*; & fugienda sunt omnia illa, quæ propellunt sanguinis motum, ejusque consistentiam minuunt, & ipsos spiritus accendunt. Somnus autem omni opera conciliandus est: Alvus lubrica servetur. Ad Chirurgiam, quod attinet, Phlebotomiam in brachio suaderem, cucurbitulas scarificatas, Hirudines sedalibus Venis, & sæpè Clysteres. Pharmacia demum dabit primò *opiata*, quæ tamen cum grano salis (ut dici solet) sunt accipienda, moderatè enim ista sunt applicanda; & tunc spiritus animales impetuosos compescendo aliquid levaminis afferent: poterit ergo exhiberi modicum *Laudani opiati*, id est *ad grana duo* tantùm; mox sumenda erit *gelatina Cornu Cervi*, *serum Caprinum destillatum* cum *cichoreaceis*, *aqua Hordei destillata*, *pulvis Oculorum Caneri præparatorum*, quæ acrimoniam humorum, & nimiam spirituum motionem compescunt. Externè laudo *Aquam Rosarum cum Croco*, & *Lac Muliebre temporibus applicandum*; Pedes etiam in tepido balneo detineri poterunt, in quo prius bulliti sint *flores Chamomillæ*, *Malvæ*, *Violarum*, & *capita Papaveris*; *Dolæus* Indusium ex aqua frigida madidum Ægro imponendum laudat, quod Ego in nostro casu non experirer, ne transpiratio impediretur. Cæterum Adolescens noster animo sit constanti, & læto, & benè de valetudine speret, quæ ut illi quamprimum contingat Deum precor.

Eventus.

Proposita auxilia omni studio administrata fuere, at magno superveniente delirio cum tussi, & singultu die decima quarta mortuus est Æger.

CONSULTATIO XXV.

De Phrenitide.

HOnesta Mulier ætatis annorum 31. post partum non benè purgata, in febrem acutam incidit cum gravi delirio; qua-

re tanquam Phrenitis vera judicata hæc affectio est à Medico suo ordinario. Parentes me in consilium vocant, ut opem medicam Patienti feram; quamobrem sensum meum ad Ægrotantis salutem propono.

Licèt posset dubitari, an febris mulierem nostram vexans sit essentialis, an verò symptomatica: ego brevi me expedio, & hanc febrem utriusque conditionis existimo, nam esse febrem ardentem certum est, quia autem inflammatio in cerebro adest, ideò etiam essentialem Phrenitidem in hac Patienti dari firmiter puto. *Avicenna* enim Phrenitidem Apostema Cerebri vocavit. Definiri autem, seu, ut melius dicam, describi potest hic affectus, inflammatio membranarum Cerebri febrem acutam, & mentis alienationem continuam inducens, ut plurimùm ab excandescentia, & accensione spirituum animalium dependens; ideóque pars affecta erit in primis globosa cerebri pars, cum suis membranis. Causa istius magni morbi dependet à sale volatili acri in sanguine prædominante, atque spiritibus se admiscente, ex quo & inflammatio in cerebro habetur, & læsio memoriæ, phantasiæ, ac imaginationis; quemadmodùm etiam innuere videtur Batavorum Medicorum Decus, & splendor *De le Boë Sylvius.* Nunc sub jungenda est Prognosis, ut consuetam consultationis methodum servemus, quarè cum *Tralliano*, *&* *Joh. Forti*, acutissimum & periculosissimum hunc morbum esse assero; etenim essentialiter læduntur instrumenta principalium operationum, immò princeps corporis, id est Cerebrum læditur; quin augetur etiam periculum à febre ardente, & continua: Inspiciendæ autem erunt diligenter urinæ, si enim istæ albæ erunt, & perspicuæ, teste, *Hippocrate, Aphor.* 72. *Sect. IV.* morbus hic erit pessimus; sicuti malum, & lethale erit, si Ægra nostra floccos, & festucas carpat; si autem somnus sedaverit aliqualiter, vel saltem minuerit delirium, bonum erit & quia congruis, ac opportunis remediis utendum est, & ætas Patientis consistit, ideò salus speranda erit; quam ut brevi assequamur, indicationes prius examinandæ sunt, videlicet febrilem æstum temperare, sanguinem à sale volatili acri liberare, & humores ad partes affectas fluentes revellere, ac revocare; pravis symptomatibus occurrere, ac tandem Cerebrum ipsum corroborare;

re; quæ omnia, & singula, ut celeriter habeantur, ad tria Medicinæ Practicæ brachia recurrendum, sine quibus in Arte nostra nihil. Ex Chirurgia igitur *clysteres ex lacte* & *saccharo* sumi poterunt, sicuti venæ sectiones in brachio, & pede, immò in jugularibus venis: Frictiones, & cucurbitulæ scarificatæ dorso appositæ erunt proficuæ; pedum quoque lotiones in usu venire possunt: Ex Pharmacia sumi poterunt *Emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum* factæ S. A. *in aqua Endiviæ* cum modico *Sacchari*; Aquas essentiales ex succis *Cichorei*, *Acetosæ*, & *Anguriæ* destillatas commendo pro assiduo potu. Sequens mixtura cochleatim, & per intervalla usurpanda erit, nempè ℞. *Diascordii Fracastorii*, ʒ. ij., *Confectionis de Hyacintho*, ʒ. j. *Syrupi de Papavere*, ℥. j. *aquæ Plantaginis*, *&* *Betonicæ*, *ana*, ℥. ij. *Misce*. *Pulveres etiam oculorum Cancri præparatorum* utiles erunt, sicuti *Margaritæ præparatæ*, *Stibium Diaphoreticum & sal Prunellæ* nec non *Gelatina Cornu Cervi*, unà cum *conservis Tunicæ*, *Violarum*, & *Betonicæ*. Poterit etiam exhiberi ad somnum conciliandum *Laudanum Nepenthes Quercetani ad gr.* ij. *cum Conserva Rosarum q. s.* ad conficiendum bolum auratum. *Felix Platerus Gallinam* per medium dissectam tepentem, & adhuc cruentam vertici capitis impositam laudat, quod remedii genus expertum vidi in quodam Reverendo Sacerdote: Ego tamen istud propono, verùm non laudo, nec vitupero; cùm hoc sit ex illis medicamentis, quibus mihi est pauca, vel nulla fides. Quibus omnibus victus ratio tenuis, refrigerans, & humectans addatur; & D. O. M. præsto sit.

Eventus.

Multa ex propositis remediis fuerunt adhibita; sed incassum, undecima enim morbi die Syncope superveniente, unà cum nonnullis convulsionibus, & singultu, honesta hæc Mulier interiit.

CONSULTATIO XXVI.

De Apoplexia in Paralysim terminata.

HOneſtus Civis ſexagenarius, boni corporis habitus, duobus abhinc annis vertigine corripi incepit, cum magna propenſione ad ſomnum; tandem menſe Februarii dùm à Cœna ſurgeret, corripitur ſubitâ ſensûs, & motûs privatione, cum omnium principum operationum abolitione, nec non magnâ reſpirationis læſione, & mediocri ſtertore: accerſito Medico repetita fuit ſanguinis miſſio, cum aliis remediis: poſt noctem veluti à ſomno expergefactus, imperfectè loqui incepit; lævum brachium ſine motu obſervatur, cum modica oris tortura. Auxilium nunc petit.

Subitam privationem motûs, ac ſensûs, cum reſpiratione læſa, & principum operationum abolitione, quæ huic noſtro Ægro accidit, Apoplexiam dicunt Medici, & Siderationem jam vocavit *Hippocrates*: hujus morbi præſagia fuêre affectus vertiginoſi, qui fere ſemper anteire ſolent apoplexias. Proximam hujus affectionis ſedem Cerebrum, ac nervos, & ſpinalem medullam eſſe, certum eſt; *Carteſius* dicit eſſe canaliculos ſpirituum animalium. Hujus morbi cauſa eſt obſtructio nervorum à materia viſcida, ut poteſt eſſe ſanguis ineptus coagulatus, & narcotico ſpiritu repletus, vel lympha craſſa, quatenus hæc extravaſata poros Cerebri, & nervorum obſtruere poteſt, à qua obſtructione ſpirituum animalium influxum tolli certum eſt.

Paralyſis verò præſens à defectu ſpirituum animalium in muſculis derivat. Accedamus nunc ad Prognoſim, & primò notandum, hunc morbum curatu difficillimum eſſe, & maximè ſi paralyſis confirmetur, & in primis, cùm ab Apoplexia ortum ducat; immò timendum, ne recidivam patiatur Æger, idcircò exacta debet eſſe Medicorum diligentia, ne revertatur Apoplexia. Ut autem recta hujus morbi curatio habeatur, primò obſervandæ ſunt indicationes, quæ meo judicio, ſunt reſtituere influxum perennem

ſpiri-

ſpiritibus animalibus, materiam illam craſſam, ac obſtruentem tollere, & Cerebrum, ac partem affectam corroborare, quibus intentionibus, ut ſatisfiat, à Chirurgica claſſe nulla eſt depromenda ſanguinis miſſio; quoniam in maſſa cruoris vitium non eſt; paralyticæ tamen parti frictiones quotidianæ ſunt exercendæ ad promovendum influxum animalis ſpiritus in partem. Nunc ad Pharmaciam tranſamus, & primò præparantibus utendum, ut ſunt *Acidum Citri conditum*, *decoctum radicis Ireos*, *Florum Salviæ*, *Stœchados* per tres dies; indè lenitivo aliquo blandè alvus ſollicitanda erit, lenia enim purgantia in noſtro caſu fortioribus eſſe præferenda docuit etiam *Dolæus* experientiâ edoctus. Sic præmiſſis univerſalibus, ad ſudorem promovendum me converterem, ope decocti *Salſæparillæ optimæ* manè ſumendi in lecto *ad unc.* VIII.; indè ſtragulis benè contectus ſudationem expectet; deindè præſcribatur uſus *limaturæ Cornu Cervi bullitæ in juſculo Pulli chalybeato*, *&* *alternato cum floribus Primulæ Veris*, *&* *Betonicæ*, cui addatur *pulvis ſtibii Diaphoretici*, *&* *pulvis Viperinus*. Pro capite verò, & toto nervorum genere, roborantia in uſum erunt ducenda, ut ſunt *Conſervæ capitales* ſub ingreſſum lecti *ex floribus Roris marini*, *Salviæ*, *Pœoniæ*, *Primulæ Veris*, *Betonicæ*. Hinc topica non ſunt negligenda, & pars affecta inungi poterit *Oleo Vulpino*, *Succini*, & *aqua Vitæ camphorata*. *Epiphanius Ferdinandus* apud *Burnetum* admovet Urticas pungentes, quod remedii genus propoſitum fuit antiquis temporibus à *Celſo*, & teſtatur Deum *citatus Ferdinandus*, ſe hoc remedio pluries uſum fuiſſe ſemper magna cum felicitate, & nunquam votis eſſe deceptum. Vinum pro menſa medicatum reddatur *Viſco Quercino*, & *Saſſafras*; cum cibo aſſumat *pulverem oculorum Cancri*, & *decoctum herbæ Theè*; & ſi abhorerret à vino, uti poterit *aqua Nucerina Cinnamomo correcta*. Sequens remedium laudatur à *Dolæo*. ℞ Aquæ Ceraſorum nigrorum, Salviæ, ana, ℥. ij. Epilepticæ Langii, ʒ. VI. extracti Chamæpytios, Chamædrios, Caſtorei, *ana*, ʒ. *ſemis*, Elixir. Cephalici ʒ. j, Syrupi de Stæchade ℥. j M. & hujus mixturæ capiat Æger duo cochlearia pro vice.

Quod attinet ad victus rationem; carnes laudo aſſas, & cibos boni ſucci *Roremarino*, *Salvia*, & *Majorana* conditos: vitentur autem

autem faliti, fumo indurati, & acidi; abfit omnis vehemens motus; fomnus fit moderatus; vigiliæ autem nimiæ nocebunt, iftæ enim animales exhauriunt fpiritus, & cerebrum, totumque nervofum genus debilitant; hilaritati ftudeat nofter hic Patiens, ex qua vividiores, & fubtiliores particulæ falinæ volatiles, & oleofo-balfamicæ in cruore humano gignuntur, ex quibus animales fpiritus fiunt, qui nihil aliud funt, quam fubtiliffima fanguinis pars, feu, ut ità dicam, ipfius maffæ fanguinis flos. Exulent curæ omnes, mœrores, triftitiæ: novi enim virum quendam ex mœrore folo in pertinacem incidiffe paralyfim, quæ ad ultimum ufque vitæ fuæ diem perfeveravit. Frigidum aërem fugiat, juxtà illud vulgatum, *frigida nervis inimica.* Pauca hæc indicabam pro falute noftri Ægrotantis, cui omnia bona à D. O. M. ex corde precor.

CONSULTATIO. XXVII.

De Catarrho.

QUanquam cafus Illuftriffimi Viri fatis eleganter ab Excellentiffimo Domino fuerit pertractatus, ut mihi potius tacendum, quam loquendum videretur; ne tamen omninò inutilis videar: Primò examinabo naturam morbi, quo afficitur Vir Illuftris, annorum 60: fecundò an affectus ifte fit fanabilis: tertiò demum quibus remediis. Igitur dico morbum hunc Catarrhum effe, feu defluxum humorum à capite, cerebroque in fubjectas corporis partes: definiri poteft extravafatio lymphæ, feu feri vitiofi in capite ob moram ibi magis acefcentis, & fe coagulantis. Partes affectæ in hoc morbo funt, cerebrum, glandulæ, & vafa lymphatica. Caufa non fuppeditatur immediatè à cerebro, fed à fanguine, & aliis fluidis; ab iftis enim humoribus, aquea pars acrimonia, falfedine, & aciditate peecans, ruens ad cerebrum, & alias partes capitis, morbum, hunc Patientem afficientem, excitat. Poft caufam fecundo loco videnda Prognofis, & dicendum, quid de hoc morbo prædicendum: Si igitur per nares diftillet ferofus, ac lymphaticus humor, leve erit malum, & citò definet;
fi

si autem in fauces migret illud excrementum, malum erit, & pejus si in pectoris partes descendat, & praesertim in pulmones: si autem diu perduraverit haec affectio, periculum esset, ne in Anginam, vel Paralysim, aut Surditatem, quod tamen Deus avertat, Æger incideret: & si iste catarrhus evaderet suffocativus, tunc vitae minaretur periculum. Antequam autem ad curam deveniamus, indicationes sunt inspiciendae, quae in nostro hoc casu videntur esse; educere has excrementitias humiditates per loca conferentia, humores ad statum naturalem accommodare, atque cerebrum, & omnes affectas partes corroborare; quibus ut satisfiat: Cibus in hoc affectu sit concoctionis facilis, & bonum succum generans, ut verbi gratia sunt *ova recentia*, *carnes Gallinae*, *Vituli*, & *Pullorum*: & notandum meliora esse assata cibaria, quam elixata: Moderata sit alimentorum quantitas, & coena sit levis. Fugiat Æger à cibis viscidis, crassis, & concoctu difficilibus, quia isti augent saburram humorum, & spiritus obnubilant: Potus verò sit moderatus, quod si tenuis fuerit, ac defaecatus, sibi similem gignet cruorem. Aqua putealis fugienda, suadente *Dolaeo*: somnus sit moderatus, nec meridianus: Alvus lubrica servetur; & hilaritati studeat Ægrotus noster. Quoad Chirurgiam, clysteribus frequenter utendum erit, quia humores naturae obedientes reddunt, & corporis sentinam eluunt: Frictiones sint in usu, sicuti poterunt juvare cucurbitulae scarificatae dorsò imponendae, immò Venae sectio in cephalica brachii dextri non erit inutilis. Ad Pharmaciam demum ut gradum faciamus, primò communes vias sollicitare conveniet *Potione ex Manna clarificata ad uncias sex*; *Conserva Rosarum* sub vesperam sumenda ad semiunciam qualibet die laudatur à *Joh. Bapt. Montano*, & Ego non inutilem esse usum assero: sequentes rotulas *Joh. Zecchius* praescribit, quas optimas esse in quodam Rever. Sacerdote expertus nuper fui ℞. *Diatragacanthi frigidi*, ℥.ij. *boli Armenae*, ʒ. i. *terrae sigillatae*, ℈. j. *syrupi de Papavere*, *q. s. Misce. Fiat massa*, ex qua formentur parvae rotulae S. A. ore detinendae: *sperma Ceti in aqua Hyssopi* solutum poterit exhiberi. Si autem adhuc morbus perseveraret, confugerem ad usum decocti *salsae parillae*, *ligni quercini*, *sassafras*, *santali Citrini*, *liquiritiae* quotidie sumendi, ante cibum mane jejuno stomacho, &

hoc ad viginti dies. Quod si tractu temporis Catarrhus iste ad salsum tendat, tunc accedente Maio consulo ut bibat *lac Asinæ* cum pulvere *sacchari* inchoando *ab* ℥. iv., & paulatim ascendendo usque *ad lib.* j. Epoto autem lacte non erit indormiendum, neque exercendum corpus: Usum *pilularum de Cynoglossa* non respuo, saltem semel in hebdomada. Atque hæc omnia in salutem Illustrissimi Domini nostri Patientis Deo concedente cedant.

Eventus.

Pauca ex remediis propositis ad usum adhibita sunt, & Deo adjuvante intra mensem pristinæ sanitati revocatus est Æger.

CONSULTATIO XXVIII.

De Catarrho.

NObilissima Mulier Vidua, annorum ætatis 63., post varias in ratione victus commissas culpas, dolore capitis primò afficitur, mox Catarrho cum Tussi assidua, crassam materiam frequenter excernens cum difficili respiratione; parùm urinæ secernit, febriculâ accedente sub vesperam, & Tussi nocte magis exacerbatur; nunc à me petit auxilium.

Malorum penè omnium, quæ hominibus accidunt, caput, & radicem esse, ait *Hippocrates*, Catarrhum; vix enim adest corporis pars ab eo immunis, & quæ ab eo non afficiatur; sic aures, oculi, nares, pectus, fauces, brachia, glandulæ, & aliæ corporis partes à Catarrho læduntur, ex quo Apoplexiæ, Paralyses, cœcitates, Surditates, Orthopnœa, Tusses, Raucedines, Arthritis, alvi profluvia, & aliæ oriuntur affectiones: & latè sumptus Catarrhus dicitur è capite versus inferiora defluxio: strictè verò definitur, quod sit humoris excrementitii à capite defluxio in palatum, os, ac pulmonem. Causa materialis est lympha crassa interdum insipida, vel acris, acida, & salsa; separatur verò hæc materia in capite, quæ modò tendit ad nares, & Coryza dicitur,

tur, modò ad fauces, & Branchus vocatur, modò ad Pectus, & appellatur Catarrhus, ut in casu præsenti; hinc Poëta cecinit.

Si fluat ad Pectus dicatur Rheuma Catarrhus,
Ad fauces Branchus, ad nares esto Coryza.

Fit autem ista destillatio cum ebullitione febrili, quæ febris Catarrhalis dicitur, dependens à lympha vitiata in glandulis in cerebro existentibus; tanquam à causa antecedenti ortum habet ab alimentis frigidis, & ab aëre frigido, tum ratione temporis hyemalis, tum ætatis senilis. Quoad Prognosim: Catarrhi, illiusque dolores interdum de facili, interdum difficulter sanantur. Convenit in Catarrhis viscidis decoctum ex *ligno Sassafras*, *Guaiaco*, *Serpillo*, & *Roremarino*, ut in nostro casu, mane jejuno stomacho. Ne autem lympha in Thoracem præceps dilabatur, & spiritum intercludendo suffocet, fluxio erit inhibenda, vel clysteribus, vel extremarum partium frictione, cucurbitulis, pedum lotione. *Pilulæ ex Succino Cratonis* adhiberi possunt. *Conservas Rosarum*, *species Diamargarit.*, *syrupum de Althæa*, *& pilulas sequentes* commendo: ℞. *Thuris Masculi*, *succi Liquiritiæ*, *anam* ʒ., *Opii*, *croci*, *Myrrhæ*, *ana*, ℈. *i*. *Misce cum syrupo Papaveris albi fiant Pilulæ parvæ S. A.* sicuti rotulas sequentes cum fructu exhibere convenit. ℞. *Pulmonis Vulpini præparati*, *florum sulphuris præparatorum*, *ana*, ʒ. ß. *Conservæ Rosarum*, ʒ. *i*. ß. *Pinearum recentium*, *Amygdalarum mundatarum*, *ana*, ʒ. *i*. *Sacchari penidiati dissoluti in aqua Tussilaginis*, *ana Q. S. fiant S. A. Rotulæ*. Inungatur pectus *oleo recenti Amygdalarum dulcium*, *Butyro*, *& adipe Gallinæ*; & consulo, ut Ægra nostra sæpè assumat *oleum Amygdalarum dulcium recenter expressum*, quod magnis laudibus extollit *Joh. Masseneau* Amicus noster suavissimus in sua *Medic. & Chirurgia natur. cap. 7*. *Aqua tepida cum saccharo* mixta frequenter assumpta levamen affert. Caput, & Thorax diligenter pannis muniatur; evitetur aër ventosus, pluviosus, & frigidus, caveat Solis, & Lunæ radios, hi enim Catarrhum multiplicant; & inter omnia provocetur Urina, hæc enim plurimum levaminis afferet. Somnus sit nocturnus, diurnus siquidem est malus; carnes

ſint facilis coctionis; panis ſine ſale, & benè fermentatus, evitetur caſeus; ova ſorbilia bona ſunt; arceantur aromata, & potus ſit *aqua Hordei cum modico ſacchari cum ſemine Coriandri decocta*; & ſi vinum deſideret, ſit medicatum *radice Chinæ*. Interim D. O. M. huic noſtræ Mulieri Nobiliſſ. præſto ſit.

Eventus.

Nonnullis iſtorum remediorum applicitis Nobilis hæc Fœmina in bonum ſtatum fuit redacta.

EPISTOLA CONSULTATORIA
V. CL. JOH. PAULI FERRARI.

De Mania.

Juvenis ætatis Annorum vigint iquinque; temperamenti calidi, & humidi cum melancholiæ ſubdominio, ſtructuræ; & habitûs mediocris; ſtudiis, & literis vehementer applicatus, Anno præterito capitis oppreſſione vexatus ad modum catalepſis, incidit in ſomnum, & per plures dies dormivit, tranſactis etiam duobus integris diebus antequam oculos aperiret, nec quidquam per os ſumeret; poſteà evaſus, & expergefactus clamabat fortiter, objurgando minis, & percuſſionibus Famulos, qui ejus ſervituti addicti ſtabant; ad inſtar delirii, ſine febre; neque diebus ſubſequentibus de tranſactis incommodis, & tragœdiis recordabatur; ſtipticitate alvi adeò laborat, ut niſi per clyſteres fæces ſubducere poſſit, cibum tamen benè appetit, & comedit; in cæteris operationes ejus ſunt ſine regula, quia aliquando expergefactus prudenter diſcurrit, & operatur, aliquando verò ſine recta methodo dicit, & agit; & iterùm incidit in ſoporem.

In tantis verò diſcriminibus à diverſis Medicinæ Profeſſoribus præſcripta fuerunt varia remediorum genera, eundem purgando cum *Electuario lenitivo*, *Caſſia*, *Syrupo roſato ſolutivo*, *Dia-*

ſenna,

senna, & similibus, pro primarum viarum expiatione, postea cum refrigerantibus fervorem sanguinis compescendo cum *Emulsionibus seminum Peponum*, & *Aquis Nucerianis*, necnon per nonnullos dies cum *syrupis ex Papavere albo*, & *Laudano Nepenthes Quercetani* eumdem detinuerunt; *Vinum emeticum* paraverunt, & *Laudanum liquidum cum sale Saturni* per multas vices præbuerunt; Vesicantia, & iteratas sanguinis missiones, tam ex Venis majoribus quam ex hæmorrhoïdalibus addixerunt; super caput lactis stillicidium, postea columbum illicò exenteratum miserunt; in balneo aquæ dulcis collocaverunt, in quo cùm magis caput gravaretur, ab eo recedere opus fuit; nuper *Jus*, in quo *cancri fluviatiles* fuerunt decocti exhibuerunt; alia etiam remedia dederunt, quæ dinumerare inutilis labor videretur; Nunc modò dormit, modò ambulat, modò discurrit; modo bene, modò malè; & quod pejus est, tali urinæ profluvio laborat, ut in dies suprà quindecim libras mingerit, urinæ inconcoctæ, & aqueæ, licet non attingat quartam partem humidi, pondus librarum trium, ponderato humido per calculum, de quo tam in cibo, quàm in potu nutritur; cum propensione ad Diabeticum fluxum (quod Deus avertat.)

Curiosas nullibi magis suas pompas ostentat Natura, quam in humani capitis contemplatione, in quo cùm adsit sedes animalium spirituum, eos admirari, & credere opus est, tanquam Divinæ Omnipotentiæ miraculum, quia eos affatim perscrutari mentis nostræ nativa imbecillitas non permittit; sed quia tentamina etiam in arduis rebus generosum ostendunt animum, horum diram affectionem in dicto Dom. Ægrotante bonum duxi meditari, ut è sapientissimorum Medicorum sententiis ingenio meo tam rudi lumen evinceretur; gloriam semper dando Deo ter Maximo, & optimo, & illis, qui aurato calamo magis promptè scribere parati erunt pro tam ferali morbo extirpando; eo maximè, quia ea semper fuit Literariæ Reipublicæ consuetudo, & libertas, ut quibuscumque Medicinæ cultoribus liceret, absque vituperationis nota, sui animi sensus liberè proferre, ubi præsertim de re tam gravi, & urgenti agitur, qualis est consideratio humanæ vitæ servandæ, & nos me herculè plaudere debemus felicitati hujus nostri sæculi, quatenus servilis credulitatis excusso jugo, ad liberioris

Philosophiæ cynosuram Medicina suos dirigat rationum cursus.

Autumarem Domini hujus Patientis incommoda oriri à depravatione fermentorum nimia aciditate redolentium, qua ablata volatilizatione massæ sanguineæ, succedit quædam concretio humoris viscidi, quo irretita massa spirituum animalium per cerebri Emporium discurrentium tardè, & sine regula erumpit eorum motus, & sic invincibilis somni necessitas evenit, juxtà doctrinam *Hippocratis* Medicorum omnium Magistri, & Antesignani dicentis, *IV. de Loc. Affect.* 2. quod *spiritus animalis est primum animæ instrumentum in cerebri Ventriculis contentus ad sensum, & motum in universam corporis partem transmittendos procreatus*; cum quo consentiunt, & concordant cæteri Auctores, qui determinant, somnum pendere ab obstructione nervorum, & pro majori parte eorum, qui motui spontaneo inserviunt. In somno enim sensus feriantur, & motus membrorum pro majori parte intermittit, & sicuti sensus, & motus vigent per spiritus implentes nervorum ductus, ità ii non possunt intermittere, nisi impedito influxu spirituum in nervos, & hoc impedimentum nisi in obstructione eorumdem nervorum potest inveniri, quod videtur confirmari ab experientia, ex eo quod in somno nervi fatiscunt, & concidunt, genua, & brachia labunt, quæ accidentia nervorum impotentiam ad membra regenda ostendunt; prout eximiè scribit *Thomas VVillis in Neurologia.* Dependenter itaque ab impedito spirituum transitu per obstructionem in organa motus, prædictus somnus succedit ab obstructione contumaciori eorumdem nervorum, qua motus, & sensus longiori tempore coguntur intermittere, præter naturæ leges.

Hæc igitur obstructio, aliquandò fit, cùm materia segregata, naturæ errore, in substantiam cerebri deponitur, forsan quia pori Cerebri materiam absorbent; aliquandò verò producitur ab usu narcoticorum, quia soporosorum omnium causa deducitur ab acido figente, & coagulante, prout in præfato Domino licet suspicari ob nimis longam applicationem studiis, propter quam defatigata, & depauperata spirituum animalium conditione, etiam animæ vitalis potentia læsa fuit, juxtà commune assertum Docto-

rum

rum dicentium: *Spiritus animales à vitalibus generari.* Obstructis itaque nervorum principiis, spiritus rectè intrudi non possunt, undè ex impedita eorum intrusione, de consequenti etiam impeditur eorumdem generatio, secundùm oraculum sapientissimi *Marcelli Malpighii* olim Magistri mei semper colendi *in tractatu de Cerebro.* Aliquando verò fit obstructio in nervis, quia sanguis è Venis absorptus coagulatur, & incrassatur ab acido coagulante, propter deficientiam caloris, per quam tardè movetur, undè inservit pro impedimento sanguini advenienti ab arteriis, qui cùm liberè transire non possit, diffunditur per substantiam Cerebri, & regurgitatione sua prohibet transitum spirituum, prout docuit eximius Doctor *Pompeius Saccus* æterna laude dignus, *in Irid. febr. 95.* & hoc pro causa somni invincibilis assignatur à *VVillisio* in principio febrium invadentium cum rigore, propter sanguinis coagulationem.

In hoc casu verò obstructio nervorum non est totalis, nec omnimoda, sed est talis, quæ recipit aliqualem numerum spirituum, non tamen sufficientium ad obeunda munia vigilantium, quia præfatus D. Comes vocatus sentit, ac punctus se movet, distendit, & contrahit, quod signum est spiritus fluere in aliqua copia, taliter solummodò diminuta, ex qua sequitur obstructio nervorum Cerebri, per quam impeditur transitus eorumdem spirituum, ex quo impedimento reflexi de novo concentrantur; & hæc est ratio, qua cognoscitur impedimentum in poris Cerebri in nostro Domino Ægroto, quià aliquando benè, aliquando confusè, & sine methodo agit; dum spiritus animales per porositates Cerebri oberrantes huc, & illuc moventur, & impelluntur ad organum sensus cum perceptione variorum objectorum; Motus namque fibrarum ab objecto procedens quò est vegetior, & sensibilior in organo sensus communis, eò ejus perceptio est magis distincta, undè aliquando distinctè, aliquando confusè agit. Præter motum objecti sensus organo impressum, & traductum ad aliud sensus communis, & communicatum fibris cum prædicta dispositione, alius datur motus organi sensus communis versus principia nervorum, cui supereminet copia spirituum animalium illuc confluentium, undè ad determinatum nervum impelluntur pro

pro motu partis ei correſpondentis, & anima, in qua cognitio latet, eſt directrix hujus motus; ſicut concordes ſcribunt Doctores utriuſque Scholæ.

Hinc patet conditio hujus acidi in noſtro Domino Ægroto, quia benè comedit, & cibum petit; *Appetitus, & famis ſenſatio fit, quia acidum auſterum vellicando fibras nerveas Ventriculi, corrugationem in eas inducit, & ſic producitur famis ſenſatio; ſuavitas verò comeſtorum percipitur, dum fibræ Ventriculi, & Linguæ ab humore acido, & auſtero contrahuntur, & adſtringuntur, ita ut à quolibet motu, & a qualibet figura particularum moveri, & penetrari non poſſint, motu patiente titillationem, in qua conſiſtit ſuavitas comeſtorum reſpectu Ventriculi.* Sic docebat egregius *Pompeius Saccus* Præceptor meus triplici Corona dignus.

Cauſa verò erroris actionis benè, vel malè factæ, modò ritè, modò confusè, pendet ab eodem acido degenerante, ex quo alteratus motus ſpirituum in Cerebro, modò veras, modò falſas ideas præconceptas admittit, benè, & malè cognoſcendo, undè evenit libertas ſpirituum quando benè cognoſcit, & confuſio eorumdem quando inordinatè agit, quia aliquando motus ab objecto impreſſus alteratur per propriam conſtitutionem nervorum, quando namque motus fit velocior, vel tardior, undè magis, vel minus penetret, quam conveniat motui objecti, & dum ratio motus non eſt ex toto conveniens, confuſam de eo parit cognitionem, & obſcuritas ſpirituum inſurgit, quia ut dicebat *VVilliſius in Pathologia Cerebri: perceptio imaginationis confuſa ſequitur cum inadvertentia, pro conferendo inter ſe omnes notiones perceptas de objecto*; neque revocari poſſe in dubium hoc documentum puto, quia in tali notione confuſa aliquando exiſtens imaginatio Domini Ægroti percipit res cum inadvertantia aliter ac ſunt, maximèque quando connexionem habent cum aliquo præjudicio, vel paſſo, vel ab eodem ſuppoſito, quia tunc moventur ſpiritus quidam uniti cum illis ſpiritibus motis ab objecto, & cum tali modificatione, quæ eſt apta ad movendam imaginationem ad percipiendum aliqualiter detrimentum, vel paſſum, vel mediatum, undè quodammodò cogitur mens concipere res connexas cum præjudicio, & per conſequens animus affectus mœrore ducitur ad confuſionem.

Hoc

Hoc pleniſſimè confirmatur à Philoſophis omnibus dicentibus, quod anima amans, vel timens aliquod objectum, vel illud appetit, vel abominatur; ideòque ſemper movet influxu ſpirituum fibrillas illas, in quibus primò impreſſa fuit modificatio repræſentans talia objecta cum impulſu in organum ſenſus communis, ex quo impulſu cogitur percipere tale objectum, quia movetur motu illi ſimili, quem motum recipit à ſenſibus externis in prima perceptione talis objecti, quamobrem hic motus, ſive continuus influxus ſpirituum producitur ab anima, quæ ardenter amans objectum, cum illo optat uniri, ſicuti celeriter ſatagit fugere ab eo quod timet, & propter hanc cauſam, & propter hunc continuum influxum, ſemper via aperitur ab Emporio ſpirituum, ad tangendam, & movendam dictam fibram, ut etiam anima non impellente ſuccedat influxus prædictorum ſpirituum, à quibus actio confuſa producitur, & hoc unanimiter admittunt omnes Doctores tàm Veteres, quàm Neoterici.

Modò dicam de ſtipticitate, ſive alvi inobedientia, qua laborat Dominus Ægrotans, & reor eam pariter pendere à prædicto acido ad auſteritatem inclinante, quia ut ſcribebat doctiſſimus *Ettmulerus de acid. auſter. Fæces condenſantur, & adſtringuntur ex vitio acidi, vel Stomachici, vel Pancreatici in Inteſtinis prævalentis, eo magis quando acidum eſt auſterum.* Compertum eſt enim omnibus Medicinam colentibus, quod bilis, & ſuccus pancreaticus, ſicut ſeparant cremorem nutrititium ab excrementis, ita ſimul eiſdem excrementis certam conſiſtentiam tribuunt, ſecundùm quam, nunc magis, nunc minus ſunt fluxibilia, undè ſicuti abundans alcali oleoſum bilis diluit fæces, & fluxibiles facit, ita acidum vel Stomachi, vel Pancreatis vitioſum, aut nimium, aut auſterum, fæces nimis coagulat, & indurat, quia ab eodem acido impeditur activitas bilis oleoſæ facientis ad mollitiem fæcum, qua de cauſa, acido prævalente, fæces indurantur, & diutiùs ſubſiſtunt in Inteſtinis, quod expreſſè docuit *Sylvius de le Boë de offic. acidi* cum multis aliis.

Hoc ipſum acidum auſterum hoſpitans, & abundans in corpore Domini Ægroti, ſi eſt cauſa præjudiciorum hucuſque examinatorum, eſt etiam in cauſa copioſæ urinæ aqueæ, & crudæ, quam prædictus Dominus mingit, ex quibus ſuſpicandum eſt de ejus vitæ pericu-

lo, eo quia rationabiliter infertur, quod sit subsecutura major laxatio vasorum, sicut in Diabete evenit, quod esset teterrimum Naturæ excidium, quoniam per copiosam urinæ dejectionem dissipantur partes balsamicæ massæ sanguineæ, undè parva remanet substantia, & etiam imperfecta, & hoc habetur ex *Hippocratis* oraculo sic monente *Aphor.* 72. *Sect. IV. Urinæ albæ, & perspicuè malæ*; & alibi etiam docuit idem Magister, quod *Urinæ crudæ, & aquosæ vappidam reddunt sanguinis massam*; & ratio patet, quia arguunt in eadem massa sanguinea colluviem serositatis excedentis; à qua de consequenti generatur salsum fermentum, à quo particulæ balsamicæ sanguinis corroduntur, de quo penitus dubitandum est, quia omnes scholæ, tàm Veterum, tàm Recentiorum admittunt, & statuunt, quod *serosa colluvies nascatur à salso fermento recepto in massa sanguinis, in qua omnes partes balsamicas depopulatur, easdem corrodendo, & dividendo, adeò ut sic divisæ, & attenuatæ producant copiam urinæ aquosæ, & crudæ, relinquendo illam humiditatem, cui secundum majorem molem uniebantur, & colligatis per dictam humiditatem pluribus particulis massæ sanguineæ, derelinquatur corpus humiditatis, & separetur, deperdito unientis officio.*

Quibus breviter tactis, & consideratis, apparet periculum vitæ Domini Ægroti; Primò quia *Hippocrates* ipse fatetur, quod somnus longus semper sit malus, quia modum excedit, prout legitur apud eum *Sect.2.Aph.3. Somnus, atque Vigilia, utraque, si modum excesserint, malum*; Deindè quia accidentia, quæ morbo adjiciuntur, sunt exitiosa, & prava, quibus curatio perdifficilis redditur; Attamen si D. Ægrotans remediis obtemperabit, spes assurgit futurum iri, ut (Divina dante clementia) primævæ sanitati restituatur; pro qua impetranda, opus esset sanguinem dulcificare cum eis, quæ acidum corrigere nata sunt, ut austeritas tolleretur, & dulcedo toti massæ sanguineæ conciliaretur; quia cùm sit verum, quod *dulci nutrimur*, teste *Galeno de tuenda valetudine.* 1. expedit in primis dulcem nutritionem promovere, quòd posset assequi cum usu decocti facti in ventre *Columbi veteris cum lignis Corylo, Lentisco, Ebeno, Visco Quercino, Santalis, Sassafras, summitatibus Pini*, & similibus, secundum *Hoffmanni* descriptionem, in quo persistendum esset per mensem, sumendo in Aurora ejusdem decocti uncias octo; & ante prandium laudarem dra-

drachmam semis *perlarum orientalium* præparatarum sine acido, ut stomachi acidum imbiberetur, & ligaretur; sero verò hora una ante cœnam propinarem scrupulum semis *pilularum antimelancholicarum à Fischero* præscriptarum, quibus summa facultas conceditur pro extirpanda acidi austeritate; Deindè transirem ad maximum sanguinis dulcificativum, quod est *Aurum potabile* designatum à *Paracelso* in confectione sui *Samech*; & tandem opus absolverem cum corroborantibus caput, qualia sunt *Charabe*, *Castoreum*, *Electuarium capitale Montagnanæ*, *Betonica*, *Pœonia*, & similia; quorum ope, & Deo ter Optimo Maximo annuente, à tanto vitæ discrimine evasurum esse sperarem nostrum *Dominum Ægrotum*, cui ex corde Nestoreos deprecor Annos ad majorem Dei gloriam semper propagandam. Meliora opto, quod suadeant Medici omnes, qui potiori lumine gaudent, nam ego aliorum Voto me submittens obsequentissimè sapientissimis Professoribus me adjicio.

Sub censura. Raptim scribebat Florentiæ XV. Kal. Maii Anno Salutis MDCCXXIV.

Joannes Paulus Ferrari
Patricius Parmensis, Philosophus, &
Medicus Collegiatus.

CONSULTATIO XXIX.

De Mania.

EX doctissima Excellentissimi *Dom. Ferrari* Medici præstantissimi, ac Amici mei Suavissimi consultatione collegi nobilissimum Juvenem pertinaci, ac periculosa vexari affectione, quam ad Maniæ speciem, cum somnolentia, & urinæ crudæ profluvio, nec non alvi adstrictione auderem referre; nec mirum, nam docente *Aristotele*, homines, qui ingenio pollent, & studiis incumbunt, de facili melancholici evadunt, undè apud *Homerum* Ajacem, & Bellorophontem maniacos fuisse legitur. Hujus autem affectionis causam in Acido-austero vitiante primarum viarum fermenta, nec non humorum massam, consistere puta-

rem quemadmodùm etiam cogitat Illuſt. *Ferrarius*; benè ſiquidem ſcribebat *VValdschmidius*, cauſam maniæ conſiſtere in humoribus circulantibus ab acido ſingulari acre fermenteſcibili depravatis; cùm enim proprium ſit aciditatis auſteræ præternaturalis, fixare fluida, hinc igitur retardationes in humorum, & ſpirituum motibus contingunt, unde ſomnolentia, ſtypticitas, & reliqua omnia ſymptomata in conſultatione enarrata naſcuntur, & cùm adſint in ſanguine craſſo particulæ aliquæ anguloſæ, & corroſivæ ab iis ſpiritus afficiuntur, qui mille modis inter ſe agitantur, & celerrimo, maximòque impetu Cerebrum invadunt, undè delirium accidit; anima enim tandiù manet tranquilla, quandiù motus in corpore fiunt placidè, & ſine tumultu; immò quoniam ichores acido-auſteri ſanguinem infeſtantes eundem ſerum attenuant, ſic major urinæ copia ſecernitur, quam neceſſariò partium, & virium debitas ſequitur. Quoad Prognoſim, ardua eſt curationis provincia, quæ tamen non deſperanda, nec deſerenda, nam cùm in Juvene ſimus, ſalus erit ſperanda. Indicationes porrò curativæ ſunt, aciditatem auſteram in ſermentis primarum viarum tollere, humores edulcorare, calorem moderare, omniaque ad ſuam naruralem craſim reducere, quocirca opportuna fore remedia, quæ auſtero-acidas particulas corrigunt, vel eliminant, judico, è tribus Medicinæ curativæ Fontibus deſumpta; ideòque commendo *decoctionem Salſæparillæ* quotidianam ad multum tempus, *lac Aſininum*, *Gelatinæ Cornu Cervi* uſum in die, & *Oleum Amygdalarum dulcium recenter expreſſum*, ex quo fortaſſis alvus ſollicitabitur; quotidianam pedum lotionem ſub veſpere calentem laudo, ſicuti ardente ſyrio uſum aquæ Nucerinæ cum lenienti vehiculo exhiberem ad decem dies; poſtmodum ad alicujus fluminis balneum Ægrum noſtrum demandarem: ſtatim cauterium in brachio aperirem, & ſi fortior fieret Mania, ac vires permitterent, jugulares ſecarem, vel frontis mediam pertunderem Venam, quod à *Cæſalpino* propoponitur: prodeſt *oleum* deſtillatum *baccarum Juniperi* juxtà doſim, ac deſcriptionem *Donzelii*: *Tincturam florum hyperici* epotam optimam eſſe ait *Joh. Raius* referente *Burneto*. Externè in uſu eſſe *Camphoram*, ait *Ettmullerus*, qui etiam pro ſpecifico laudat *ſanguinem Aſini in aqua anagallidis*. Optima ſit victus ratio, ac à vino obſtineat; ait enim Poëta: *Vina*

Vina gravant animos, faciuntque furoribus aptos;

& vini loco, suadente *Joh. Forti in Consult.*, sit *aqua Borraginis*; & *pomorum*, vel *serum lactis* commendatum à *VValdschmidio*; Cibaria facilis sint coctionis, vitetque acida, acria, & salsa. Pauca hæc raptim, & currenti calamo scribebam pro salute Nobiliss. Juvenis, ad confirmationem egregiæ consultationis præstantissimi *Dom. Ferrari.*

CONSULTATIO XXX.

De Melancholia.

NObilis Patritius annum agens sexagesimum, post varios in ratione victus commissos errores, violenta passus animi turbatione, sensim sine sensu incidit in Melancholiam sævam; ita ut timens, & mœrens cum imaginatione læsa nunc vivat, & non sine civilis conversationis odio, nec non mortis ipsius desiderio; diem aliquando integrum sine cibo, & potu suspirans in proprio clausus cubiculo vivit. Domestici auxilium ab arte Medica poscunt.

Affectus iste ex signis diagnosticis, quæ in præsenti historia videntur, nihil aliud est, quam Melancholia, quæ definitur delirium febris expers cum metu, & terrore absque causa manifesta: Alii dicunt imaginationis depravationem à phantasmate melancholico exortam: Pars affecta est Cerebrum, quatenus cogitandi officina, & in ipso principes animæ facultates exercentur: Causa consistit in labefactata structura ipsius Cerebri, & præsertim globosæ ejusdem partis, vitiata tensione fibrarum, quibus accedit obscuritas, & tenebrositas animalium spirituum, undè cogitationes melancholicæ emergunt, & incongruæ, absurdæque animæ plerumque objiciuntur, & sic oritur mœstitia, & metus. Cùm enim in sano corpore spiritus animales sint lucidi, vividi, atque irradiantes, hinc est quod in melancholico torpidi, segnes, & obscuri habeantur, ex quo præcisè affectio ista dependet: Vitium verò tale spirituum oriri potest

test ab ichoribus acidis in humoribus stagnantibus, qui alterare valeant structuram globosæ partis Cerebri, & naturam spirituum animalium.

Prognosis erit primò, morbum hunc esse ut plurimum chronicum, & curatu difficilem, quare dicitur Flagellum Medicorum, cùm plura eludat remedia; & timendum, ne, si altas egerit radices, apoplexiam afferat, quod tamen Deus avertat: Ulterius faciliter transit affectio hæc in maniam: Quia verò incipiens adhuc, potest præsens hæc melancholia vocari; idcircò bonus exitus sperandus, quem ut citò assequamur ad tres Medecinæ Practicæ consuetos fontes recurrere fas est; & primò quoad Diætam, aër sit temperatus, ac lucidus, undè vivi, & irradiantes spiritus emergant: sub aëre enim nubiloso, crasso, & pluvioso homines tristiores, ac lassi cernuntur: Cibus, & potus sint boni succi, ut sunt *carnes Gallinarum*, *Vituli*; *ova*, & id genus alia; Absint pisces sale conditi & fumo indurati, omnia legumina, & carnes Anserum, Leporum, Cervorum &c. quæ nocere poterunt; qualis enim est cibus, talis fit chylus, qualis hic, talis sanguis, qualis cruor, talis spiritus qui ab eo generatur. Vini etiam generosi, atque fœculenti usum fugiat Ægrotus noster, & melius esset pro vino *aquam Nucerinam* potare. Somnus, & Vigilia moderatæ sint, Gaudio, & hilaritati maximè studeat: alvus lubrica servetur. Nunc Pharmaciam adeamus; & primò præparantibus utendum est, scilicet *jusculis*, in quibus primò bullierint *radices Cichorei, Fœniculi, Capparidis, Borraginis*, indè lenire convenit alvum, exhibendo *potionis Magistralis solutivæ unc.* VI.; postmodum usum *succorum depuratorum Borraginis*, *Cichorei, & Melissæ* laudarem quovis mane, quibus adderem modicum *tincturæ chalybis*, superbibendo posteà *serum Caprinum depuratum*: Vesperi autem ante Cœnam poterit exhiberi *pulvis oculorum Cancri præparatorum ad drachm. unam*, pro qualibet vice, & hoc per X. dies: suaderem posteà, si adhuc affectio pertinaciter duraret, usum *lactis Asinini* ad mensem. Potus Thee opportunus erit. Ut verò perfectè indicationibus satisfaciamus in nostro casu ad Chirurgiam est deveniendum, & Venam communem brachii dextri secandam esse judico ad libram unam sanguinis educendam; hæmorrhoidales Venas hirudinibus aperire laudo: Frictiones totius corporis, ac etiam cucurbitulæ scarificatæ utiles erunt; denique cauteria non

sine

sine magno fructu suadet *Dolæus.* Interim autem Altissimum Deum vehementer oro, ut hæc omnia proposita ipsum nostrum Ægrum à sæva hac melancholia vindicent, atque præservent.

CONSULTATIO XXXI.

De Memoriæ Debilitate, ac Imminutione.

REver. Sacerdos, ætatis annorum LIII. boni corporis habitûs, post Febrem Quartanam incidit in memoriæ debilitatem, pro qua curanda consilium Medicum postulat.

Cùm igitur Memoria sit ille sensus internus, quo objecta semel, iterumque percepta Cerebri porositatibus ita impressa tenentur, ut occasione data mens sibi eadem veluti denuò præsentia sistere, ac eorumdem recordari, vel reminisci queat; illa enim objecta per animalium spirituum undulationem determinatam imprimunt quædam vestigia in medullarem Cerebri substantiam, sicque vel eadem objecta vel similia alio tempore occurrentia spirituum agitationem per dicta vestigia instituunt, ac ita reminiscentia producitur; ad quam requiritur certus quidam tonus, seu blanda rigiditas fibrillarum medullaris Cerebri substantiæ apta ad recipienda vestigia objectorum, per quæ si animalis transeat spiritus, & illas fibrillas concutiat, idque sæpè contingat, ideæ earundem rerum in mente exoriuntur, & memoria excitatur; undè patet, teste *Zvvingero*, pro diverso tono illarum Cerebri fibrillarum, Memoriam apud homines, nunc feliciorem, nunc infirmiorem existere: quod si Cerebri fibrillæ in suo tono mutentur, atque molliores reddantur, & flaccidæ, tunc non possunt objectorum vestigia imprimi, undè oritur memoriæ debilitas.

Sic ergo iste affectus in flaccidiori constitutione fibrarum Cerebri Medullarium consistit. Ad hunc tollendum debent illæ fibræ reddi sicciores, ac firmiores, & sic memoria, vel revocanda, vel confortanda, Cerebrique substantia corroboranda: ad quæ assequenda Medici multa præscripsêre remediae triplici Medicinæ Practicæ fonte decepta, nempe à Chirurgia, Pharmacia, & Diæta; à quarum prima vix assumerem unam Venæ sectionem, cùm ex hac parum

parum utilitatis capi possit. Tota ergo vis erit in Pharmacia, quæ primò dabit lenitivum aliquod medicamen ad alvum solvendam, & primas communesque vias expurgandas; post cujus assumptionem, optimum erit uti decoctione facta ex *Salsaparilla*, *ligno Quercino*, *Sassafrass. in aqua Betonicæ* ad XX. dies mane jejuno stomacho tribus saltem horis ante prandium. Sub vesperam autem bonum erit assumere cochleare unum sequentis conservæ, nempe, ℞ *Conservæ Rosarum, florum primulæ veris*, *Betonicæ*, *Anthos*, *ana*, ℥. j. *Pulveris succini albi*, ℈ iiij. *Misce*. In forma pulveris adhiberi poterit sequens commendatus à *Burneto* ℞ *Thuris masculi*, ʒ. x. *Piperis*, ʒ. iiij. fiat pulvis, & detur omni mane ʒ. j. per multos dies. *Marsilius Ficinus* è tribus illis muneribus, quæ Jesu Christo obtulerunt Magi confectionem paravit pro ingenio acuendo, & memoria conservanda, & spiritibus fovendis, quæ talis est ℞ *Thuris*, ℥. ij. *Myrrhæ*, ℥. j., *Auri foliati* ʒ. ß. *misce cum vino*, fiant pilulæ, quarum aliquot sub aurora sumantur.

Oleum Vitrioli rectificati cum haustu vini generosi commendant alii. *Oleum* pariter *Myrrhæ* temporibus, & sincipiti inunctum laudat *VVolffang. Hoeferus*. Remanet nunc, ut aliquid dicam de *confectione Anacardina*, quam altis encomiis extollunt multi Medicinæ Magistri; quocirca Ego cum *Sennerto* damnandam esse puto perniciosam quorumdam consuetudinem, qui cùm à prima constitutione debili Memoria sint præditi, student violentis medicamentis, quod nunquam habuerunt, recuperare; undè aliqui seducti cupiditate, ac utilitate Memoriæ felicis, precibus, ac pretio confectionem Anacardinam dari poscunt, & ita multi, vel judicio confracto vacillant, vel Memoriæ nihil recuperant, vel Capitis doloribus inquietantur: Quis enim non intelligit, naturalem Cerebri crasim, si in meliorem mutari, & corrigi ejus fibras oportet, paulatim esse agendum, non verò vehementibus, & efficacissimis auxiliis, ut quæ ex Anacardo conficiuntur, hæc enim infirmant temperiem naturalem cerebri, & fortè fit Memoria deterior; imò ait ipse *Sennertus* aliquos assumpsisse hanc confectionem, & parum vitales fuisse, imò in ipso ætatis flore corpore nimis exsiccato extinctos esse: præterquam quod compositio istius confectionis parvi momenti existit, quia ex butyro confecta, quod de facili rancidum, & nauseosum apparet; undè ait *Ettmul-*

mullerus confectionem Anacardinam in desuetudinem jam abiisse, quoniam observatum, Anacardium acrimonia sua volatili excitare febres ardentes, & loco Memoriæ confortandæ, stupiditatem, & amentiam conciliare; unde benè à *Matthiolo* inter venena ponitur Anacardium, & electuarium Anacardinum, non confectionem sapientum dici ait *Hoffmannus*, sed potius remedium stultorum, de quo plura apud *Raium*, & *Mangetum in Biblioth. Pharmaceut.* Denique victus ractio sit potius sicca, quam humectans, vinum concedatur, à crapulis tamen Æger abstineat; exerceat quotidie memoriam in variis rebus tum recitandis tum repetendis. Balnea juvabunt, ut & frictiones ante somnum. *Rosmarinus*, *Ocymum* jejuno stomacho juvant, & pulvis *Trithemii* laudatur ab *Ettmullero*, sic *aqua Magnanimitatis*, cujus descriptio est apud *Donzellum in Theat. Pharmac. part.* 3. quo tamen remedio Ego nunquam sum usus, quia mihi parum placet hæc formicarum compositio. Hæc verò sunt, quæ in rem præsentem obiter in mentem venerunt mihi pro Rever. Sacerdotis nostri incolumitate.

Dabam Ferrariæ tertio nonas Quinctilis anni 1727. hora secunda Noctis.

CONSULTATIO XXXII.

De Tremore.

Reverenda Monialis ætatis annorum 44. corpore potius gracili, quam carnoso, statura mediocri, albo colore ad subpallidum, sæpe vertigine afficitur, & continuo tremore capitis, & manuum, auxilium postulat.

Hic affectus est tremor cum vertigine sæpe recurrente: differt à convulsione per hoc, quod tremor ferè semper conjungitur cum motu voluntario, verbi gratia, manus vix unquam tremit, nisi moveatur: in convulsione autem ægro inscio, ac præter voluntatem ejus motus convulsivi accidunt; Consistit autem tremor in impedita, vel imbecilliori causæ, vel materiæ contractivæ nihilominus indesinenter urgentis virtute. Pro causa ergo, exclusa facultatis motricis debilitate, agnosco tenuem materiam aciditate volatili

præditam ſpiritus animales irritantem, partes nervoſas dulciter vellicantem, & ad contractionem, ſed inſufficientem, aſſiduè inſtigantem. Remota autem cauſa poteſt eſſe ſuppreſſio menſium ſub trigeſimo ætatis anno præhabita; docuit enim *Ettmullerus*, & ante illum *Sennertus*, menſium, & lochiorum ſuppreſſiones, tremores inferre. Quoad Prognoſim, notandum hunc affectum per ſe minimè eſſe periculoſum, quando autem altas egerit radices, poterit in graves affectiones degenerare, ut in Paralyſim, Spaſmum, vel Apoplexiam; quia verò in ætate adhuc vegeta, & conſiſtenti reperitur Rever. hæc noſtra Monialis, ideò ſalus erit ſperanda: Ut autem curatio regulariter inſtituatur, indicationes ſunt examinandæ, quæ meo videri ſunt, volatilem illam materiam acidam irritantem tollere, vel ſaltem corrigere, ipſam dulcificando, & hebetando cuſpides illius, indè partes nervoſas capitis, & manuum corroborare, totumque corpus firmare: Quæ ut faciliter conſequantur, ad Pharmaciam, Chirurgiam, ac Diætam gradum facere oportet, his enim miniſtris ſalus ſperari poterit. Ex Pharmacia igitur primò deſumenda erit *Potio Aurea ſolutiva ad uncias ſex* pro blanda alvi ſolutione ad primarum viarum expiationem faciendam; poſt quam erit deveniendum ad uſum *Decocti ligni Quercini*, *Juniperi*, *Salſæ parillæ electæ S. A. parati*, imperando ſimul ſudorem; *Pæonia*, & *Baccæ Juniperi* boni erunt uſus; ſicuti laudarem *fimum Pavonis*, *electuarium Orvietanum*, & *extractum Calami aromatici*, & *Viſci quercini*: ſub veſperam utatur Patiens *conſerva florum Liliorum Convallium*, *Anthos*, *Pæoniæ*, *Tunicæ*, & *Betonicæ cum ſyrupo de Stœchade*. Externè confert urina propria, qua manus erunt lavandæ. *Foreſtus* autem potiùs *urinam pueri* commendat: Spiritus *Lumbricorum*, *Formicarum* cum *ſale Ammoniaco* pro membris affectis fricandis in loco calido, præſertim nucha, & ſpina dorſi laudatur ab *Ettmullero*. Ego tandem probarem *lixivium*, in quo eſſent decocta *folia fraxini*, & *ſalviæ*, immò jurare poſſum me olim Mercatorem à tremore brachii ſiniſtri liberaſſe ſolo uſu balnei *Aquæ Vitæ camphoratæ*. Nonnulli adhibent *oleum Amygdalarum dulcium vino Malvatico permixtum*, vel *aquam Reginæ Hungariæ*. Ex Chirurgia peti poſſunt frictiones partis affectæ; & ſi adſit ſanguinis abundantia, Venæ ſectio adminiſtrari poterit in pede dextro ad uncias decem ſanguinis edu-

educendas; & si alvus non respondeat, ut debet, clysteribus utendum erit. Præter autem ista chirurgica remedia, nullum aliud è tali Medicinæ Practicæ fonte præsidium sumendum erit. Ad Diætam denique quod attinet, victus sit moderatus, caveat à vino generoso, *Emulsiones quatuor seminum majorum* factæ in *aqua Betonicæ* sint in usu; Familiaris sit *potus Caffè*, & cum cibo pariter assumat *rasuram Cornu Cervi*, & *Cranii humani*. Et hæc pauca sint dicta pro confirmatione eorum, quæ ab aliis Doctissimis Viris proponentur, & quorum acri judicio libens me subjicio.

Eventus.

Proposita remedia penè omnia adhibita fuere, ac tandem superveniente Diarrhœa spontè orta sanitatem pristinam Patiens adepta fuit.

CONSULTATIO XXXIII.

De Imperfecta Paralysi.

JAm defluxêre duo menses, quod Illustris Civis ætatis annorum XLIV. temperiei sanguineæ, habitûsque plethorici, post sævam aëris inclementiam, & post multos errores in omnibus rebus non naturalibus, incidit in morbum sequentem; nempè post pertinacem gravedinem, aliquod impedimentum in sensu, & motu præsensit, cum nonnullo partium stupore, quæ symptomata adhuc perdurant: sensus namque, & motus torpet, & hebescit, per nervos enim spiritus animalis influxus imminuitur, ac retardatur. Ex quibus manifestissimè apparet affectum præsentem esse Paralysim imperfectam, talis quippe affectio manifestis indiciis se prodit, ut non sit facienda jactura temporis in illis recensendis. Definiri potest hæc affectio motus animalis, & tactus imminutio in affectâ parte, quæ, ut audio, dextra est corporis, cum exigua atrophia, & debili pulsu; proveniens, velut à causâ immediatâ, à partium nervosatum relaxatione propter deficientem spirituum animalium præsentiam, & activitatem, ob intemperiem materialem cerebri ipsius, vel obstructionem nervorum subortam. Antiquio-

res dicerent, hunc affectum à fluxione materiæ catarrhalis haberi, nervos ſemiocccludentis. Iſte affectus non parvi faciendus; poteſt enim de imperfecta ad completam paralyſim tranſire, immò ad ipſam Apoplexiam. Ad ejus autem curationem quod ſpectat, debet primò Medicus diſcutere, & auferre materiam peccantem, reſtituere craſim partibus affectis, & præcipuè nervoſis; immò ipſis ſpiritibus animalibus activitatem reddere, Cerebrum ipſum corroborare. Ad quæ aſſequenda confugiamus ad Chirurgiam, Pharmaciam, atque Diætam: & quoad primam, unicam Venæ ſectionem adhibere conveniet in pede partis oppoſitæ ad uncias IX. Sanguinis hauriendas: Et ſi Medico ordinario placeret fonticulum aperire in oppoſita parte, non inutile exiſtere putarem; veſicantia verò non approbo. Quod attinet ad Pharmaciam, pro univerſali corporis evacuatione exhibere poterunt *ſpecies Hermodactyli ad* ℈. iiij., in juſculo, cujus remedii particulæ ab intimis, & remotis partibus trahere humores peccantes poſſunt, ac valent. Quo peracto, ad decoctum ſequens per menſem deveniendum erit. ℞. *Salſæ parillæ electæ*, *Saſſafraſſ*, *Ligni Quercini*, *Lentiſci inciſi*, bulliant in aqua communi, & fiat decoctum S. A. *Antimonium diaphoreticum*, *Cornu Cervi philoſophicè præparatum* cum *ſero Caprino* laudat *Malpighius*. Potum *Thee*, & ejus loco *Salviæ* commendo. Pars affecta foveatur frequenter ſpiritu vini cum camphora. His omnibus accedat conveniens victus ratio: alimenta ſint boni ſucci, facilis coctionis. Vinum ſit vel medicatum *Saſſafraſſ*, & *Quercino*; vel prorſus exulet, nam ſuſpectum eſt in noſtro caſu, tartaro enim figit, & impetu in caput propellit humores, ejuſque loco ſubſtituatur aqua Nucerina. Aqua pro parandis cibis chalybe alteretur, & cum cibis ipſis ſumatur *pulvis Oculorum Cancri præparatorum*. Pauca hæc pro ſalute Illuſtris noſtri Civis exarata Judicio Doctiſſ. Virorum libenter ſubjicio.

Eventus.

Ægritudine imminuta ope remediorum propoſitorum tandem recuperata omninò ſalus fuit.

CON-

CONSULTATIO XXXIV.

De Stupore Sensus.

VIr annorum ætatis XLIX. bonæ temperiei, alioquin ſanus, nunquam enim in ætate ſua morbum acutum eſt paſſus; ſæpè ſenſus ſtupore, modò in una, modò in alia corporis parte afficitur; timens ne in pejus ruat, & hoc ſymptoma aliquem pravum minetur effectum Conſilinm Medicum poſtulat.

Affectus iſte à multis *Narce* dicitur, à *Dolæo* ſomnus membrorum vocatur, & eſt propriè ſenſus, motuſque diminutus nervoſarum partium: in noſtro autem caſu motus manet; ſed ſenſus quodammodo eſt imminutus, & interdum depravatus, ita ut aliquando velut acuum puncturas leves ſentiat, modò formicas leviter per nervos prorepentes veluti patiatur. Oritur autem iſte affectus, quia aliquando ipſi nervi quaſi comprimuntut, ita ut humores non moveantur in tubulos partium, qui ideò inanes manènt, ſicque ſpiritus animales per nervos, ac tubulos inanes influunt, qui cùm ſint quaſi acriores, undique obvolitando, fibrillas nervoſas irritando ſenſationem illam moleſtam excitant; quod autem breviter durat, quia citò humores in partium tubulos influunt, eoſque replent. Non tam ergo iſte ſtupor affectus eſt nervorum, ſed muſculorum eorumque tendinum, & eſt ſymptoma in genere actionum motricium, & ſenſitivarum læſionis: dixi autem ſuprà, in hoc affectu ſpiritum animalem impediri, vel retardari, unde videtur quaſi eſſe Paralyſim imperfectam, undè *Galenus*, & *Mercurialis* docuere ſtuporem, medium quemdam eſſe affectum inter Paralyſim, & ſanitatem, ut jure dixerit *Rhaſis*, ſtuporem ſi perduret, converti tandem in veram Paralyſim. Ad quod avertendum, quantò citiùs poſſit, deveniendum eſt ad curationem, ne fortè altius morbus confirmetur. Quapropter derelictâ prorſus Venæ ſectione, quæ locum non habet ſuadente *Dolæo*; ſtatim ad Pharmaceutica præſidia procedendum erit. Purgandum igitur communiter corpus, exhibendo *pilulas Cochias*, *Aggregativas*, *de Agarico*, *ana*, *ad drachmam ſemis*; inde decoctione *Salſæparillæ Lentiſci*, *Viſci*

Quercini, & *Saſſafras in aqua Ivæ arteticæ* parata utendum ad XX. dies; veſpere autem aſſumatur ſequens bolus ℞. *Extracti ligni Quercini*, *Pæoniæ*, *ana*, ℈. ß., *cranii humani præparati*, *gran.* X. *miſce*, *fiat Bolus auratus* S. A. Ante ſomnum ſumatur *conſerva florum Tunicæ*, *Betonicæ*, *Liliorum Convallium*, & *Anthos*. Externè frictiones ad partes affectas faciendas laudo; imò aliqui levem urticationem commendant, donec rubor appareat ad evocandum ſpiritum & calorem. Inungi pars poterit *Spiritu Lumbricorum*, & fomenta, & balnea ex herbis appropriatis conferre poſſunt; quæ omnia prudentiæ Medici Ordinarii præſcribenda relinquo, ſicuti victûs rationem etiam, quæ conſiſtit in recto uſu ſex rerum non-naturalium: & hæc dicta ſufficiant pro ſalute recuperanda noſtri Illuſtris Patientis.

CONSULTATIO XXXV.

De Convulſione.

PRoponitur caſus honeſtæ Fœminæ annorum 40., quæ à patrio Cœlo diſcedens, Ferrariæ ſe recipiens hoc anno 1716. menſe Januarii frigidiſſimo, derepentè convulſionibus brachii dextri non ſine dolore correpta fuit: Auxilium petit.

Affectus iſte Convulſio, à convellendo ſic dicta, vocatur, à multis Spaſmus dicitur, quibus me ſubſcribo; iſte autem à convulſione differt, quatenus ſpaſmus ſemper eſt cum dolore, convulſio verò non item: Definitur involuntaria muſculorum contractio ſtabilis, & doloroſa à nervearum partium irritatione, vel à nimia ſpiritûs animalis inſufflatione orta. Pars affecta in noſtro hoc caſu ſunt, muſculi brachii, qui propriè ſunt inſtrumenta motûs voluntarii, mediantibus nervis, & muſculorum fibris. Cauſa prima, & principalis hujus ſpaſmodici affectûs latet in ipſo brachio, non verò in Cerebro, ut alius Medicus aſſeruit in ſua Conſultatione eleganter, ac doctè exarata. Probabile igitur eſt, acidam quandam lympham in nervis, & muſculis brachii congeſtam, particulis ſuis acutis vellicantem nervos, & fibras muſculorum, motus iſtius ſpaſmodici cauſam exiſtere. Nunc aliquid circà Prognoſim dicendum,

&

& primò monerem, ut, si fieri posset, febris excitaretur, Magister enim docet, bonum esse, si febris convulsioni succedat, quia hæc dissipando materiam peccantem spasmum solveret. Secundò timendum, ne particularis convulsio universalis evadat, communicatâ aliis partibus causâ, maximè si diù perseveret: Quia tamen ætas in nostra *Ægrotante* consistit, & vires sunt validæ, ideò salus quamprimùm speranda; quam ut assequamur examinandæ nunc sunt Indicationes, quæ, meo videri, sunt, corrigere, & tollere omninò aciditatem lymphæ in brachio læso stagnantis, atque ipsum brachium corroborare: Ad tria igitur Medicinæ Practicæ solemnia auxilia quam citissimè est recurrendum, & primò quoad diætam, aër sit temperatus, & vitandus frigidus; notavit enim *Hippocrates* frigidum nervis esse inimicum, ideòque posse ex se solo convulsionem excitare; quoad cibum *caro Caponum*, *Gallinarum* conveniet, attamen potius sit assa, quam elixa; addantur semper autem cibis *Salvia*, *Majorana*, & *Serpillum*: Vitari debent salsi cibi, acidi, muriatici, & acres, omnesque fructus austeri: Vinum sit tenue, & nervinis maritatum, ut sunt *radix Pæoniæ*, *Enulæ*, *Folia Salviæ*, *Chamædryos*: Somnus sit moderatus, alvi excretio quotidiè naturæ respondeat, ut & reliquæ consuetæ evacuationes: animus sit semper hilaris. Pharmacia interim dabit primò levem Ventriculi, & Intestinorum communem purgationem excitatam à *Cassia* cum *cremore Tartari*. Pro alterante sit *serum Caprinum* colatum tantum ad semilibram cum *gelatina Cornu Cervi* per quindecim dies: indè sumat *lac Asinæ* cum modico *Sacchari fini*, ne coalescat. *Malpighius* lacti addit *Saponem Venetum*; *Decoctum Pæoniæ*, *Salsæ parillæ*, *Guaiaci*, *Sassafras*, commendatur ab *Heurnio*, quod in summa hujus affectus pertinacia exhiberem; externè applicetur parti læsæ sequens linimentum. ℞. Olei Lumbricorum, Vulpini, ana, ℥. ij., olei Therebintinæ, Ceræ, Castorei, Philosophorum, ana, ℥. ß., Adipis humani, ʒ. ij., succi ipsorum Lumbricorum, ℥. j.; Misce, & calidè applicetur. Impositionem insuper brachii læsi in cado olei communis tepidi suaderem, quod remedii genus commendatum legi apud *Burnetum*. Ex Chirurgia tandem sumantur fricationes, & Venæ Sectio bis celebranda in pede ad libram unam pro qualibet vice sanguinis extrahendi: cucurbi-

curbitulas etiam laudo ſcarificatas. Et hæc ſunt, quæ in hoc caſu mihi erant dicenda, quæ ut cedant in Ægrotantis noſtræ ſalutem Deum rogo.

Eventus.

Non omnia, ſed multa, ex his propoſitis remediis fuere uſurpata, & curatio ad menſem uſque fuit protracta; poſt quem priſtinæ ſanitati reſtituta fuit honeſta hæc Mulier; nunc ſana vivit.

CONSULTATIO XXXVI.

De Incubo.

ADoleſcentula annorum ætatis 17. bonæ temperiei, poſt menſium ſuppreſſionem ab immani timore ortam hyemali tempore, terrificis inſomniis agitatur, cum angore quodam & animi anxietate, ita ut Incubo graviter acta cum magno terrore ſomnum excutit. Vocant Domeſtici Medicum, Patientem ſine febre ille reperit, pulſu tamen inæquali: conſilium poſcunt adſtantes: illa petit auxilium.

Ex iſtis ſignis manifeſtè apparet præſentem Adoleſcentulam vexari Incubo à multis Aſthma nocturnum vocato, & ab aliis Suffocatio nocturna; in hac enim paſſione Æger à magna mole incumbente ſuffocari ſe in ſomno putat. Vulgus credit à ſpectro, vel Dæmone homines inſultante hoc fieri. Definiunt ſic Doctores, imminutio motus animalis, & partium voci, & reſpirationi inſervientium, dependens à prohibito ſpirituum influxu, cum falſa imaginatione molis gravis pectori incumbentis, cujus paroxyſmus inter dormiendum potiſſimum fit, ut in noſtra Patiente. Ego cum *VVillifio* partem affectam in iſtâ affectione puto eſſe, ipſiuſque ſedem Cerebellum, ubi ſcaturigo animalium ſpirituum habetur: Cauſa autem immediata eſt retardatio ſpiritûs animalis; mediata verò materia incongrua Cerebello inſtillata, quæ ſpiritibus in prima ſua ſcaturigine torporem, ſive narcoſim conciliat; ſicque per aliquod tempus ceſſat actio functionum ipſorum ſpirituum

tuum animalium, ex quo omnia insurgunt symptomata, quæ nostram Adolescentulam vexant. Ad Prognosim quod attinet, notari debet Incubum de raro affectum mortalem esse; si autem frequens sit, ac sæpè ipsius paroxysmus redeat, tunc timendum esset, ne in Melancholiam, Apoplexiam, vel Epilepsiam transiret.

Indicationes curativæ sunt, liberare spiritus animales ab illa narcotica materia, hanc è corpore educere, vel disperdere, atque demum ipsum Cerebellum corroborare, ut & totum genus nervosum: Quibus satisfaciendi causa, primò examinanda venit cura diætetica. Cibus ergo sit nutrimenti laudabilis, ex quo sinceri spiritus generari possint, qui roscido madore Cerebrum irrigando, mentis aciem, detersa stupiditatis caligine, illustrent; concedi autem poterit *vinum album tenue*, hoc enim suadente *Dolæo* faciliter in naturam sanguinis transit, deducto in omnem corporis partem alimento; & spiritus lucidos, minimèque densos gignit, atque virtutem cordis corroborat, animumque hilaritate perfundit. Somnus, & Vigilia modum non excedant: Animi quies conciliari debet, & alvus quotidie, si fieri potest, naturæ respondeat. Chirurgia præstabit Venæ sectionem in pede, clysteres, & cucurbitulas scarificatas dorso imponendas. Pharmacia denique dabit pro præparantibus *syrupum de Stœchade*, *&* *Menthæ cum aqua Buglossæ*, *&* *Capillorum Veneris*. Pro lenitivo medicamine optima erit potio ex *Manna*, seu *Cassia clarificata*: *Species Diamargarit. cum aqua Cinnamomi* commendantur. *Aloes* per aliquot dies cum *cubebis*, & *passulis* certum habetur præservativum contra Incubum, si *Michaëli* fides habenda. Sub tempore somni commendarem sequentem emulsionem assumendam ℞. *Seminis Pæoniæ* ʒ. iij. cum s. q. *aquæ florum Pæoniæ fiat emulsio, edulcoretur rotulis manus Christi perlatæ*, cui addantur ℈. ij. *pulveris smaragdi præparati. Misce.* Externè etiam proderit lenire dorsum cum modica frictione, unà cum regione stomachi, sequenti unguento. ℞. *Olei nucis moschatæ expressi*, ʒ. ii., *Mastiches*, *Menthæ*, *ana*, ʒ. j. *misce*: Interim Deum precor, ut hæc omnia Adolescentulæ nostræ patienti sint salutaria, atque proficua.

CONSULTATIO XXXVII.

De Epilepsia.

JUvenis quidam ætatis annorum 23. amoribus deditus, post intensam applicationem, & molestam animi perturbationem ob amatæ Mulieris interitum, dolore primò capitis afficitur, mox vertigine tentatur, tandem Epilepsia corripitur; derepente enim cadit in terram, & corporis fit præternaturalis concussio, cum motibus convulsivis, non sine mentis, ac sensuum omnium læsione; spuma circa os apparet, & resolutis musculis urina, & stercus præter voluntatem exit, & in tali miserabili statu per aliquod spatium temporis manet, postea attonitus, & confusus veluti expergefactus exsurgit; iterumque die altera eadem pariter symptomata passus est, majora formidans. Nunc salutem cupiens Medicum auxilium implorat.

Varias hic morbus appellationes sortitur; vocatur enim affectus Herculeus, Comitialis, Caducus, Sonticus, Divinus, & Lunaticus; & definitur, varia, & mixta actionum animalium læsio cum totius corporis concussione, motibus convulsivis, cum mentis, & sensuum omnium læsione: Pars affecta est Cerebrum cum nervis; hæc enim pars, ait *Malpighius*, à præternaturali causa lacessita spiritus animales tumultuariè propellit: sicque Juvenem istum Epilepsia corripi certum est, cùm in eo appareant omnia, & singula hujusce morbi signa. Hujus affectionis causa est, spiritus quidam acidus volatilis, qui à quodam menstruo pravæ indolis elevatus ad cerebrum, animales spiritus impetuosè divellit, ut indè ad instar pyrii pulveris quasi accensus, illicò ad omnes partes communicetur, & convulsiones excitet; spiritus autem ille pravus generatur à menstruo quodam ex alterato, & corrupto aliquo fluido orto; quod vitium fuerat excitatum à violenta animi passione in nostro hoc Patiente; occurrente enim re aliqua improvisa, & terribili Epilepsiam posse excitari docuit *Burnetus*. Quid verò sit de hoc Ægro sperandum, paucis nunc exponamus. Omnis Epilepsia periculosa est, curatu difficillima; quia autem

in

in nostro Juvene non fuit hæreditaria, sed tantùm incipiens vocari possit, ideò spes aliqua salutis apparet: quia verò ortum habuit iste pravus affectus ab intensa, & forti applicatione, ac molesta animi turbatione, sperari potest, quod data metamorphosi in stupiditatem, & melancholiam, morbos non tàm horrendos Epilepsia transeat, ut suis temporibus etiam notavit *VVillisius*.

Adhibitis tamen remediis ex arte salus speranda, quæ ut nostro Ægro restituatur primò Indicationes curativæ sunt considerandæ, & sunt; auferre irritationes, sedare motum spirituum animalium, dulcificare humores peccantes, eosque è corpore educere, ac demùm Cerebrum roborare, quæ ut assequantur ad tria consueta Medicinæ Practicæ brachia deveniendum. Et primò quoad victus rationem, aër nebulosus, cane pejus & angue, vitandus est; cibus sit facilis concoctionis, & succi boni: *carnes Gallinarum*, *Turdorum*, *Columbarum*, *Agnorum*, *Vitulorum*, *Caponum*, *Perdicum* laudantur, dummodò aromaticis rebus non condiantur: Pisces autem vitentur, ut & Anseres, Fungi, Lentes, & carnes suillæ sale conditæ; Vinum sit tenue, & aquosum, immò si ab hoc abstineat, melius erit, & aquis appropriatis ad calcem hujus consultationis describendis utatur pro potu ordinario: modica corporis exercitatio proderit, sicuti Veneris usus nocebit: Somnus, ac Vigilia mediocritatem non excedant, & excrementa alvi singulis diebus respondeant: Animi perturbationes vitentur, has enim in excitando hoc morbo magnam vim habere docuit *Dolæus*. Nunc ad Pharmaciam transeamus, & primò consulerem abstinentiam à fortibus medicinis purgantibus; istæ enim acuunt potius humores, & fortassis majore cum impetu ad affectam partem propellunt, ut quoque innuit *Clariss. Malpighius in suis Consultationibus*, sicque erodentes succi, sero spoliati, acriores, & activiores redduntur, unde suaderem ad communes sollicitandas vias, usum *Cremoris Tartari in aqua Borraginis*, *vel olei Amygdalarum dulcium*, *ac conservæ florum Persicorum*. Pro alteranti poterit inservire *serum Vaccinum* depuratum, cum *gelatina Cornu Cervi*, vel *jusculum pulli*, in quo bullierint prius *folia Betonicæ*, *Salviæ*, & *Rorismarini*: *Lactis Asinini* usum commendo per mensem: & hìc notandum, *citatum*

Malpighium lacti addere modicum *saponis Veneti.* Ego verò pulvere *Sacchari fini* sum contentus, qui addatur lacti ad impediendam coagulationem: Inter alia commendat *Foreſtus* hunc pulverem cum jure pulli ad unam drachmam sæpè in aurora sumendum. ℞. Pulveris Radicis Pæoniæ, Craniihumani, ana, ʒ. iij. Caryophillorum, Nucis Moschatæ, seminis Citri, ana, ʒ. j. M. fiat Pulvis usui servandus: Laudatur *oleum Buxi*, cujus *gutt. iij.* poterunt exhiberi in *conserva Pæoniæ* jejuno stomacho: Nonnullis placet propinare pro hujusce morbi curatione *pulverem seminis Saponariæ*, vel *Pavi stercoris cum Vino ad unam drachmam*, *Theriacam*, *confectionem Alchermes*, *Aquam Betonicæ*, *Liliorum convallium*, *Cerasorum nigrorum*, *Epilepticam Langii*; *Pulverem veri Visci Quercini* ad pondus drachmæ unius commendavit *Boyle*; & *Ungulam Alcis* multis prædicavit encomiis *Lemnius*; sicuti exsiccavit *ova Coturnicis* paulatim *Hoefferus*, ut in pulverem teri possint, & hujus exhibuit pro dosi *semidrachmam*. Si placeret Amuleta experiri, *Smaragdum* collo apponerem, & *radicem Pæoniæ*. Spinalem verò medullam sequenti linimento inungere bonum erit. ℞. Olei de Castoreo, Lumbricorum, Rutacei, ana, ℥. j. Misce. Demùm ad Chirurgiam manum admoveamus, à qua clysteres nonnulli sumendi erunt, ut & Phlebotomia, cautè tamen instituenda in brachio, maximè si in nostro Patiente adsit plethora: Lotiones pedum sæpè suadeo; quibus omnibus adhibitis salus, ut spero, redibit, ut ex corde precor. Faxit Deus &c.

CONSULTATIO XXXVIII.

De Comate.

MErcator ætatis annorum 42. temperiei calidæ, & siccæ, negotiis suis intensè addictus, mense Octobris Comate soporifero detinetur, ita ut neque tympanis valdè sonantibus, vel quovis alio horribili strepitu excitari à somno vix possit; imò in mensa sedens somniculosus, stupidus, & immotus manet: Nunc Medicum postulat auxilium.

Morbus iste est profunda, & nimia in somnum delatio, ac propensio,

pensio, & Coma somnolentum à Medicis dicitur. Causa hujus morbi est quidquid prohibet influxum spirituum animalium ad organa sensuum, provenit enim hic morbus à spiritibus animalibus propter portiones vaporosas, vel serosas impuras inquinatis, & ad fixationem pronis, intemperiem cerebri frigidam præsupponentibus. Sunt & aliqui, qui hujus morbi causam vaporibus adscribunt narcoticis, spiritibus animalibus torporem inducentibus. Est hæc affectio magni facienda, *somnus enim*, & *vigilia*, *utraque si modum excesserint*, *malum*, sunt *Hippocratis* verba in *Aphorism.* 3. *Sect.* II. Unde *Plato* dixit somnum multum, nec animis, nec corporibus, neque rebus gerendis condecere; imò hæc affectio ad verum Lethargum, & Apoplexiam perducere Ægrum potest. Quocircà omnes movendi sunt lapides, ut Coma removeatur quantò citius possit, ne æger in pejus ruat. Primò igitur expurgandæ erunt primæ corporis viæ; secundò sanguinis massam depurare convenit; tertiò vapores revellendi, & caput corroborandum erit. Quæ ut assequantur, ad Practicam Medicinam confugere oportet, ut supradictis intentionibus satisfiat. A Chirurgia igitur Venæ sectio desumi poterit, non simplex, sed iterata; & clysteres acriores, unà cum frictionibus, ac cucurbitulis scarificatis: Vesicatoria verò non laudo, cùm mitioribus remediis possimus indicationibus satisfacere; linquamus igitur hæc illis, quibus isti cruciatus sunt in deliciis. Ex Pharmacia alvus poterit solvi ope *pilularum de Agarico*, *Cochiarum*, & *Aggregativarum*, *ana*, ʒ. *semis*: *decoctiones Betonicæ*, *ligni Quercini*, & *Sassafrass.* utiles erunt. Sternutatoria proderunt, & spongiola naribus frequenter apponatur, in qua sit *acetum*, in quo bullierint *Nicotiana*, *Serpillum*, & *Majorana*; imo *spiritum salis Ammoniaci* naribus appositum nonnulli commendant. Diæta demum suppeditabit aptam victus rationem; parcè bibat Æger, & vinum tenue, oligophorum, album; cibi condiantur *aceto*, *salviâ*, *Majoranâ*. Cubiculum lucidum inhabitet; obscuritas enim de facili somnum inducit. Omnia verò prudenti judicio Excellentiss. Dom. Medici ordinarii remittenda erunt.

Eventus.

Nonnulla ex prædictis remediis adhibita fuêre, & intra mensis spatium sanitati fuit Æger restitutus; observatum tamen fuit, deficiente Comate, Scabiem obortam esse, quæ tamen sponte intra paucos dies fugata fuit. Nunc sanus vivit, ac Deo gratias agit.

CONSULTATIO XXXIX.

De Cataphora.

HOnestus Civis, biliosæ temperici, ætatis annorum XXXIII, apud convivas paulò largiùs vino delectatus, incidit in Febrem continuam cum Cataphora, sive Comate soporifero, adeò ut neque tympanis valde sonantibus, vel fortiter exclamantibus à somno expergiscatur; imò semper somniculosus, stupidus, & immotus manet; interdum aliquæ adsunt convulsiones. Auxilium petit.

Hæc affectio Cataphora dicitur, & est morbus veternosus, sive gravis in soporem delatio: definitur sopor nimius, ac præternaturalis cum febre, ubi Æger noster perpetuò in somnum inclinat, profundè dormit, nec tam facile à somno revocatur. Pars affecta principaliter est portio glandulosa substantiæ Cerebri corticalis, vel ipsum Cerebri meditullium. Causa proxima hujus morbi est prohibitus influxus spiritûs animalis in organa sensuum; ad quod contribuit vel obstructio tubulorum glanduloforum Cerebri, vel eorum compressio: Proque istius affectionis causâ assignari potest vapor narcoticus ad Capitis supradictas partes elevatus, quæ narcosis fortè à nimiâ vini assumptione tanquam à causâ remotâ dependet. Circà Prognosim dico, per se hunc affectum non esse exitialem; sed quia nunc associatur Febri timendus est. Ad curationem quod attinet; huic potissimum indicationi satisfaciendum, ut viscida cruoris serositas, à qua spiritus animales extricari nequeunt, corrigatur: quod ut obtineatur, ad tres Medicinæ consuetos fontes devenire opus erit; Et primò ad Pharmaciam, quæ utiliter dabit medicamen lenitivum ad

alvum laxandam, ut verbi gratia *potio ex Manna Clarificata*; postea sumi poterunt *pulvis Cornu Cervi Philosophicè præparati*, *stibium Diaphoreticum cum decocto Caffè* ad vigiliam inducendam. *Aqua Betonicæ*, *Antiepileptica Langii*, *Cerasorum nigrorum*, ut & *Gelatina Cornu Cervi* utilitatis aliquid afferent. Chirurgia utiliter secabit Venas in brachio, & pede, cucurbitulas scarificatas apponet; frictiones, & balnea ad pedes exercebit. De Vesicatoriis autem nihil. Capitis Capilli abradantur; & Clysteres acres utiles esse poterunt, sicuti sternutatoria. Acetum perfusum super laminam ferream ignitam naribus appositum somnum, expellere ait *Rondeletius in Prax.*: Sic *Oxymel Scilliticum* laudat *Forestus*. Victus ratio sit congrua, sine qua nihil, quæ à Viro Excellentissimo adstanti erit præscribenda, cujus prudentiæ cætera omnia rectè administranda committantur, ut spes salutis à me concepta felicem sortiatur effectum. Faxit Deus &c.

Eventus.

Penè omnia proposita auxilia adhibita fuêre, & Æger die morbi undecima superveniente Diarrhœa biliosa convaluit. Nunc sanus vivit.

CONSULTATIO XL.

De Nimia Oscitatione.

QUantam mihi delectationem attulerint literæ tuæ humanissimæ paucis quidem explicare non possum; in ipsis consilium Medicum desideras circa nimiam Oscitationem; habes enim curandam Mulierem honestam, annorum ætatis XLII. virginem, bonæ temperiei, cui menstrua ritè quovis mense fluunt; hæc tamen patitur nimiam Oscitationem: frequens enim in ea admodum maxillæ oris diductio fit cum lachrymarum expressione conjuncta, de qua re petis consilium.

Communem esse Oscitandi consuetudinem hominibus somnolentis, vel è somno evigilantibus ait *Clariss. Theodorus Zvvingerus*, quæ

quæ ſi frequens non ſit, nec admodum violenta, nullam in Medici conſiderationem venit, nec fuit hactenus, qui remedia contra hanc neceſſariam, ac conſuetam hominibus affectionem poſtulaverit. Quando verò nimis Oſcitatio frequens evadit, tunc incommoda non levia excitare valet; muſculi quippe maxillæ valdè relaxantur, & laſſitudo toti corpori fit communis; lachrymæ etiam profluunt, & ſic viſio fermè impeditur; & aliquando capitis jungitur dolor; imò poteſt ex nimia Oſcitatione maxilla ipſa luxari, & ex frequentiori hac affectione febris nuncius haberi poteſt, ut in me ipſo pluries expertus ſum, cùm enim frequenter Oſcitare incipio, febrem eſſe ad limina ſentio. Cauſa hujus incommodi eſt lympha quædam viſcida, lenta, & ſalibus acribus prædita, in lymphaticis tubulis muſculorum maxillæ ſubſiſtens, ſuis ſalinis acribus particulis eoſdem muſculos ad ſui contractionem aſſiduè ſtimulans; Quando autem Oſcitatio habetur, glandulæ lachrymales, & ductus ſalivales comprimuntur, undè lympha talium Partium exprimitur: Quia igitur puto, lympham in noſtra patiente craſſiorem, & tenaciorem eſſe; propter hoc frequens adeſſe Oſcitationem cenſeo nam difficiliter attenuatur talis lympha, atque conſumitur. Ut talis curetur affectus, primò expiandæ ſunt primæ viæ aſſumpto aliquo leniente, ut verbi gratia *floribus Caſſiæ*, *pulpa Tamarindorum*, vel ipſa *Manna*; poſtea juvabit appoſitio Cucurbitularum ſcarificatarum in dorſo; inde commendo uſum *decoctionis Salſæparillæ* ad plures dies, eodemque tempore poterit etiam ingredi laconicum; Et muſculi maxillæ infeferioris *ſpiritu Ceraſorum nigrorum* foveri poterunt; quibus congrua addatur victus ratio.

CONSULTATIO XLI.

De Ægilope.

HOneſta Fœmina ſuæ ætatis annum trigeſimum tertium agens, temperamento bilioſo prædita, nonnullis abhinc annis faciei pallore, & humiditate nimiâ capitis laborare incepit, tandemque exiguo quodam tuberculo inter nares, & majorem oculi dextri angulum ſuborto, de Fiſtulâ Lachrymali timens, medicam opem implorat.

Præ-

Præsens affectio a Medicis *Ægilops* vocatur, licet nonnulli *Anchilopem* potius dicant, qui volunt differre per hoc quod Anchilops sit tumor in magno angulo oculi nondum ruptus, Ægilops verò jam ruptum tumorem significet: Verùm quia penè semper tumor rumpitur, ideò Ægilops communiter dicitur Fistula Lachrymalis, quia ulcus ex rupto tuberculo de facili sinuosum evadit, & abit in Fistulam. Morbus igitur iste, quo nostra hæc Patiens afficitur, est abscessus quidam ad angulum oculi, qui naribus propior est in dexterâ parte, pus continens; quod erumpens, aut os potest vitiare, aut ad angulum, & usque ad nares pertransire, & intrinsecùs destillàre. Causa cum aliis ulceribus est communis, humor nimirum acris salsus, lixivialis, & corrosivus, hinc de facili in Fistulam abit, & maximè si ulcus fuerit neglectum. Ad Prognosim quod spectat, quanto citius possit, curari debet, ne in Fistulam Lachrymalem transeat, tunc enim longissima est, curatu difficilis, & sæpè usque ad vitæ terminum durat; quapropter benè *Franciscus Peccettius in sua Chirurgia lib.* 1. ait, quod Ægilops est ægrè curabilis, tum ob corporis affecti tenuitatem, tùm ob subjecti ossis corruptionem. Observandum tamen non semper tubercula talia suppurari, sed ope internorum remediorum curari posse, ut apparet ex *Consultatione Clariss. Redi pag.* 178., & in nostro casu idem sperandum.

Cùm Ægilops secum semper habeat inflammationem, a principio maximè abstinendum est a vini usu, & Vena brachii propinquioris secanda, & apponendæ cucurbitulæ. Convenit etiam levis quædam corporis purgatio facta ope potionis ex *Manna*, vel *floribus Cassiæ*; post quam laudarem usum ad multos dies decoctionis *Salsæ parillæ*, & *radicis Chinæ* cum modico *ligni Visci Quercini*. Conservæ capitales ad vesperam in usu sint; quibus *extractum ligni Quercini* addi poterit; quæ pro internis remediis satis erunt. Externa verò, sive topica sint, ℞ *Succi Solani*, ℥. iij., *Thuris*, ʒ. j. *Misce*, & superpone: si ad suppurationem devenerit, aperto tumore, ulcus detergatur, carne repleatur, & tandem cicatrix inducatur. Si os corruptum fuerit, suadente *Aëtio*, ignito ferro adurendum erit, vix enim sine tali remedio perfectè Fistula sanari poterit, ut a me pluries observatum est; sine enim igne, quæ clausæ fuêre, iterum post non multum tempus noviter in Ægilopem transierunt. Squammato osse balsamicis uta-

utatur, & cicatrizetur. Linimentum poterit esse *Aquæ vitæ*, *Mellis Rosati*, *ana*, ℥. j. *Myrrhæ*, ʒ. ij. *misce*, *fiat linimentum*. Quando ferrum ignitum Ægilopi apponitur, applicetur fronti, & oculo spongia aqua Rosarum madida, vel stupa cum albumine ovi. Quæ omnia comitetur congrua victus ratio, ut demum saluti Patiens nostra restituatur. Faxit Deus.

CONSULTATIO XLII.

De Madarosi.

AFfectum quo Civis noster Ferrariensis tentatur, ex scripto mihi oblato clarissimè intellexi. Madarosis enim propriè vocatur à Medicis, hoc est, defluvium pilorum palpebrarum ortum in nostro Patiente per febrem malignam superatam. Oritur autem hic affectus à viscosis, & acribus humoribus ad ciliorum radices confluentibus, atque radices pilorum erodentibus, quod sæpè accidit post hujusmodi febres mali moris, ut in nostro casu. Morbus autem non est periculosus, sed tantùm in facie deformitatem quandam affert, ut in casu præsenti, undè cùm corpus supponatur perfectè purgatum, poterit adhiberi sequens unquentum, quo feliciter illinivit palpebras *Petrus Forestus* suo tempore, ut ipse fatetur in *libro de morbis ocul.*, & *palpeb.* ℞. *Stercoris Leporis*, & *Stercoris Hirci*, *ana*, ʒ. *i.*, *Corticis Avellanæ ustæ*, ʒ. *iij*. *pinguedinis Ursi*, *quantum satis*, *fiat S. A.* Unguentum. Avellanam enim ustam & cum adipe Ursino incorporatam facere nasci pilos aiunt multi. Decoctum *Rorismarini* cum vino commendat *Joh. Michael in sua Chirurg. Cap.* 19. *Succum Nicotianæ* illitum mirum in modum pilos sistere ait *Joh. Stephanus in sua Cosmet.* *Cineres genitalis Asini*, *pulverem granorum Juniperi*, *Amygdalas amaras*, *pulverem murium domesticorum ustorum*, & *medullam cervinam* laudant Scriptores: è quibus remediis assumat Medicus assistens illud, quod magis sibi placeat. Antequam paginam claudam mihi significatur, Excellentissimum Dominum Assistentem optare habere notitiam de Trichiasi, & scire quid propriè sub hoc nomine veniat? Ad quod breviter respondeo, hoc vocabulum significare pilarem morbum, quando nimirum cum crassa urina veluti pili unà exeunt, qualia

qualia corpora à ſedimento craſſo, & viſcoſo poſſunt concreſcere. Ab aliis tamen dicitur affectio palpebrarum, cùm pili inutiles, & pungentes innaſcuntur. Alii tandem volunt eſſe affectum quem movet pilus in nutrice cum poculo hauſtus, & hic non ſedatur, donec pilus, vel preſſus ſpontè exeat, vel cum lacte exſugatur, & vulgò dicitur *Mal del Pelo.* Hinc Medicus aſſiſtens, qui oculatus eſt teſtis, qui videt morbi hujus effectus, qui Clinicus ſemper adeſt, & planè ſcit quid agendum; agat quod ex arte eſt, juxtà morbi indicata. Ego interim &c.

CONSULTATIO XLIII.

De Ophthalmia.

AFfectus præter naturam, quo Perilluſtris Civis noſter Ferrarienſis detinetur, nullus alius eſt, niſi qui communiter à Medicis Ophthalmia nuncupatur; adnatæ enim, ſeu albæ oculi tunicæ inflammatio adeſt cum rubore, ardore, dolore, ac lachrymis; immò palpebræ quoque inflatæ, ac inflammatæ conſpiciuntur; adeſt cibi faſtidium, ſed pauca febris. Morbus hic à Græcis ὀφθαλμία, *Ophthalmia*, dicitur, à Latinis verò oculorum Inflammatio, quæ definiri poteſt, fixatio ſanguinis in oculi adnata tunica cum dolore ab acribus particulis in cruore ipſo deliteſcentibus excitato. Pars affecta eſt oculus ipſe, & in ſpecie tunica adnata cum palpebris ipſis ad excluſionem aliarum oculi tunicarum quæ meo videri immunes ſunt: notum eſt enim, Anatome duce, oculum plures tunicas habere. Cauſa proxima ſunt particulæ acres in ſanguine exiſtentes, quæ delatæ cum impetu ad partem affectam ibi irrumpunt, & conſiſtunt: Remota verò reperiri poteſt in mala victus ratione prægreſſâ, & præſertim in nimia ſpiritus vini ingurgitatione vitioſâ; tali enim potu frequenter delectari Patientem noſtrum à Domeſticis ſuis, & amicis audivi: Quatenus verò particulæ acres deferuntur ad vaſcula lachrymalia, humorem ibi detentum eliciunt: Prognoſis iſtius affectionis eſt, morbum hunc, etſi doloroſum, tamen non eſſe lethalem, & plus doloris, quam periculi habere: ſi autem diù perſeveraret, & adhi-

bitis ex arte remediis adhuc pertinax esset, tunc graves inducere posset effectus, ipsamque cœcitatem causare: Indicationes curativæ sunt, depurare cruorem à particulis acribus, ibi stagnantes sanguinis moleculas dissipare, atque partes ipsius oculi affectas corroborare; quibus ut satisfiat ad præsidia accedere oportet remediorum. Chirurgicus fons primo in limine nobilissimum remediorum genus, nimirùm Venæ sectionem, suppeditat, sine qua nullam fuisse curatam ophthalmiam ait *Joh. Michaëlis in Prax. Clinic. special. cap.* 7. educatur ergo sanguinis libra una è cephalica brachii dextri: Insuper cucurbitulæ scarificatæ adhibendæ sunt, quæ magni erunt usûs, ut & fricationes, & clysteria. Ex fonte Pharmaceuticò mihi se offert lenitivum ad alvum solvendam; indè laudarem *serum caprillum colatum* per plures dies, in quo prius dispersæ sint aliquæ *guttæ spiritûs salis Ammoniaci.* Vesperè *emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum* commendarem ad hoc, ut spicula particularum acrium, à quibus tristis oritur sensatio, obtundantur: Ante somnum conveniet cochleare unum sequentis Conservæ ℞. *Conservæ Anthos, Euphrasiæ, Florum Tunicæ, Betonicæ, ana*, ℥. j. *Misce.* Quin etiam masticatoria, & tabaci usus proponendus erit: Oculi quoque abluantur *aqua Fœniculorum, florum rubi albi, Euphrasiæ*, quibus *pulvis salis Saturni, Croci metallorum* vel saltem *Tutiæ præparatæ*, vel *flores Zinck* addantur: *Aquam panis* ad tres solum guttas in oculos instillandam laudat *Malpighius.* Circa diætam, Ægrotus noster congruâ utatur victûs ratione, & omninò se abstineat à vino; parcum sit prandium, & cœna parcissima; & uno verbo victus sit tenuis. Hæc autem pauca habebam pro salute Civis nostri Ophthalmici, quæ à Deo O. M. salutaria exopto.

Eventus.

Multis ex istis adhibitis remediis XX. dierum spatio multum Æger utilitatis percepit, atque mutato aëre optimè sanatus fuit.

CONSULTATIO XLIV.

De Suffusione.

EX his, quæ pro Nobilissimo Viro nostro Patiente luculenter, nec non prudentissimè scripta sunt à Clarissimo Medico suo ordinario, in eam sententiam facilè descendo: Virum hunc Illustrem suffusione laborare; visus enim oculi sinistri obtenebratus est, & valdè impeditus in concipiendis distinctè objectis visibilibus, immò nubecula quædam ante oculum ipsum apparet, quæ de die in diem augetur, quinetiam in oculo dextro prodromus alterius nubeculæ incipit manifestari. Affectio hæc suffusio nuncupatur, & vulgò *Cataracta* dicitur, quæ definitur, juxtà *Malpighium*, congestio quædam fluidi in solidum, & opacum corpus in aqueo humore concretum, quo rectus luminis transitus in interiora oculi impeditur, & successivè actus videndi tollitur. Causa istius affectus est humor crassus, & lentus, qui derivat ab ipsarum tunicarum oculi vasis: locus affectus est totum illud spatium, quod intercedit inter corneam, & crystallinum, quia in toto illo spatio potest concrescere suffusionis materies; quia verò incongrui, ac crassi istius humoris distillatio incipit in dextro oculo, sic nebulæ principium emergit. Vitæ autem genus, & præsertim nimia applicatio, & immodicum studium, ut audio, in nostro nobili Ægrotante, hoc malum excitavit; à nervorum enim nimia irritatione, fluidorum motus vitiatus fuit, & per consequens Ventriculi coctiò non ritè absoluta; sicque inquinato chylo, sanguis fuit infectus, & cùm recrementa non sint eliminata circulationis medio, in partem languidam oculi per vasa tunicarum ejus irruêre in partem affectam. Ad Prognosim quod attinet, notandum cunctationem in curatione istius morbi esse periculosam; neglecta enim, sive protracta curatione timendum ne cœcitas adveniat; jure & merito igitur Nobilissimus noster Ægrotus præsentem affectum non parvi facit, & timet, ne hæc incipiens suffusio majora mala minetur, quæ tamen potest digeri suadente *Galeno in Method.*, nec sine spe hanc esse affectionem docuit *Joh. Fortis in suis Consult.* Ut citò igitur curatio absolvatur, indicationes Me-

dicæ erunt confiderandæ, quæ, meo videri, funt tollere illos vifcidos, & tenaces humores in oculo exiftentes, depurare fluida ab inquinamentis, firmare partem affectam, & totum purgare caput; monuit enim *Galenus in Meth.* non licere oculum curare ante caput, neque caput ante totum corpus. Ad fatisfaciendum igitur iftis indicationibus curatio debet inftitui per confueta Medecinæ brachia, nempe per Pharmaciam, Chirurgiam, & Diætam: Et quoad primâm conveniet alvum lenire bis in menfe *Pilulis de Succino Cratonis*, quarum defcriptio rectè, & concinnè habetur apud *Malpighium in Confult.* 25. de cætero caveat Æger à vehementibus folutivis, ne major fiat colliquatio humorum, & eorum motus maxima concitatio: Convenient ad plures dies *fucci depurati Sonchi, Cichorei, & Borraginis cum fero Caprino colato; Conferva Betonicæ, & Euphrafiæ* utiles erunt antè, & poft cœnam. Ad partem affectam externè fequentia propono; *urinam pueri, pulverem florum Zinki in aqua Fœniculi, pulverem croci metallorum in aqua florum Rubi albi*, & fequentem pulverem in *aqua Euphrafiæ* propofitam à *Joh. Michaëli* in fua *Prax. Clinica generali*; ℞. *Aquæ Chelidoniæ*, ℥. ij. *Vitrioli albi, Tutiæ præparatæ, Sacchari cand. ana*, ℈. j. *Vitri antimonii in tenuiffimum pulverem redacti parum, & mifce pro ufu.* Sunt qui *fellem* & *pinguedinem muftelæ Pifcis* commendant, immò *D. Ofvvaldus aquam* fpecificam in hoc affectu parat ex *ovis formicarum* & *felle muftelæ pifcis.* A Chirurgico fonte poterit defumi Venæ fectio femel tantùm in pede inftituenda, & cucurbitulæ fcarificatæ. Frequentes fint frictiones dorfo faciendæ, & vefperè ante cœnam lotiones pedum cum aqua tepida. Dictis omnibus addenda erit congrua victûs ratio, ita ut caveat oportet nobilis Ægrotus nofter ab aëris inclementia, ab eduliis vaporofis, & frigidioribus, & præfertim leguminibus. Abftineat à vino generofo, ab exercitio poft cibum, & à fomno diurno: fugiat pariter compotationes; fed alacri vivat animo; vacet à curis, & ftudio: Condimenta acida, auftera, & piperata fufpecta habeat: tandemque Veneris ufum evitet, & abhorreat. Et hæc à me dicenda erant in propofito cafu.

Eventus

Eventus.

Proposita remedia ex parte fuere adhibita, ita Excellentissimo Medico Curante concludente, & ita quadraginta dierum spatio Nobilissimus Patiens pristinam sanitatem resarcivit; nunc sanus vivit.

CONSULTATIO XLV.

De Suffusione spuria.

NObilis Civis annorum ætatis XLIII. post Febrem Quartanam pertinacem, conqueritur de quadam caligine oculorum, & visus diminutione, & paulò post de omnimoda ejusdem sensus abolitione, adeò ut, nec adstantes, nec colores discernere possit, attamen recedente paulatim Quartana, oculorum obtenebratio pariter diminuitur. Nunc, ut visum omninò recuperet, consilium petit.

Talis morbus, vel potius symptoma olim observatum fuit à Clariss. *VValdschmidio*, & dici potest Suffusio symptomatica, & spuria, & solet comitari febriles paroxysmos. Hoc autem derivare potest à nimia dilatatione pororum vasorum oculorum; illâ quippe dilatatione vasorum, non solum subtiles sanguinis partes, sed & crassæ intrant in oculos, & humores, quæ illos alterant, & lædunt; verùm cùm illæ partes sint pauciores, &, ut ait citatus *VValdschmidius*, adhuc satis fluxiles, sic facilè discutiuntur, & dissipantur; undè curatio facilis est, nam absente febre, tale symptoma per se cessare debet. Partem tamen affectam corroborare debemus, & omninò inhibere redditum Quartanæ Febris. Sequentia igitur adhiberi poterunt: *Vinum Ophtalmicum Plempii*, cui addatur modicum *Cremoris Tartari*, *Croci metallorum in aqua Euphrasiæ*, *& florum Rubi albi*; *flores Zinki*, *Tutia præparata*, *Crocus cum aqua Fœniculi* plurimùm valent. Appositio Cucurbitularum scarificatarum valde utilis est, ut aiunt multi. Alvus lubrica servetur, morbis enim oculorum affectis alvi profluvio corripi bonum ait *Hippocrates*. Quibus omni-

omnibus sit adnexa conveniens vivendi ratio, quæ sit ciborum bonæ, ac facilis coctionis; & hæc omnia in hujus nostri Civis salutem D. O. M. concedente cedant.

CONSULTATIO XLVI.

De Amblyopia.

EX consilio Dom. Medici domestici ad nos delato, & ex ipsius verbis Dom. Patientis accepimus, affectionem curandam esse ἀμβλυωπίαν à multis ἀμαύρωσιν dictam, à Latinis *Obscuritatem*, cùm nulla manifesta affectio in oculis in conspectum prodeat, sed pupilla pura, atque incolumis respiciatur; & tamen Illustris Patiens obscuritate in oculo afficiatur.

Hic affectus est totius lucis in oculo impedimentum, & fit cùm oculi lux extinguitur ex defectu spirituum, quorum defectu necessariò frigent, & rigent oculi, & ut plurimùm oritur à nervorum opticorum obstructione imperfecta; quod si obstructio perfecta esset, totalis visus deperditio haberetur. Causa itaque hujus affectionis est crassus, & viscosus humor illapsus in nervos ad visionem facientes, ex quo spiritus ad visionem celebrandam non possunt delegari; nec solùm carentia spirituum hujus morbi est causa, sed multò magis impeditur visio, quia species pertransire non possunt. Itaque si Ægrotus ab hujusmodi vitio curari debet, viscidítatem illam nervos obstruentes tollere oportet, & quoniam jam non perfecta est obstructio, quatenus scilicet visio non est abolita, sed periculum sit ne augeatur, & ad perfectam Amaurosim, seu omnimodam cœcitatem fiat transitus, ideò quantò citius curatio subeunda; quam quidem perfectè consequi arduum esse timeo; quoniam in occulto pars affecta jacet, & partes oculorum sunt admodum exiles, ac delicatæ. Sed ad curationem vsniamus, & primò à Pharmacia desumenda erit communis purgatio, quæ haberi poterit medio *pilularum Cochiarum, Aggregatarum, Lucis, ana,* ʒ.ß. *Misce, fiant Pilulæ VI.* quæ assumantur cum jusculo mane jejuno stomacho. Purgato corpore, Phlebotomia instituatur in brachio dextro, indè ad usum decocti sequentis deveniendum erit. ℞. *Ligni Sassa-*

Saſſafras, *Chinæ*, *Lentiſci*, *Salſæparillæ*, *ligni Quercini*, *ana*, ℥. *i. inciſa divide in XV. partes æqualas*, *quarum una quovis mane bulliat in aqua Fœniculi*, *& coletur* atque jejuno ſtomacho ſumatur. Collyria quoque erunt uſurpanda, confecta ex *aqua florum Rubi albi*, *Chelidoniæ*, *Euphraſiæ*, *ac Sief albi ſine opio*; cucurbitulæ ſcarificatæ ſcapulis apponendæ. Pariter *vinum Euphraſiatum* potandum in principio menſæ, vel mane jejuno Ventriculo, cujus deſcriptio ſequens eſt; ℞. *Foliorum Euphraſiæ ſiccæ*, ℥. *j. Radicis Fœniculi*, ℥. *ij. Foliorum Cariophyllatæ*, ʒ. vj. *Betonicæ*, *Verbenæ*, *Majoranæ*, *ana*, ℥. ß. incidantur, & in doliolo collocentur; affunde *vini albi generoſi menſuras XII.* vel vindemiarum tempore affunde muſtum recens, & ſinito effervescere; poterit & ad gratiam addi Cinnamomum. Nonnulli fonticulum aperiri in brachio jubent, ſperantes multum levaminis. Balneum aquæ tepidæ ad crura, & pedes ante ſomnum ſunt qui laudant ad viſum acuendum, quod balneum Phlebotomiam ſiccam dixit *Clar. Dom. Jo. Maſſeneau in ſua Medic. Natur. cap.* 120. Maſticatoria, & Errhina in uſum etiam ducenda, quatenus tenax per os, & nares humor excernitur, & licèt materiam conjunctam non tollant, deflectunt tamen humores ad palatum, & ſic à parte affecta trahunt, cùm nervi optici ab inferiori cerebri parte oriantur; undè maſticatoria, ſaltem ratione vicinitatis, convenire videntur. *Nicotianæ* uſum non improbo, imò abluere oculum *ſpiritu vini* valdè conferre obſervavi. An autem ablutio oculorum ſit facienda calida, an frigida? reſpondeo mihi arridere potiùs calidum fotum, quam frigidum, authoritate *Hippocratis* fretus, qui ſcribit calidum oculis convenire, & *Galenus* oculis frigidum mordacem eſſe dixit in *lib.* 4. *de ſimpl. Med.* Hinc *Fabricius Hildanus* ex lotione aquæ frigidæ nobili cuidam debilitatum, & obſcuratum viſum fuiſſe notavit. His omnibus accedat idonea vivendi ratio morbo, & illius cauſæ adverſa, juxtà qualitatem, & quantitatem. Læto Æger ſit animo, triſtitia enim nihil prodeſt, ſed nocere poterit. Quæ omnia Præſtantiſſ. Dom. Curantis conſilio, ac prudentiæ ſubjecta volo.

Eventus.

Propoſita remedia ex parte fuerunt adhibita, & Patiens melius ſe habere incepit, mox aëre mutato perfectè convaluit.

CONSULTATIO XLVII.

De Viſione imminuta.

ILluſtriſſimus Comes annum agens 33. nonnullis abhinc annis de Viſione imminuta dolet, atque conqueritur, ità ut objecta etiam proxima ferè non diſcernat; ideò Medicum auxilium poſtulat.

Iſte morbus per ſe jam patet, & Viſio imminuta vocatur, cujus cauſa erit vitium pupillæ, & cryſtallini humoris, debitam luminis admiſſionem varians, ratione exuberantis humoris aquei, qui anterius corneam tunicam eminere facit, undè in noſtro Nobili Patiente oculi prominentes obſervantur; & *Cl. Malpighius in Conſult. 26.* docuit illos, qui longius non diſtinguunt objecta, prominulos oculos habere: Remotæ verò cauſæ dyſcraſiam humorum pro fomite agnoſcunt, undè debilitatis oculi partibus, vitiantur illius humores; & hoc in caſu noſtro à nimio ſtudio, & applicatione provenire puto, quemadmodum etiam alii Medici ante me crediderunt, dicendo poſt vehementem applicationem, & diuturnum ſtudium hunc affectum accidiſſe. Ad Prognoſim quod concernit, iſte morbus certè non eſt mortalis, attamen periculum cœcitatis minatur, ideòque ad citam curationem deveniendum antequam affectus iſte altius radicetur. Indicationes igitur erunt, exuberantem aqueum humorem minuere, humorum dyſcraſiam corrigere, & partes oculi debilitatas corroborare; quæ omnia, ut celeriter aſſequantur, opinor, quoad Chirurgiam, cum *Clariſſ. D. Joh. Forti in Conſult.* nullam ſanguinis miſſionem prodeſſe poſſe; utiles tamen erunt frictiones dorſi à nucha incipientes, clyſteres, & frequentes lotiones pedum aqua calida ante cœnam faciendæ: Sunt qui aurium extremitatis perforationem, ut uſurpatur in fœminis

minis venustatis gratia, commendant. Ex Pharmacia primò levem primarum viarum expiationem faciendam sola potione ex *Mana clarificata* suaderem, inde pro alterantibus ad quinque dies uterer *jusculo* in quo bullierint *folia Betonicæ*, *Cichorei*, *Borraginis* ad sufficientem mensuram: Inde sequentem pulverem à *Montagnana* commendatum ante cibum ad mensuram medii cochlearis exhiberem ad multos dies. ℞. *Macis*, ℥. i. *Euphrasiæ*, ℥. iiij. *Misce fiat Pulvis subtilis S. A.* Bonus etiam erit odor frequens *Majoranæ*; *Conservæ Euphrasiæ*, *Anthos*, *Betonicæ* utiles erunt, sicuti decoctum *radicis Caryophyllatæ*, *Rutæ*, *Chelidoniæ*, *Verbenæ*, *florum Cyani*, *Anthos*, & *seminum Fœniculi*; Valdè juvabit oculos madefacere aqua sequenti videlicet. ℞. *Aquæ Rosarum*, ℥. i. *Salis Ammoniaci*, ℈. i., *Sacchari cand.* ʒ. i. *Vitrioli albi* ʒ. ß. *Albuminis ovi*, ℥. ß. *Misce*, probè agitando in pelvi aurichalcea. Omninò postea existimo, vitreorum conspicillorum usum convenientem, in hoc casu prodesse plurimùm, & hoc duplici de causa, primò similitudine quadam substantiæ oculos reficiunt, & in statu suo conservant, secundò quia radios, quibus visio perficitur, dispergi non ità subitò sinunt. Tandem congrua victûs ratione opus erit; *Hordeum*, & *Oryzam* commendo, carnes suillæ prohibentur; *Vinum* sit medicatum *Ligno Rorismarini*, *Lentisco*, & *Quercino*: cœna sit levis; fugiendus est somnus diurnus: Alvus servetur lubrica, & animo læto sit æger; sic enim Deo favente melius in dies ut spero se habebit.

Eventus.

Optima vivendi ratione observata, multisque ex præscriptis remediis adhibitis non tantùm in pejus visionis vitium non cecidit Ægrotus noster; verùm sensibiliter visum recuperavit, & semper melius in dies se habet.

CONSULTATIO XLVIII.

De Surditate.

Ex enarratis in consultatione diligentissima Excellentissimi D. Curantis, Viri equidem Præstantissimi, colligo, Reverendum Dominum surditate laborare: Incepit enim mense Maii conqueri de tinnitu, ac sonitu aurium, quibus accessit dolor cum auditûs imminutione, tandemque omninò surdus evasit; nunc de agendis pro salute consulit.

Morbus hic manifestus est, & surditas vocatur, Græcè κώφωσις *Kophosis.* Provenit hic affectus à deficiente spiritus animalis per nervum acusticum affluxu, qui tollitur, ut plurimum, à materia viscida, & crassa super tympanum stagnante. *VVillisius* putat à tympani relaxatione; *Clariss. D. Valsalva Amicus meus semper colendus* in surditate invenit totum tympanum ab informibus fibrosis veluti excrescentiis occupatum. In præsenti verò nostro Ægrotante causam, materiam crassam super tympani membranam agnosco, quæ sonum impediendo auditum tollat; immò puto, nervum ipsum auditorium obstructum esse à viscido humore, undè spiritui animali transitus intercludatur. Ad Prognosim quod attinet, primò dico, surditatem hanc morbum esse chronicum, & difficile curatu; undè surditatem affectum esse, qui rarò curationem admittat, scripsit *Joh. Fortis in Consultat.* Attamen quia in nostro Patiente Ætas consistit, & vires validæ sunt, salus erit speranda: quocircà indicationes sunt considerandæ, quæ videntur esse, restitutio influxus spiritus animalis ad aurium organa interna ut sequatur auditus, ablatio humoris crassi supra tympanum morantis, revulsio ipsius liquoris peccantis à parte affecta, & demum partem laborantem corroborare, quæ omnia ut faciliter assequantur, ad Pharmaciam, Chirurgiam, & Diætam est deveniendum: Et primò quoad Pharmaciam, debet alvus solvi *potione* nostra *Magistrali solutiva ad libram semis*, indè, quotidiè alterans exhiberi, quod sit jusculum carnis, in quo prius bullierint *folia Endiviæ*, *Borraginis*, *Betonicæ*, & *Cichorei.* Posteà devenien-

dum

dum erit ad usum decocti sudorifici in hunc modum parandi: ℞. *Ligni Visci Quercini, medullæ Guaiaci, Salsæparillæ electæ, ana,* ℥. ij. *aquæ communis, Lib. VIII. incisa misceantur & infundantur per horas XX.*, *indè bulliant ad consumptionem tertiæ partis*, & colatura servetur pro quinque vicibus, hora una sumenda ante ingressum hypocausti; & hujus decocti usus per viginti dies servetur. Conservæ capitales in usu sint, ut *Betonicæ, Salviæ, Tunicæ, Liliorum convallium, Anthos* &c. Errhinum pariter tanquam utile propono, quod remedium scripsit olim in surditate *Joh. Fortis*, & sequens est: ℞. *Pulveris Majoranæ, Ireos Florentinæ, ana,* ʒ. *ij. Nigellæ* ʒ. j. *misce. Oleum* auribus instillandum commendatur à *Joh. Michaëli*, quod præparatur *ex vermibus* repertis in corticibus *ligni Quercini.* Granum unum *Moschi* optimi in bombace permixtum auribus indatur, quod remedii genus à *Foresto* laudatur. *Succus Hederæ terrestris* depuratus cum *vino albo* potenti instillatus mirificè commendatur à *Zecchio in consult.* & *à Bonneto in Thes. medic.* Balnea sulphurea poterunt usurpari suadente *Riverio.* Expertus non semel fui *fellis Bovis* usum, *adipem Anguillæ*, & *allium* coctum in auribus ponendum; Chirurgia necessariam exhibebit sanguinis missionem in brachio dextro, & Hirudines sedalibus Venis applicandas, & quatenus alvus non respondeat, Clysteria proderunt communia, ac frictiones dorso sub vespere faciendæ juvabunt. Diæta denique dictis omnibus correspondeat, & præsertim Æger caveat ab alimentis vaporosis, ab aromatibus, Allio, Cepis, Fœniculis, Apio, Lactuca; sicuti etiam à vinis generosis: cœna sit parca. Exercitium moderatum proderit ante cibum.

CONSULTATIO XLIX.

De Surditate.

NOn obscuri nominis Vir annorum ætatis XLVII. bonæ temperiei, modò Vertigine, modò capitis dolore laboravit; exinde in aurium tinnitum, tandemque in Surditatem incidit, quæ à multis diebus eum vexat, absque febre, & ullo alio corporis sui incommodo: nunc medicam opem desiderat.

Morbus iſte Surditas nuncupatur, & Græcè dicitur Κώφωσις; & definitur abolitus, vel valdè imminutus auditus: cujus affectionis cauſa in noſtro Cive eſt, meo videri, defectus ſpiritus animalis per nervum acuſticum affluxûs, quo internè auditus peragitur; ſi enim proveniret vel a tympano vel aliis partibus iſtius organi, debuiſſet præcedere dolor, tumor, & ulcus in parte, quod non accidit; ideòque putandum cauſam hujus affectionis ab interno provenire, quatenus jam caput ſuam valetudinem oſtendebat, antecedentibus Vertigine, Cephalæa, ac aurium tinnitu: Cùm autem duplex ſit hic affectus, alius in fieri, & fugax, atque levis, alter habitualis, ſtabilis, ac fixus, qui eſt penè incurabilis; ideò in prima claſſe ponendus hic, de quo agimus, & per conſequens ſanabilis, maximè quia altas non egit radices. Accuratè igitur erit ineunda curatio, & primò purgandum communiter erit corpus, inde capitis intemperies tollenda, nervus a viſcida materia ſpiritus impediente liberandus, ac denique pars affecta corroboranda. Quæ ut aſſequamur, primo è Chirurgico fonte Venæ ſectio inſtituenda in brachio dextro, & educendæ erunt unciæ decem ſanguinis, quam etiam commendavit *Joh. Fortis in ſuis Conſult. cent. I. conſ.* 88. Hirudines etiam ad hæmorrhoides utiles erunt, & ultimo cauterium in brachio apponendum laudo. Frictiones, & frequentes pedum lotiones in aqua tepida faciendas commendo. Ex Pharmacia verò, deſumantur primò *Potio Clarificata ex Manna*, vel *Caſſia*; pro alterantibus utatur *decocto Betonicæ*, *Primulæ veris* & *Endiviæ*: Inde ad fortiora deveniendum, ut ad *decoctum ex Salſaparilla electa*, *Viſco Quercino*, *ligno Saſſafraſs*, *foliis Roris-marini*, *Betonicæ*, & ſi tali tempore ſudare in hypocauſto vellet, erit utile. Topica etiam non inutilia erunt, ut *Moſchus in bombace mixtus*, *ſuccus hederæ depuratus cum vino albo generoſo* inſtillatus. *Spiritus Vini* in quo *Elleborus albus* infuſus ſit magnam habet efficaciam, ſuadente *Lazaro Riverio*: *Oleum Caſtorei* præterea, *oleum Amygdalarum amararum*, *oleum ex ſemine Been*, *Petroleum*, *Cepam coctam ſub cineribus*, *oleum de ſpica* poterunt experiri, utpote commendata remedia topica a variis Medicinæ Magiſtris: Inſuper *Majoranæ ſuccum* in aurem inſtillatum commendat *Donzellus*, & ſummis laudibus extollit. Addatur inſuper congrua victus ratio

tio a Viro Excellentiſſimo præſcribenda, & ſpero Patientem noſtrum ſalutem optatam recuperaturum. Quod faxit D. O. M.

CONSULTATIO L.

De Hypocophoſi.

AFfectum, quo pertinaciter diu Illuſtris Civis torquetur, eſſe Hypocophoſim clariſſimè apparet ex morbi hiſtoria diligenter exarata, atque mihi nuper tranſmiſſa, ita ut de morbi eſſentia, & quidditate vix quidquam dubitari poſſit: Æger enim conqueritur de auditu gravi, ac difficili. Iſte morbus Græcè vocatur ὑποκώφωσις, Latinè ſubſurditas, ſive clarius difficultas auditûs: quæ differt a ſurditate gradu ſolum: Cauſam iſtius morbi, dicerent Veteres, eſſe humidam intemperiem tympani, & nervi auditorii, excitatam ab humoribus frigidis, craſſis, ac pituitoſis ad aures decumbentibus, qui audiendi functionem impediunt: Ego tamen oriri talem affectum puto ex obſtructione nervi auditorii, quatenus lympha tenuis ſeſe inſinuat tubulis minutiſſimis nervi auditorii, unde coagulatur, incraſſeſcit, & ita ſpiritus animalis influxus prohibetur. Iſte morbus per ſe non eſt periculoſus, ſed ſi altius confirmetur, poterit in apertam ſurditatem tranſire. Debemus itaque, quantò citius fieri poſſit, curationem aggredi, quæ utique peragetur confugiendo ad tres conſuetas Medicinæ Practicæ Claſſes, nimirùm ad Pharmaciam, Chirurgiam, & Diætam: Et quoad primam, univerſalia in uſum ducenda, ut purgantia, diuretica, ac diaphoretica; poterit enim primò uti *Syrupo Magiſtrali Solutivo ad* ℥. *VI.* adde in infuſione *Agarici Trochiſcati* ʒ. *ij* ad alvum laxandam; inde pro alterantibus exhibeantur juſcula, in quibus bullierint *folia Salviæ*, *Betonicæ*, *Primulæ veris* & *Acetoſæ*: veſperè autem *pulvis Oculorum Cancri præparatorum*, & *Stibium Diaphoreticum*. Decoctum *Salſæparillæ*, *radicis Chinæ*, & *Viſci Quercin* ad multos dies juvabit. Externè verò applicari poterit *oleum Been*, *Fel Bovis*, *adeps Anguillæ*, *Eſſentia Caſtorei*. D. *VValdſchmidius* laudat goſſypium auribus impoſitum imbutum *ſpiritu Formicarum*: Emplaſtrum de *Betonica* Capiti impoſitum com-

commendo: *Succus cepæ* in aures instillatus aliquando opem tulit; sicuti *aqua Reginæ Hungariæ*, & *Spiritus Vini* teste *Frambesario*. Fomenta ex *Absinthio*, *Majorana*, *Origano*, *Stœchade*, & similibus aliquem præstant usum. Suffumigia quoque adhiberi solent a pluribus Medicinæ Professoribus parata ex *Succino*, *Majorana*, *Serpillo*, *Absinthio*, *Origano* &c. Ex Chirurgia unicam Venæ sectionem instituerem in brachio dextro ad unc. X. sanguinis hauriendas; fricationes, & curcurbitulæ scarificatæ utiles erunt, sicuti pediluvia sub vesperam exercenda aliqui sunt, qui præscribunt. In omnibus porrò aurium affectibus suadente *VValdschmidio* conveniunt Fonticuli, licet sint nonnulli Medici, qui cauteria damnent in quocunque morbo; attamen si hoc remedii genus arrideat Excellentiss. Dom. Curanti, fiat. Diæta demùm sit accommodata, & Vinum medicatum sit *Sassafrass*, *Quercino*, & herbis capitalibus. Deus autem Patienti nostro præsto sit.

CONSULTATIO LI.

De Ozæna.

ETsi Civis Illustris anteactis temporibus adversâ, eâque variâ valetudine fuerit perturbatus; attamen sanus factus est, nec aliud patitur incommodum, quam Ozænam in naribus, à qua liberari desiderans meum poscit consilium.

Hic morbus Ozæna dicitur, & est ulcus narium putridum, tetri odoris halitum emittens, & definiri potest, exulceratio plerumque maligna interna, vel externa nasi cum fœtore, & saniei profluvio, magis, vel minus purulentæ, cujus causa est ichor lymphaticus acrior, & corrosivus partes narium depascens, unde adstantibus tetri spiritus contagione molestus est Æger; immò ipse sibi grave olet: quod si Patiens Lue Venerea fuerit antea vexatus, tunc curatu difficile erit ulcus, & timendum ne corrumpat cartilagines, & partes narium osseas, quemadmodùm ego pluries observavi in variis Lue Gallica affectis, quod tamen in nostro casu haud timendum, dummodò fuerit à Lue supradictâ immunis. Iste morbus periculosus est, primò ob diuturnam fluxionem, secundò

cundò ob periculum erosionis ossium narium; hinc *Peccettius* ait, omnia ulcera narium curatu esse difficilia, quia ut plurimum fiunt cacoethæ & ob humiditatem assiduè ad partem defluentem, & *Corn. Celsus* de Ozæna verba faciens inquit: *sciri quidem debet vix huic malo succurri.* Nihilominus tamen quædam tentanda erunt, ut sanitas acquiratur. Indicationes curativæ sunt, peccantes humores corrigere, partem affectam corroborare, & ad naturalem statum reducere; quæ ut assequantur ad tres praxeos Medicæ fontes devenire oportet; & primò quod spectat ad Pharmaciam, primæ viæ expurgentur *Manna, vel Syrupo Magistrali Solutivo*, inde sequenri apozemate pro alterantibus quotidiè utatur; ℞. *Radicis Cichorei, & Graminis, Foliorum Betonicæ, Primulæ Veris, Agrimoniæ, Seminis Fœniculi, decoque in aqua Hordei, & coletur; cui decocto addatur* ℥. *i.* ß. *syrupi de Cichoreo cum Rhabarbaro.* Corpore sic purgato post phlebotomiam, exhiberi poterit *decoctum Salsæparillæ, Sassafras, & radicis Chinæ.* Ad ulcus postea apponi poterit sequens remedium, ℞. *Succi Plantaginis, Geranii, aquæ Ranarumana*, ℥. j. *Misce. Galenus Calaminthæ succum* præscripsit, & *Manardus* noster ad hanc affectionem *urinam Asini* apposuit, idemque laudant *Pareus, Mercurialis,* & *Burnetus.* Si autem pertinaciter sequeretur affectio præsens, utatur aqua sublimata, qua ulcus abluendum ter in die, cujus descriptio talis est; ℞. *Aquæ Plantaginis,* ℥. *iiij. sublimati crudi pulverisati, gr. xij.* bulliant in phiala vitrea ad mediæ partis consumptionem: potest autem augeri, vel minui Sublimati quantitas, prout fortius, vel debilius medicamentum voluerit haberi. Talis autem formula describitur a *Laz. Riverio in sua prax. lib.* 4. Ulcere porrò probè deterso, ad illius exsiccationem veniendum, ad quod confert *pulvis Rosarum rubrarum.* Multi sanationem Ozænæ ponunt in Aqua Vitæ. Victus sit ex carnibus optimi succi, recentibus ovis; post cibum semper sumat *conservam Rosarum*, & pro potù utatur vino albo optimè diluto. Sic enim spero, ut Patiens noster a fœda Ozæna liberetur. Quod faxit D. O. M., ut ex corde precor.

CONSULTATIO LII.

De Ozæna.

MAgnus Medicorum Princeps *Hippocrates lib. de Arte* ſcripſit, Medicinæ Profeſſores, ſi in externarum partium morborum cognitione fallantur, nullam meriri excuſationem, quia eorum eſſentia oculis ipſis patet, ut in caſu noſtro: nemo enim eſt, qui ambigat Civem noſtrum ulcere peſſimo narium vexari: Æger ipſe ſibi grave olet, & adſtantibus tetri ſpiritûs contagione moleſtus exiſtit. Hic affectus Ozæna vocatur, quæ nihil aliud eſt, quam exulceratio maligna interna narium cum fœtore, & profluvio ſaniei, uſque adhuc ſine corruptione oſſearum naſi partium: cujus cauſa eſt acidum quoddam acre nares erodens, & ſanguinem ex arteriolis effluentem, non ſolùm in pus vertens & corrumpens, ſed intolerabilem fœtorem producens: undè præcipuum ſymptoma, quod in noſtro Patiente obſervatur, eſt fœtor narium; qui contingit, quatenus aër exſpiratione mediâ expreſſus è pulmone, dum anguſtias narium ulceratarum pervadit, & ſecum trahit halitus putridos ſeparatos à loculis glandularum naſi: & aliquandò dependet hoc vitium ab ipſa narium ſtructura, ſicque in depreſſis naribus facilè contingit; aliquandò verò à vitio totius corporis, ut in caſu noſtro. Ad Prognoſim quod attinet: hæc ulcera difficulter curantur, undè narium pinnæ, interſtitiumque, vel ipſa etiam oſſa corrumpi ſolent. Si verò procederet à Lue Venerea, quod non credo, tunc eſſet penè incurabilis, niſi Celtica Lues ſimul edomaretur. In Ozæna autem præſenti curanda agere debemus, ut ulterius prohibeatur materiæ vitioſæ accretio: Inſtitutâ debitâ victus ratione, purgatione, venæ ſectione, & capitis corroboratione tollenda eſt humorum putredo. Et primò alvus exoneranda erit medicamento leniente, verbi gratia, *Potione ex Caſſia clarificata*; deinde pro alterante utatur *jure pulli Chalybeato*, in quo *folia Borraginis*, *Meliſſæ*, *Abſinthii*, *Cichorei* ebullierint. *Serum Caprinum* colatum laudat *Malpighius*: maſticatoria prodeſſe poterunt. Venæ ſectio ſemel tantum inſ-

instituatur: abluatur pars affecta *aqua chalybeata*, & *vino austero*, in quibus *folia Rosarum, Lentisci* macerata sint. Ulcus sequenti remedio attingatur suadente *Dolæo*: ℞. *Myrrhæ*, *Calchitidis*, *ana*, ʒ. v. *Aluminis scissilis*, *gallarum immaturarum*, *squammæ æris*, *ana*, ʒ. ij., *Aluminis rupei*, ʒ. j. Coquantur in sufficienti quantitate Aceti in vase æneo; & serventur ad usum. *Asini lotium* attractum laudat *Mercurialis*: *Aquam Viridem Th*: *Burnetus Succus Solani*, *Geranii*, & *Sempervivi* utilis erit. Ego per mensem *aquam Pomponatii stibiatam* exhiberem, ex qua magna erit expectanda utilitas. Victus ratio sit attenuans, parum carnibus utatur Æger noster, & motu locali multùm exerceatur. Et hæc pauca sint à me dicta pro integra nostri Patientis salute.

CONSULTATIO LIII.

De Narium Hæmorrhagia.

MUlier XXXIX. annorum, Vidua, temperie bonâ prædita, ad actiones omnes tam animales, quam vitales promptissima, unde potius virilem, quam fœmineum animum prodit: licet parcè semper per uterum expurgata, attamen fœcunda, nam tres habet filios; nonnullis abhinc mensibus frequenti Narium Hæmorrhagia corripitur, modò citiùs, modo tardiùs sistente, cum modico capitis dolore, aurium tinnitu, ac faciei rubore; Consilium poscit, ut à tali affectione liberetur.

Morbus iste definitur, immodica, & præternaturalis sanguinis è naribus profusio, apertis, ruptis, vel exesis Venis, aut Arteriis eo desinentibus; eas autem aperit per anastomosim copia nimia cruoris, acrimonia ejusdem per diæresim, ob vasorum verò tenuitatem, & eorum tunicæ raritatem per diapedesim exit cruor; sicque tripliciter potest contingere sanguinis Hæmorrhagia: in casu autem nostro per anastomosim sanguinem exire puto, quatenus ex nimia copia exit sanguis in nostra Patiente, idcirco benè *Galenus*, ait profluvia sanguinis semper fieri, vel affecto cruore, vel vase; Quapropter sanguinis effusionem semper esse præter naturam, exceptis Menstrualibus, & Hæmorrhoïdalibus, si tamen moderatæ

 fuerint

fuerint iſtæ fluxiones : Et *Hippocrates in aphoriſm.* ait : *ſanguinem ſupra efferri qualemcunque ſemper malum eſſe.* Siſtendæ ergo ſunt iſtæ ſanguinis effuſiones; incraſſandus cruor, & ad partes Uteri deducendus : quæ ut acquirantur, ad conſuetos Medicæ praxeos fontes deveniendum erit; & primò Venæ inſtituatur ſectio in pede, & præſertim in actu ipſius Hæmorrhagiæ, ſic enim magis operatur. Sunt qui cucurbitulas laudant ſcarificatas, quas non improbo: ſi opus ſit alvum ſolvere, advertendum cum *Joh.Forti* abſtinendum eſſe ab Aloëticis, cùm hæc habeant facultatem aperiendi orificia Venarum; ſicque uti poterit *Floribus Caſſiæ*, vel *Floribus Perſicorum*. Exhiberi poterit inſuper *ſuccus Urticæ*, *Tinctura Coralliorum in aqua Plantaginis*, *& rotulæ Diatragacanthi cum bolo*. Prodeſſe poterunt *pilulæ Helvetii*, *Terra ſigillata Magni Ducis*, *Crocus Martis adſtringens*, *& pulvis Sympatheticus*, ac *Terra Lemnia*; & iſta aſſumantur cum *decoctione Plantaginis*. *Cineres Chartæ albæ* combuſtæ in nares immiſſæ laudantur à *Foreſto*. Anacolema ſequens fronti imponatur. ℞. *Aquæ* Roſarum, ℥. iiij. *Aceti Roſati*, ℥. j. *boli Armenæ*, ʒ. j. *Miſce*, & frigidè adhibeatur. Poterit etiam fronti applicari Aqua chalybeata. Sunt qui ligaturas faciunt, & contorquent minimum digitum in manu. *Uſneam Cranii humani* commendat *Rob. Boyleus in lib. de util. Philos natur.* & me olim obſervaſſe recordor, efficaciſſimum cataplaſma ſequens fronti, & temporibus admotum. ℞. *Gypſi cum aceto ſubacti ad craſſitiem duorum digitorum* Q. S. *Aqua Spermatis Ranarum cum ſyrupo Coralliorum* frigidè epota juvabit. Stupa inſuper frequenter ſequenti aquâ madefacta naribus indatur, ℞. *Aceti Fortiſſimi*, *Croci martis*, *Cholcotaris*, *de primo*, ℥. j. *de aliis* ʒ. j. *Laudanum opiatum ad gr.* ij. exhiberi poterit, quando affectus iſte eſſet contumaciſſimus. A vino abſtineat, & ab omnibus, vel actu, vel potentiâ calidis; item arcenda Tuſſis, vociferatio, colloquium, ambulatio, atque omnis motio corporis, quibus addenda congrua victus ratio, bibendo aquam Lentiſci. Læto ſit animo, & in Deo ſperet, ipſe enim omnes languores ſolus ſanat.

CON-

CONSULTATIO LIV.

De Narium Hæmorrhagia.

CIvis quidam noster Ferrarienfis, ætatis annorum 37., temperiei plethoricæ, conqueritur de frequenti Narium Hæmorrhagiâ, & nuperrimè in tanta quantitate fanguis per nares prodivit, ut ferè librarum fex pondus æquaret; nunc opem Medicam poftulat.

Eft itaque præfens affectio immodica, & præternaturalis fanguinis è naribus profufio apertis Venis, aut arteriolis in nares definentibus; eas porrò aperit per anaftomofim fanguinis copia, ut in præfenti cafu, in quo adeft plethora, non enim puto per diæresim, aut diapedefim fanguinem in noftro Cive exire, fed tantum per aperta vaforum ofcula. In hac affectione res eft plena periculi; quia nifi fiftatur cruor, Ægroti vita periclitatur; ideò, quanto citius fieri poteft, fanguis erit retinendus, & inde curandum, ne iterùm vafis apertis exeat. Statim igitur Vena incidatur in manu, inde in pede, fi tamen vires conftent; & poftea ad fpecifica deveniendum erit. *Stercus* igitur *Afininum* recens cum *Bolo Armena* mixtum, naribus appofitum prodeft, fi *Petro Forefto* fides habenda. Apponatur fronti fequens remedium; ℞ *Aquæ Rofarum* ℥. v. *Aceti rofati* ℥. iij. *Boli Armenæ*, ʒ. i. *Mifce, frigida cum panno lineo fronti alligetur*; Multi digitum annularem cum auriculari conftringunt: Alii partes genitales, ad fiftendum fanguinem è naribus profluentem, aquâ frigidâ abluunt fuadente *Cratone*. Bonum infuper erit *ufneam cranii humani* adhibere. Profunt etiam frictiones; *Oxycratum* per nares frequenter attractum, tefte *Riverio*; *Aqua frigida* in faciem confperfa; *panni linei aceto fortiffimo madefacti* fronti appofiti frequenter; *Cataplafma ex gypfo, & aceto* confectum; *goffypium atramento infectum*; *pulvis pilorum leporis*, *Vitriolum rubificatum*, *fuccus Urticæ*. *Jafpidem* collo appenfum juvare fcribit *Anfelm. Boetius de lapid., & gemm.* Si verò fanguinis exitus non fiftatur; cucurbitulæ cum magna flamma fcapulis, cervici, natibus, & coxis erunt applicandæ. Cibi fint incraffantes, & pauci nutrimenti, & fub forma liquida exhibeantur

antur, ut sunt *juscula hordeata*; masticatio enim Hæmorrhagiam promovet; si autem vires sint debiles, *panatellæ* cum *ovis* exhibendæ, in quibus *amylum*, aut *gummi Arabicum* dissolvatur. Hinc D. O. M. precor, ut hæc à me proposita sint proficua, & salutaria.

Eventus.

Non omnia, sed aliqua dumtaxat prædictorum remediorum fuere adhibita, at die morbi quarta superveniente Diarrhœa convaluit æger, nec amplius Narium Hæmorrhagiam passus est; nunc sanus vivit.

CONSULTATIO LV.

De Ptyalismo.

NObilissima Mulier, ætatis annorum LI. Vidua à multo tempore, in omnibus actionibus suis generosa, & audax, salivatione frequenti afficitur, ita ut locum, in quo manet, brevi salivali humore consperfum videat, & adstantes non sine admiratione conspiciant; ad quam avertendam affectionem consilium Medicum poscit.

Morbus iste Græcè Πτυαλισμὸς, *Ptyalismos* dicitur, & est crebra oris salivatio, & sputatio; quæ oritur à serositate copiosa, & lympha, glandularum præsertim salivalium, excedente, ductusque salivales reddente patentiores; de quo morbo pluries *Hippocrates* mentionem fecit, ut observavit *Foesius*. Est symptoma in excretis considerabile; pendens à lympha affluenter impartita partibus salivæ secretioni dicatis, ut sunt glandulæ salivales, & præcipuè parotides, à quibus, per salivales ductus, in palatum saliva ipsa deducitur, quæ ad glandulas per arterias derivat: Quoties ergo ab istis copiosè communicatur serosus humor, salivatio etiam copiosa contingit, quia salinæ particulæ in massa cruoris existentes, fusione, seu corrosione nimiam humorum serositatem pariunt. Debemus igitur in hoc casu providere; & prævidere, provisio exposcit

cit curationem, prævisio studet arcere imminentia, & majora mala, quæ minatur impuritas præsens totius massæ cruoris; sumus enim in casu timoris morbi majoris. Ut autem curatio ritè instituatur, examinandæ sunt indicationes, quæ meo videri, consistunt in dulcificatione sanguinis introducendâ, salinis particulis erosivis eliminandis, uno verbo massam cruoris ad pristinum statum restituendo. Quæ ut assequantur ad Pharmaciam, Chirurgiam, ac Diætam recurrendum. Quoad primam, pro primis alterantibus uti poterit jusculo vituli, in quo bullierint *folia Cichorei*, *Endiviæ*, & *Borraginis*, additis aliquibus guttulis *spiritus salis nitri dulcificati*; elapsis aliquibus diebus sumat Ægra *potionem ex Cassiæ clarificatæ*, ℥. *VI.* *Tincturam Rosarum* commendat *Pomp. Saccus in suis Consult.* Ego laudo *Elixir. Proprietatis Paracelsi* ad roborandum ventriculum, ut etiam *species Diamargariti*, & *Sal Absinthii*: *Succi depurati Cichorei*, *Borraginis*, & *Agrimoniæ* utiles erunt, sicuti *decoctum Salsæparillæ*, & *Visci Quercini*, & *conserva Aciditatis Citri*. Ex Chirurgiâ, unam tantum Venæ sectionem in salvatella manus dextræ sumerem ad septem uncias sanguinis extrahendas. Quibus omnibus congrua victus ratio addatur: utatur in cibo, succo *Granatorum*, *Ribes*, *Omphacio*, *Aceto*: demum *aquam Brandulæ* propono ad ducendum per diuresim materiam lymphaticam & serosam. Cibaria sint facilis concoctionis, & optimi nutrimenti; uno verbo, victûs ratio medicaminum præscriptorum virtuti correspondeat: & hæc Deo Auspice in salutem ægrotantis cedant.

Eventus.

Adhibitis multis ex prædictis remediis, & idoneâ vivendi ratione, post duos menses superveniente demùm Diarrhœa Ægra nostra convaluit. Nunc sana vivit.

CON-

CONSULTATIO LVI.

De Stupore Dentium.

DEsideras consilium ad tollendum stuporem Dentium pertinacem in quodam Illustri Civè affini tuo dilectissimo.

Dentium stupor est sensus depravatus, quo in dentibus percipitur incommoda cujusdam adstrictionis molestia citra naturæ consuetudinem: ab aliquibus dicitur dentes ipsos affici; attamen non omnis illorum substantia, sed solùm expansiones nervosæ, & membranosæ in radicibus dentium, vel in ipsis gingivis adstrictorio quodam motu affliguntur; & revera talem stuporem inducunt omnia acido-austera ipsis dentibus admota, ita vomitus acidæ pituitæ, sic spiritus omnes acidi, fructus acerbi, qui succo àustero-adstrictorio pollent, talem affectum producunt: Quod si, ut in casu nostro, frequens stupor dentium occurrat sine causa externa, hoc provenit ab humore salivali austeriore, & minatur periculum, ne tandem dentes carie afficiantur; immò etiam corruptâ ipsâ gingivâ vacillent. Ad curationem igitur quod spectat, proderunt omnia illa, quæ austeros succos peccantes absorbere, & edulcorare valent; undè dentes primò quotidie fricari possunt *Portulaca*, *Malva*, *Parietaria*, *pulvere Liquiritiæ*, *Mucilagine Seminis Cydoniorum*, *pulvere Oculorum Cancri*, & *Unicornu fossili*: & quia timeo massam humorum peccare; ideò prius communiter purgato corpore, ad aquas thermales bibendas confugere opus erit; sicuti commendo usum *lactis Asinini*, vel saltem *Caprini* cum debito Diætæ regimine à prudentia tua præscribendo. *Vinum* sit *dulce*; immò statim à prandio cyathum aquæ fontis bibat. A studio, & applicatione abstineat, & post cibum ab illis omninò fugiat; nec se lecto committat, nisi elapsa una saltem hora à cibi assumptione. Hæc pauca &c.

CONSULTATIO LVII.

De Angina.

NObilissima Mulier annorum ætatis 39. bonæ temperiei, repentè incidit in magnam gutturis inflammationem, adeò ut hujus partis regio adeò intumuerit, ut ne verbum quidem proloqui posset, & ferè suffocaretur, tumore in faucibus manifestè apparente. Auxilium poscit.

Morbus hic manifestus est, & Angina à Medicis nuncupatur, & est terrificum, & lethale faucium symptoma ob interceptionem officii ad vitam tuendam necessarii. Dicitur autem Angina ab angendo, quòd angat guttur: definiri potest angustia faucium cum spirandi, & deglutiendi difficultate, proveniens ab inflammatione faucium. Oritur ex nimio influxu cruoris ad gutturis partes, ibique stagnantis. Hæc affectio periculosissima est; si verò collum externè intumescere incipiat, salus speranda erit, *Hippocrates* enim *in Aphorism.* 37. *sect. VI. ait*: *ab angina correpto, si tumor fiat in collo*, *bonum*: & ratio in promptu est, quia *foras morbus vertitur.* Indicationes sunt, fixatum sanguinem dissolvere, revellere, partes inflammatas relaxare, tandemque partes affectas corroborare, quibus ut satisfiat; primò monet *Galenus* statim è Cephalica brachii sanguinem oportere educere, ne Æger suffocetur, nec semel aperire convenit brachii Venam, sed bis, & ter, si opus fuerit; immò sectionem venarum sub lingua commendarem, & fricationes, & cucurbitulas scarificatas: Si alvus fuerit adstricta, Clysteres laudo communes: Utatur deinde nostra Nobilissima Patiens *Emulsionibus seminum Peponis factarum in aquà Portulacæ addito modico salis Prunellæ*, *& syrypo Violarum.* Gargarismata præscripta ab Excellentissimo Dom. Medico suo ordinario optimi erunt usus, & valdè proficua. *Aqua cordialis Saxoniæ* commendatur à *Joh. Michaëli in sua praxi.* Externè juvabit etiam emplastrum ex *nido hirundinum S. A. paratum.* Victus tandem exquisitè tenuis; & sufficiet sola *Ptisana Hordeacea*, vel *panatella* cocta in *emulsione seminum Melonis*: abstineat semper à Vino. Et hæc

ſunt, quæ circa acutiſſimum hunc morbum dicere potui. Deus interim huic noſtræ Patienti ſuccurrat, ſic enim tutò, citòque medica præſidia operabuntur.

Eventus.

Adhibitis auxiliis propoſitis, immò inſuper ſectis jugularibus venis, die quarta morbi melius ſe habere incepit; inflammatio imminuta fuit, & ſeptima die perfectè convaluit.

CONSULTATIO LVIII.

De Raucedine.

CIvis Perilluſtris ſuperioribus diebus poſt nimiam incaleſcentiam de repentè incidit in raucedinem, quæ pertinaciter durat adhuc poſt duas à primo aggreſſu hebdomadas; & licèt aliqua ſint experta remedia, tamen adhuc raucus opem medicam poſtulat.

Affectus iſte per ſe jam patet manifeſtè, & βράγχος græcè dicitur, Latinè *raucedo*, & raucitas cum vocis aſperitate: definitur ſpecies catharri fauces, guttur, & aſperam arteriam afficientis, cum vocis inſolita, & non naturali gravitate, & aſperitate. Locus affectus gutturis partes internæ ſunt: Cauſa eſt nimia humiditas membranam aſperæ arteriæ irrigans, ſicque ab illapſu catarrhi larynx, nimio madore perfunditur, qui per accidens ſeparatur ob nimium colorem ut in caſu noſtro. Ad Prognoſim quod attinet, dico hunc affectum de facili ſanabilem eſſe, ſi pertinaciter ad menſes non duret, ſin autem ad plures menſes cum tuſſi ſequatur, timendum erit ne corroſio in trachæa ſuccedat, ex qua Phthiſis oriri poteſt, ut in adoleſcentula olim obſervavi, quod tamen in noſtro Patiente Deus avertat: Indicationes erunt tollere nimiam illam humiditatem laryngem infarcientem, atque partem affectam corroborare, nec non calorem fluidorum contemperare; quæ ut aſſequamur, primò ad Pharmaciam eſt deveniendum; quocircà primæ erunt expiandæ viæ lenienti ali-

quo

quo medicamine, ut verbi gratia *potione ex Manna clarificata*, indè commendarem usum *syrupi Violarum cœlest.*; *de Erysimo Lobelii, de liquiritia*; si hæc non profuerint exhiberi poterit *Oleum Amygdalarum dulcium recenter expressum Saccharo fino cum Sylvius* commendat. *Spiritum salis Ammoniaci* exhibendum in dies in potu ordinario ad aliquot guttas: *Syrupi de Peto* usus erit proficuus; sicuti *balsamus sulphuris*; insuper Eclegma sequens non semel feliciter sum expertus: ℞ *Looch sani, & experti*, ℥.ij. *Looch de Pino*, ℥. j. *Spermatis Ceti non rancidi*, ʒ. ß. *Misce, & cum syrypo de liquiritia q. s. fiat Eclegma.* Si adhuc perseveraret raucedo, ad *lactis Asinini* usum cum *pulvere Sacchari fini* per viginti dies erit deveniendum. E Chirurgia unicam venæ sectionem celebrandam in brachii dextri vena communi assumerem; sicuti frictiones vespere ad dorsum faciendas: & si alvus non respondeat clysteribus utendum erit: his autem omnibus accedat idonea vivendi ratio, in qua major pars curationis est posita; quæ omnia procul dubio sufficient ad recuperandam nostri Patientis valetudinem, ubi Deus fuerit propitius, ut precor ex corde.

Eventus.

Usurpata magna parte propositorum remediorum, post mensem accedente Diarrhœa trium dierum spatio perdurante, raucedo sensim mitigata fuit, indeque sanitatem integram Civis noster adeptus fuit.

CONSULTATIO LIX.

De Raucedine.

RAucedine Puella detinetur à duobus mensibus, & vix, cùm loquitur, intelligitur, non sine erosione amygdalarum propter humorem salsum, & acrem in internas faucium partes decidentem.

Hæc affectio Raucedo à Medicis dicitur, & est vocis insolita, & nonnaturalis gravitas, & asperitas, ortum habens à nimia humiditate membranarum asperam arteriam constituentium, à lympha ibi

ibi delabente, ut frequenter accidit in gravedine. Hæc autem lympha in præsenti Puella scatet particulis salsis, acribus, & pungentibus. Quàm celerius fieri possit iste affectus est curandus, ne forsan in Phthisim incidat, ut observavi in alia Adolescentula annorum XVIII. quæ Raucedine diutissimè laboravit, undè ulcus ortum in tracheâ insanabile in Phthisim delapsum, Ægram occidit. Talem igitur lympham non tantùm corrigere, sed revellere oportet, & evacuare. Ut rectè curatio instituatur, leviter purgato prius corpore *oleo Amygdalarum dulcium recenter expresso*, ad usum *lactis Asinini* deveniendum per mensem. Intereà etiam infra diem, & præsertim vesperè bonum erit assumere *Looch sani, & experti*, ℥. ij. *Looch de Pino*, ℥. j. *Spermatis Ceti*, ʒ. j. *cum syrupo de Liquiritia*, *misce* & sumatur ad cochlearia. Commendo *syrupum de Erysimo Lobelii*, qui Auctor scribit, se istius syrupi usu Juvenculam decennali raucedine laborantem curavisse; quo circà apud nostros Pharmacopæos semper prostat talis syrupus. Sunt aliqui, qui *acetum scilliticum* laudant; Ego verò longè à tali remedio manerem, ne aciditas acri lymphæ adderetur, & esset addere calcar calcaribus: sicuti etiam non commendo setaceum laudatum, & propositum ab *Hildano cent. 6. obs.24. Ferculum Saxoniæ* prodesse posse puto, immò addo, edoctus à *Sylvio de le Boë*, *spiritum Salis Ammoniaci* in potu ordinario ad aliquot guttas exhibitum posse juvare; *Syrupum Raphani*, & *oleum Sacchari* confectum *ex spiritu Vini*, & *pulvere Saccharifini S. A. parati* sunt nonnulli, qui laudant; ut & *decoctum Raparum* frequenter bibitum. *Succus Liquiritiæ*, & rotulæ sequentes proderunt; ℞ *Salis Prunellæ*, ℥. j. *Tartari Vitriolati*, ℈. j. *Styracis*, ℈. j. *Sacchari dissoluti cum vino albo dulci*, ℥. ij. *misce & S. A. fiant Rotulæ ad ignem.* Lambitivum etiam sequens commendatur à *Joh. Forti in Consult. cent. 2.* ℞ *Succi Caulium depurati*, *mellis Hispanici*, *ana*, ℥. iij. *misce* ad ignem; post cujus assumptionem os abluatur aqua Hordei in qua sit dissolutum sal Prunellæ. Venæ sectionem nocuam esse in Raucedine scripsit *Joh. Schmidius in Misc. Cur. Dec. 1. ann. 9. & 10.* & hujus loco *decoctum radicis Chinæ* commendat. *Pulvis Oculorum Cancri præparatorum* præscribendus erit, multum enim levaminis erit. Purgationes laxativas in Raucedine, ut & in aliis pectoris morbis noxias esse docuit *VValdschmidius*, & ego semper negligendas esse suadeo; sicuti potius sudorifera convenire pu-

to,

to, & opiata fugienda. Sunt qui fonticulum aperiendum esse suadent, si morbus pertinax fuerit, neque præscriptis cedat remediis. Totum enim negotium istius affectionis consistit in lymphæ peccantis correctione. His omnibus autem congrua addatur victus ratio, dictis remediis proportionata, ita ut à cibis nimis humectantibus se abstineat nostra Puella, & specialiter à vino generoso. Quæ dicta pro salute nostræ Patientis sufficiant.

Eventus.

Non omnia, sed aliqua prædictorum remediorum sunt usurpata, & intra mensem pristina sanitas est recuperata; nunc sana vivit.

CONSULTATIO LX.

De Phthisi.

A Docta, & eleganti relatione Illustris Medicinæ Doctoris, cui peritiæ commendata est salus Clarissimæ Fœminæ Mantuanæ, faciliter conjicitur, eam Phthisi jam consummata laborare; Tussi enim vexatur ferè continua, & noctu magis molesta, cum sputo purulento, respiratione difficili, & incalescentia post cibum: ei rubent genæ, totum corpus consumitur, pili defluunt; & nocte sudat, & debilitatur in dies. Nunc metu mali gravioris Medicam expetit opem.

Phthisim esse præsentem affectum ex dictis colligo, qui morbus definitur, Corporis tabes, & consumptio colliquativa cum Tussi, sputo purulento, aliisque symptomatibus, proveniens ab ulcere Pulmonum cum febre lenta, & virium extenuatione. Causa istius malæ affectionis est lympha salsa, & acris, quæ laudabilem consistentiam cruoris fœdat, & ineptum reddit ad nutritionem, immò ad Pulmonem delata ibi erosionem inducit, & ita apparet partem affectam propriè esse Pulmonem, cum massa ejusdem sanguinis. Ad Prognosim quod attinet, licèt doceat *Galenus* deploratos non esse attingendos, sed deserendos, attamen quia impium est, Ægrotos solo relinquere Prognostico, & mo-

nente *Celso*, melius est anceps experiri remedium, quam nullum: Ideò primò, quid sit sperandum de tali Muliere, postea quid agendum, ut saluti illa restituatur, dicendum erit. Certum igitur est morbum præsentem, cùm jam altas egerit radices, esse periculosum, & valdè timendum, ne insuperabilis sit; attamen quia ætas non est ad Senectutem, ope remediorum aliquid boni sperandum, maximè quia audio à Domesticis ipsam Patientem facile tolerare remedia, & tali Ventriculo præditam esse, ut nulla respuat medicamina, vomitum nescia: & ideò alacri animo ad Medicum auxilium accelerandum erit, ut optatam acquiramus valetudinem, quam Deus benignè concedere dignetur. Ad hanc igitur curationem instituendam faciunt tres consueti Medicinæ fontes nempe Diæteticus, Pharmaceuticus, & Chirurgicus; à quo ultimo ut exordiar, primò examinandæ sunt indicationes, quæ, meo videri, sunt sanguinem, & vitia lymphæ corrigere, Pulmonum ulcus sanare, ac vires conservare: ut hæc autem habeantur, ex Chirurgia nullam assumerem Venæ sectionem, ait enim *Mercatus*, *sanguinis missionem rarò in tabe locum habere, maximè ulcere jam facto*: Clysteres tamen utiles erunt, cùm scilicet alvus fuerit adstricta. Ad Pharmaciam quod attinet, primò leniter purgato corpore, usum *Asinini lactis cum Saccharo* ad mensem commendo cum usu quotidiano *conservæ Rosarum addito Butyro Sulphuris*, & *Ferculo Saxoniano* in cibis sumendis: *Syrupus ex succo Hederæ Terrestris* mirificè commendatur a *Quercetano*, cujus descriptio sequens est. ℞. *Succi Hederæ Terrestris, lib. duas & semis, digeratur, ut purificetur ad ignem B. M., huic succo depurato addatur Sacchari Rosati, lib.* j. *Penidiati, lib. semis, coque in syrupo S. A.*, cujus sumat Æger ad cochlearia; & huic Syrupo nonnulli addunt *flores Sulphuris*: *Rob. Boyle* plurimum extollit balsamum Sulphuris crassum, cujus descriptio habetur apud *Thom. Burnetum in Thesauro Medic. Pract. lib.* 14. Rotulæ pariter erunt præscribendæ, & in ore detinendæ confectæ ex *Butyro Sulphuris cum Saccharo aqua Violarum dissoluto. Decoctum pariter caudarum & chelarum Cancrorum in aqua Hordei cum quantitate sufficiente Sacchari* exhibendum laudo. Balneum aquæ dulcis laudant multi Medici; verùm quia sumus in tempore anni ad-
huc

huc frigido, & vires ægrotæ sunt debiles, ideò tali balneo substitui poterit inunctio universalis cum *oleo Amygdalarum dulcium*, *& unguento Rosato*, *& Malvino*. De Diæta demum aliquid nunc dicere convenit, nullus enim morbus sine hujus recto usu sanatur. Ad appetitum igitur in nostra Ægrotante prostratum, ut à Domesticis audio, quodammodo excitandum non puto convenientius remedium esse, quam *Elixir Proprietatis ad gutt. V.* ante cibum una circiter hora sumptum in Vino: Pro potu licet *Sylvius de le Boë* commendet Vinum generosum, attamen ego Vinum tenue subdulce laudo; & cùm circa alimentorum usum tria semper observari debeant, nimirum tempus, quantitas, & qualitas; ideò in quantitate modica cibi esse debent, & tales, ut vires non solùm conservare, verùm augere possint; idcircò partitis vicibus nutrire conveniet, & ita tempus partiri debet, ut novum alimentum non exhibeatur, nisi antea sumptum, concoctum, & distributum sit, evitando semper accessionis primordia: quoad qualitatem, cibi sint facilis coctionis, paucique excrementi; *Hordeum*, *Carnes Pullorum*, *Vituli*, *Tesudinum*, *caudas Gammarorum fluviatilium*, *Ranas* commendo. Stillatum è carnibus, refrigerantibus herbis alteratum utile erit: Somnus tam nocturuns quam diurnus permittendus, & fugienda animi pathemata. Et ista sunt, quæ circa morbum Clariss. Fœminæ mea potest tenuitas adducere, ea submittendo censuræ, ac judicio aliorum Medicorum. Facit interim Deus, ut optimè omnia cedant ad salutem.

CONSULTATIO LXI.

De Sputo copioso & Macie ferè universali.

TUam, Excellentissime Domine, in medendo peritiam, atque in scribendo præstantiam ex literis ad me datis apertè collegi, & simul infelicem salutis statum Reverendi Domini Sacerdotis annorum ætatis 35. qui multis abhinc mensibus copioso sputo, & quidem subsalso cum emaciatione penè universali sui corporis, molestè afficitur; immò, quod pejus est, modicè febricitat sub vespere cum mordaci incalescentia, & tussicula nocturna;

na; & quod de ejus adversa valetudine scribis, id totum idem ego ipse confirmo sequentibus literis.

Reverendus igitur Sacerdos copiosam habet salivam salso-acrem confluentem à toto corpore, quatenus omnes humores vitiati ad crasim acido-acrem vertunt, & per consequens inepti ad nutritionem redditi, maciem inducunt; Tussis enim, febris, & totius corporis macies accidunt, quia sanguis salinis particulis saturatus, deportatus ad salivales glandulas, irritatione excitata, salivationem inducit, & Tussim; sicque febris pariter suscitatur per hoc, quod vitiata compage sanguinis, motus ejusdem fermentativus augetur: Vitium autem tale ortum habuisse, tanquam à causa remota, à prava vivendi ratione, & ab erroribus in rebus nonnaturalibus judico. Si Prognosis petatur, dico hunc esse morbum pertinacem, adeòque periculosum, altas enim egit radices, & vix tollendas; Sacerdos enim iste Hectica laborat febre jam confirmata, unde macies, & tabes habetur, ex quibus nihil boni sperandum, attamen quia est in ætate media, & vires adhuc consistunt, adhibenda erunt Medica auxilia, à quibus Deo juvante, salus derivare poterit, quam, ut obtineamus, indicationes veniunt examinandæ, quæ, meo videri, sunt istæ, nempe sanguinem dulcificare, exinde sputationem sistere, ac viscera interna corroborare; quæ ut habeantur impetrare convenit præsidia Pharmaciæ, Chirurgiæ, ac Diætæ; ex quarum prima leniri poterit alvus *oleo Amygdalarum dulcium sine igne extracta*, cavendo semper à Scammoneatis solutivis; insuper laudarem usum *lactis Asinæ cum modico Sacchari* juxtà solitum ad Mensem: præterea uti poterit *pulvere oculorum Cancri præparatorum & pulvere Haly* in cibo. Balneum insuper aquæ dulcis utile erit, sicuti *conserva Rosarum*, *Ptisana Hordeacea*, *Emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum cum rasura Matris Perlarum*: Sequentes tabellas commendat *Malpighius in Consult.* ℞. *Oculorum Cancri præparatorum*, *florum sulphuris*, *salis Prunellæ*, *ana*, *partes æquales*: *Misce & cum Saccharo*, & *aqua Violarum fiant tabellæ S. A. & irrorentur guttis aliquot balsami Peruviani.* Ex Chirurgia leves tantum fricationes faciendas cum oleo Amygdalarum dulcium, & Clysteres ex eodem oleo, vel Butyro, ac jure Hordeaceo desumerem, & circa Venæ sectionem non ni-

si

si leviter venam secarem in manu, vel pede, ad cruorem solummodò visendum, ac ventilandum. Diæta demum prudenter sit instituta; abstineat ab acribus, acidis, & salsis, & à varietate ciborum, *ova recentia* convenient, *carnes pullorum*, *Vituli*, *Testudinum*, *Ranarum*, *Viperarum*, & *caudæ Gammarorum* utiles erunt; *vinum* sit *tenue*, & *aquæ Nucerinæ maritatum*. A curis vacet, iram tanquam pestem fugiat. Atque hæc pauca sint dicta ad confirmationem omnium eorum quæ proposita fuêre à Docto Viro curante, & ordinario Medico Reverendi nostri Patientis. Faxit Deus &c.

Eventus.

Ut ex ultimis ad me datis Litteris colligo, Virum hunc Reverendum his adhibitis remediis in meliorem salutis statum revocatum esse, & sperare pristinam corporis incolumitatem, ex quo possit ad longum tempus bona valetudine frui.

CONSULTATIO LXII.

De Pleuritide.

PRoponitur casus viri Ferrariensis Illustrissimi, qui talis est. N. ætatis annorum 40. sedentariæ, ac otiosæ vitæ deditus, diebus elapsis hyemalibus, domum revertens ab itinere defatigatus non exiguam quantitatem vini Malvatici, ad restaurandas vires, ut aiebat ipse, assumpsit; quo facto horror totum invadit corpus, lecto se componit ad somnum, post duas horas dolorem punctorium sentit in parte dextra pectoris, cum tussicula, & febri, expuit sanguinem non sine virium debilitate, & siti magna, auxilium postulat Medicum.

Morbus iste à signis diagnosticis in historia superiori exaratis nihil aliud est, quam πλευρῖτις, Pleuritis, quæ definiri potest, inflammatio Pleuræ cum acuta febre, Tussi, spirandi difficultate, dolore dependens à fixatione cruoris in parte Pleuræ, à qua fixatione acrior factus sanguis fibras vellicat, & cruciatum producit. Ex quo patet partem affectam esse membranam costas succingentem.

Hîc obiter notandum, nonnullos esse Medicinæ Magistros, qui non Pleuram, sed partem Pulmonis in hoc morbo esse partem affectam docent, cùm enim totus Pulmo inflammatur; Peripneumonia nuncupatur, cùm verò pars tantùm, Pleuritis dicitur, quod in sectione cadaverum demonstravit *Bonetus in sepulchr. Anatom.* Ego autem non nego, posse à Pleura inflammationem communicari ad lobum Pulmonis vicinum, sed per hoc non est, quod præcipua Pleuritidis sedes non sit Pleura, utpotè quia in Pleuritide adest dolor punctorius acutus; ast inflammato etiam toto Pulmone, ut in Peripneumonia licet sæva, nullus punctorius dolor præsentitur, sed solummodò difficultas adest respirandi, cum febre acuta, rubore genarum &c. In hoc igitur nostro ægroto solam affici Pleuram in dextra parte puto, nec adhuc esse Pulmoni communicatam inflammationem. Causa istius affectus est fixatio, & coagulatio sanguinis in parte Pleuræ, ex qua fixatione evanescunt partes volatiles, acidas, & salinas temperare solitæ, unde fixatæ particulæ, acriores factæ, cuspidibus suis pungendo fibras Pleuræ, excitant dolorem punctorium; Sic enim sanguis ex nimio itinere, & nimio potu vini generosi, nimium commotus fuit, tanquam causa antecedens, & remota; hinc est quod facile est evasatus, sicuti nimii fluctus, extra fluminis ripas propellunt aquam; sæpè enim talem affectum tum animi tum corporis commotiones vehementes producunt. Perspectâ igitur causâ, ad Prognosim gradum faciamus: Observandum ergo an in principio hujus morbi sputa apparuerint, quod si omninò defecerint, aut pauca fuerint superstite dolore lateris punctorio, tunc sumus in casu atroci, & res est plena periculi; Pariter, si in principio, quod tamen historia non dicit, sputa fuerint cruenta, vel flava, aut nigra, tunc pariter malum, & pessimum erit, juxtà commune suffragium Doctorum. Observandus pariter est pulsus, nam fuerit parvus, crebrior, & durus, mortem portendet, nullum enim Pleuriticum cum tali pulsu sanatum vidisse aiebat Dolæus, licet Ego justè fateri possim nonnullos Pleuriticos tali morbo correptos, ac tali pulsu associatos è mortis faucibus evasisse. Si dolor, & spirandi difficultas in nostro Ægroto non fuerint valdè molestæ spes erit salutis; si sputum sanguinolentum multum exibit, quod sanè observandum erit signum periculosum: Et quia in historia mentio fit de san-

ſanguinis expuitione, idcircò animadvertendum, ſi enim modica fuerit in quantitate, bonum erit, & citò morbus terminabit; ſi autem in multa quantitate, periculum eſt ne Æger pereat: Si ſuperveniret Diarrhæa malum ſignum erit, ſuadente, *Hippocrate in Aphor. 16. Sect. VI.*, & malum etiam erit ſi à Pleuritide fieret tranſitus ad Peripneumoniam; tunc enim inflammatio ad Pulmonem accederet, quæ quidem licet meo videri, ferè ſemper conjungatur Pleuritidi; attamen in hoc caſu, Pleuritidem legitimam eſſe, id eſt Pleuræ inflammationem tantummodo in noſtro Patiente, ſine ulla Pulmonis læſione, uſque adhuc tamen, judico; & hoc dictum ſit ad ægrotantis ſolamen, & ad ſpem hauriendam ſalutis probabilis, maximè quia in corpore ſano accidit morbus, & non cachectico, tunc enim magis fore periculoſam Pleuritidem docuit *Riverius*. Debet demum obſervari, an ex ſputo ſtrepitus in pectore ſonet, an vultus demiſſus ſit, & an oculus caligine obductus; quæ ſi adſint, mors erit expectanda, ut monuit *Hippocrates in Coacis*. Viſa Prognoſi, ad indicationes examinandas gradum faciamus, quæ, prout deſumuntur à cauſis, tales ſunt: Primò ſanguis minui debet, ejuſque motus, quo impetuoſè ad partem affectam ruit, corrigatur; præterea materiæ peccantis expectoratio promoveri debet, febrile fermentum, ac incendium extingui, & edomari, atque demum vires debent conſervari. Quibus indicationibus ſatisfacturus, ſuaderem primò, ut præmiſſo clyſtere communi emolliente, abſque ulla mora inſtituatur Venæ ſectio in vena brachii partis affectæ; & hæc operatio tanquam utilis repetatur in manu, & brachio oppoſito, quatenus morbus incrudeſcat, ſemper enim ego putavi ſanguinis miſſionem præſtantiſſimum eſſe remedium in tali caſu. Ex Pharmaceutico fonte pulveres ſequentes deſumi poterunt. ℞. *Pulveris Oculorum Cancri præparatorum, dentis Apri præparati, Mandibulæ Lucii piſcis, ana ʒ.j. Miſce divide in V. partes æquales*, & aſſumantur mane, & veſpere cum aqua ſequenti ℞. *Aquæ Cardui Benedicti, Papaveris Erratici, ana, lib. 1. & edulcoretur cum modico ſyrupi Papaveris Rhœados.* Commendo etiam *pulverem ſanguinis Hirci præparati Gelatinam Cornu Cervi Elect. pector. aquam, Hordei deſtillatam, Emulſiones quatuor ſeminum frigidorum majorum.* Inungi poterit pars affecta bis in die *oleo Cucurbitonis*, quod hîc Ferrariæ egregiè conficitur, & vulgò oleum antipleuriticum nun-

cupatur. Panem recentem è clibano extractum per medium dis-
secatum, & immixtum Theriaca, calidèque applicatum parti do-
lenti laudat *Digbi*; vel cepæ cum lacte ad pultis consistentiam coc-
tæ, parti affectæ apponendæ, utiles erunt juxta *Dolæum*; Si ur-
geat Vigiliæ, modicum *syrupi de Papavere* exhiberi poterit. Caven-
dum tamen ab opiatis vehementioribus, in hoc enim affectu per-
niciosa esse ajebat *Riverius*, sputum enim retinent, & coarctant
pectus, undè non rarò præceps exitium consequitur: Porrò Ecleg-
matta supino corpore sumenda erunt, quia sic melius internas pec-
toris partes subeunt. Progrediente morbo ad corroborandas vires
sequens juvabit remedium. ℞. *Conservæ florum Violarum*, ℥. *i. flo-
rum Borraginis*, & *Rosarum*, *ana*, ℥.ß. *confectionis Alchermes* ʒ.*ij. spe-
cierum Dia margariti frigidi*, & *Diatragacanthi frigidi*, *ana*, ʒ. j.
conservæ nymphea ad pondus omnium, *Misce fiat Electuarium S. A.* quo
utatur frequenter ex cochleari. Notandum denique purgationem per
alvum non convenire, nisi in declinatione; cùm enim malum sit,
si Diarrhæa Pleuriticis superveniat, ita pariter malum erit, si ar-
te alvi fluxus frequens excitetur. Ad Diætam tandem pervenire
debemus, & ita aër sit temperatè calidus; pessimus enim est frigi-
dus, hic enim nitrosas suas particulas aculeatas per corporis poro-
sitates immittit, quæ sanguini associatæ eundem magis coagulant,
ideòque frigidum aërem pectori inimicum esse docuit *Hippocrates*.
Cibus sit levis, ac tenuis, ut sunt *juscula Gallinarum*, *cremor Pti-
sanæ*: vitari debent acida, salsa, acerba, & aromatizata. Potus sit
decoctum conveniens, ut verbi gratiâ ex *radice Liquiritiæ*, *Scor-
zoneræ*, *Hordei*, & *Floribus Papaveris erratici*. *Emulsiones quatuor seminum
frigidorum majorum* utiles erunt: à Vino omninò abstinendum,
Brasavolus enim noster Ferrariensis ait, præstantissimum esse vene-
num in morbo laterali, præsertim in principio: *Gelatina Cornu
Cervi* sit in usu frequenti: dulcia potius, quam acida exhibeantur,
& potus sit semper tepidiusculus, frigidus enim poterit pectori
nocere. Somnus protrahi poterit; vigiliæ enim nimiæ humores
dissipando nocent, Circa alvi excretionem, melius est alvum sup-
pressam habere, quam laxam ut suprà etiam innui in præsenti Con-
sultatione; & hæc erant à me dicenda in casu proposito, quæ
omnia, ut Summus Deus nostro Patienti salutaria reddat, enixè
rogo.

Even-

Eventus.

Optima vivendi ratione observata, & multis ex propositis remediis adhibitis, Nobilem nostrum Ægrotum post diem decimam quartam omninò sanitati revocatum vidimus, æterno aspirante, & favente Numine, nunc sanus vivit.

CONSULTATIO LXIII.

De Empyemate.

ADolescens Nobilis boni corporis habitûs post multos errores in victu, & maximè post copiosum Aquæ vitæ potum hyemali tempore, exquisito affectu Pleuritico in dextra pectoris parte corripitur; qua de causa remedia secundùm arem adhibita sunt; materiam autem parvam, nonnihil cruentam, expuit, ac excrevit; attamen dolor lateris punctorius, & febris aliquatenus mitigata est; ita ut Æger noster è lecto surgere potuerit, & per cubiculum ambulare; post autem viginti tres dies à prima morbi invasione supervenit rigor totius corporis cum febri, quæ sub vesperam ingravescit; dolor pectoris non punctorius, sed gravativus affligit, respiratio non sine difficultate procedit, frequentissima est Tussis, pauci tamen sunt screatus; Lypothymiæ succedunt cum sudatiunculis, materia verò, quæ excernitur, in modica tamen quantitate, graveolens, & purulenta apparet; pejora timens, & cupiens salutem recuperare, de agendis consulit, atque poscit auxilium.

Morbus iste, quo scilicet Adolescens noster Ægrotans conflictatur est Empyema ex prægressa Pleuritide, juxtà verò latinum sermonem suppuratio, vel collectio puris nuncupatur, & definitur; puris in Thoracis capacitatem collectio, in cujus illuvie mergitur Pulmo. Pars affecta, & subjectum hujus morbi est cavitas Thoracis, quæ componitur ex costis, musculis intercostalibus, mediastino, Diaphragmate, claviculis, Vertebris, Sterno, & Pleura, in qua cavitate Pulmones sunt. Causa autem proxima est materies putrida in ipsa Thoracis capacitate collecta: remota verò, ac mediata est

præcedens Pleuritis, quæ excitato Phlegmone, & ſuppurato, ac diſrupto, pus in cavum Thoracis demittit. Quoad Prognoſim, affectus iſte eſt valdè periculoſus, & in Phthiſim terminare ſolet ſecundum *Hippocratem, in Æphoriſm. 15. Sect. V.* Aſt quia in Adoleſcente hic morbus eſt, & vires adhuc conſiſtunt, ſpes ſalutis affulgere videtur, maximè ſi citò aptis remediis ſuccurratur; quod ut fiat primò examinandæ ſunt indicationes Medicæ, antequam præſidia Medicinalia præſcribantur. Intentio ergo præcipua in hoc noſtro caſu eſt puris quam celerrima evacuatio; vel per Tuſſim, vel per urinas, ait enim *Galenus de loc. affect.*, ſe vidiſſe Pulmonis vomicas per urinam expurgatas: Ulterius debet maſſa ſanguinis ad ſtatum naturalem reduci, & partes affectæ corroborari, undè collapſæ vires reſtituantur. Ad Medicinæ fontes eſt deveniendum. Quoad Diætam, cibi ſint boni ſucci, facilis concoctionis, ut *juſcula ex carne Vituli*; immo ipſa *caro Vituli*, *Gallinæ*, *Caponum*, *lactis uſum*, præſertim *Aſinæ*, cum *Saccharo* concedi poterit; cum valdè nutriat ac facultate abſtergente polleat: Pro potu utatur Æger *decocto Hordei*. Somnus, & Vigiliæ ſint moderatæ, & in utriſque juſtus obſervetur modus. Alvus denique ſemper aperta ſervetur, maximè ſi materia ad alrum vergat. Ex Pharmacia multa ſumi poterunt remedia: Primò potionem ſequentem commendo. ℞. *Syrupi Althææ*, *Oxymellis Sacharini*, *Mannæ electæ*, *ana*, ℥. ij., *cum aquæ Tuſſilaginis* Quantitate ſufficienti, *Miſce*, *fiat potio*; indè ſequens lambitivum uſurpandum erit. ℞. *Hiſſopi*, *Praſſii*, *Pulegii*, *Calamentha*, *ana*, *pug.* j. *Liquiritiæ Iridis*, *Scillæ*, *Helenii*, *Nucleorum Pineorum*, *ana*, ℥. *ſemis*, *biduo macerentur in aqua Tuſſilaginis*, *&* Aceto, *mox expreſſioni addatur mellis optimi* Q. S. *ad Oxymellis conſiſtentiam*. Si autem placeat Medico aſſiſtenti materiam peccantem ducere extra corpus per vias urinæ, tunc commendarem uſum *Terebinthinæ cum ſucco condenſato Liquiritiæ* ad conficiendum bolum quovis mane jejuno ſtomacho ſumendum, ſucceſſivè bibendo *decoctionem Chinæ*, *ſalſaparillæ*, *radicis Aſparagorum*, *Fœniculorum*, & *Petroſelini*. Si ſitis urgeat; interdiu ſumatur ſequens Emulſio. ℞ *Amygdalarum dulcium excorticatarum* ℥. *ſemis*, *ſeminum quatuor frigidorum majorum*, *ana*, ʒ. *ſemis*, *Aquæ Violarum*, *Farfaræ*, *ana*, ℥. *quinque miſce*, *&* *fiat* S. A: *emulſio*, *cui adde pulveris Oculorum Cancri præparatorum* ℈. ij. *&* *edulcoretur cum modica quantitate Syrupi Althææ*
Fernelii

Fernelii Conserva Rosarum sit in usu quovis vespere, quod remedium commendatur à *Claudina*, & *Burneto*. Ex Chirurgia demum nihil de sectione Venæ dicendum, verùm tota consideratio vertitur circa Paracenthesim faciendam tam commendatam à Magistris, quæ quidem Antiquis satis frequens, & usitata fuit nostro autem tempore rara, & valdè periculosa; ast quia in Adolescente sumus, & conjectari possumus, Pulmones, & organa respirationis ita corrupta non esse, ut nulla spes salutis effulgeat, immò vires adhuc sunt validæ ad sustinendam Thoracis sectionem secundum artem faciendam, unde commodum aliquod ex ea sperari potest, ideò Paracenthesim maturè, quantum possibile sit, instituendam suadeo, antequam Pulmo à sanie corrumpatur, & vires prosternantur. Si petatur autem locus aperitionis, dico eum debere esse inter quintam, & sextam costam, nè forae læsio fiat in nervea substantia Diaphragmatis, ut olim docuit *Hipocrates lib. 3. de morb.*: ad latus autem fiat quatuor, aut quinque digitis à sterno. Ut verò cautè incisio fiat, locus prius atramento est notandus, & foramen indè fiat secundum ductum obliquum fibrarum, ac exiguum, inde argenteam fistulam foramini exactè immittere opus erit, per quam fiat puris eductio; dum autem sectio peragitur, Æger noster non statim inspiret ne elevati Pulmones lædantur; at quotidie uncias duas tantùm puris educere conveniet; ait enim *Hippocrates* mori illos, à quibus totum pus omninò effluxerit: Si verò non rectè sanies profluat, in latus affectum decumbat Æger, & Tussim moveat, & si ob nimiam viscidiatem non profluat in cavitatem Thoracis medicamenta sequentia injiciantur ℞ *Seri lactis Caprini*, ℥. *XVIII. mellis rosati*, ℥. iiij., *Succi Chelidonii*, ʒ. *VIII. Misce* Ægrotus autem sumat quotidie sequentem potionem ℞ *Radicis Consolidæ majoris*, ℥. j., *foliorum Betonicæ*, *Agrimoniæ*, *Vineæ Pervincæ*, *Pimpinellæ*, *ana*, *man: semis*, *florum trium Cordialium*, *pugill.* ij. *seminum Hyperici Cardui benedicti*, *Urticæ*, *ana*, ʒ. *semis. Coquantur ex Hydromelle*, *&* *colatura servetur ad usum.* Hoc enim remedium describitur à *Paulo Barbetta in Chirurg.* Et hæc sunt, quæ nunc habui proponenda pro salute Ægroti nostri Deum autem interim precabor, ut in illius salutem cedant.

Even-

Eventus.

Quamvis multa ex propositis auxiliis anhibita fuerint, Æger tamen semper in pejorem conditionem cedebat, & quadragesima à Consultatione die, dum mane fæces redditurus esset, syncope Phthisicus interiit.

CONSULTATIO. LXIV.

De Orthopnœa.

VIr quidam Sexagenarius post longum hyemis tempus hujus anni 1716. Tussi valdè molesta laborare incæpit, ac difficulter respirare, cui respirandi difficultati sonitus primò, mox stertor accessit, immò ad talem statum reductus est, ut non nisi sedens, & erecta cervice respirare, ac quiescere possit, cum pulsu parvo, & debili; sputi aliquando viscidi, ac crassi excernuntur non sine difficultate. Nunc consilium postulat pro curatione.

Affectus iste Asthma Orthopnoïcum dicitur, & definiri potest, quod sit difficilis, & crebra respiratio cum febre modica, cum sonitu, & strepitu à Bronchiorum, & Cellularum Pulmonis obstructione orta. Pars affecta]Pulmo est; multi accusant Diaphragma, & musculos costas elevantes. Causa est Lympha crassa, ac viscosa, Bronchiis, ac cællulis Pulmonum hærens, & ibi tenaciter impacta. Affectio autem hæc periculosa est, per hanc enim impeditur actio vitæ necessaria, vita enim sine respiratione non durat, & suffocatio certa imminet cum Mortis certitudine; immo facilè iste morbus in Hydropem transit, & Cachexiam. Difficilis porrò in curatione erit hic affectus, quia in Sene existit; attamen nonnulla suppeditabimus remedia, ad hoc, ut melius se habeat, & salutem recuperet Sexagenarius noster Patiens. Indicationes igitur in nostro casu erunt, tollere lympham crassam in Pulmone stagnantem, depurare cruorem à viscididitate prædominante, illam derivare maximè per urinæ vias, & corroborare partem affectam. Pro quibus habendis ad Medicum apparatum confugere oportet,

ut quantò citius possit, salus nostro Patienti restituatur, si fieri queat. Ad Diætam itaque quod concernit, cibus sit calefaciens & attenuans, ne crassescat materia, *carnes* conveniunt *Gallinarum*, *Pullorum* &c. Fugiantur omnia edulia crassum lentumque succum procreantia, ut caro suilla, Legumina, Caseus, Lac. & similia: *Vinum* sit *tenue*, & *medicatum pectoralibus herbis*; conducunt *Amigdalæ*, *Vuæ passæ*, & *Ficus*. Somnus sit moderatus, & nocturnus; vitetur autem, si possit fieri, diurnus: Alvus lubrica servetur. Ex Chirurgia nihil sumatur præter usum Clysterum, quatenus alvus suppressa fuerit; in hoc enim casu, nihil valere, Phlebotomiam puto, nisi fortè ad educendam partem sanguinis meliorem cum Ægroti detrimento. Meliora itaque, ex copiosiora remedia dabit nostro Patienti Pharmacia, ex qua pro communi alvi lenitione sumi poterit, vel *Cassia cum Cremore Tartari*, vel *Oleum recens Amygdalarum dulcium cum modico Sacchari fini*: insuper laudo usum *Seri Caprini* colati ad plures dies cum *bolo confecto ex Terebinthinâ naturali, & non lota*: Juvabit etiam *spiritus salis Armoniaci in Syrupo de Althæa*, vel *in jusculo Pulli alterato Hedera terrestri, cum pulvere Millepedum præparatorum*, ad urinam ciendam, per diuresim enim rectè pectus exoneratur. Usum frequentem *Syrupi de Peto*, & *de Helenio Horatii Augenii*, cujus descriptio prostat apud *Dolæum*, commendo, pluries expertus in Praxi facienda. In Paroxysmo exhiberi poterit sequens lambitivum ad cochlearia. ℞ *Gummi Ammoniaci*, ʒ. j. *Oxymellis Scillitici* ʒ. ij. *Syrupi de Marrubio*, ℥. j. *Florum Sulph.*, ℈. ij. *Misce Sperma Ceti*, *& essentia Helenii* in potu commendantur extra Paroxysmum à *Joh. Michaëli in Prax. Gener.* Poterit etiam cum fructu exhiberi semicochlear pro vice sequentis Julapii ℞ *Spiritus Anisi*, *part.* ij. *Mellis scillitici*, *part.* j. *aquæ Cinamomi*, *parum Misce fiat Julapium* S. *A.* Laudatur insuper *Elixir Proprietatis Paracelsi*, quod remedii genus à *Joh. Helmontio* summis laudibus extollitur pro curandis Asthmate, Epilepsia, Paralysi, Tabe &c.; hoc verò remedium exhibuit *Philipp. Griilingius* in *aqua Tussilaginis*. Usum denique *Lactis Asinæ* ad multos dies valdè prodesse posse credo. Pauca hæc dicebam pro salute nostri Patientis, eaque libenter subjicio Doctis-

ſimorum Medicorum judicio; & faxit interim Deus Omnipotens, ut omnia cedant in ejus abſolutam valetudinem.

Eventus.

Licèt fuerint propoſita remedia diligenter adminiſtrata, nihilominus Ægrotus noſter ſemper in pejus lapſus eſt, ac tandem ſævo adveniente Aſthmatis hujus Paroxyſmo ſuffocatus interiit.

CONSULTATIO LXV.

De Tuſſi.

NObilis Vidua 33. annum agens mediocris habitûs ad gracilitatem tendentis, poſt gravedinem, & menſium ſuppreſſionem per tres integros menſes, Tuſſi corripitur valdè moleſta, quæ horis maximè veſpertinis exacerbatur, & præſertim poſt cœnam cum magna ſputorum copia; & cùm diu nihil conferentibus auxiliis, hoc malum toleret, ad me tandem venit, rem exponit, & conſilium quærit.

Morbus hic manifeſtè patet, & pertinax, ac moleſta Tuſſis nuncupatur, quæ definiri poteſt, exſpiratio vehemens, crebrior, inæqualis, & ſonora cum partium muſculoſarum exſpirationi potiſſimùm deſtinatarum, Thoracis, Laryngis, & Abdominis motu ſpaſmodico facta, cum excretione alicujus materiæ excrementitiæ à moleſti cujuſdam objecti irritatione proveniens: ex qua definitione, ſeu potius deſcriptione præſentem Tuſſim humidam eſſe patet. Pars affecta Pulmo eſt: Cauſa pendet à vitio lymphæ, quæ ex Pulmone in aſperam arteriam tranſlata Tuſſim producit, lympha enim è glandulis copioſiùs effuſa Pulmonem, Fauces, & Tracheam occupat; hinc nimia aciditate ſua, quam per moram acquiſivit, partes nervoſas irritando, Tuſſim excitat moleſtam. Hanc autem cauſam principium habuiſſe autumo ex fluctuante lympha, & ſanguine in utero ob menſium ſuppreſſionem ſtagnante, nec non humoribus acidis in ventriculo exiſtentibus. Nunc pergamus ad Prognoſim. Videtur porrò iſte affectus ut plu-

plurimùm levis, verùm quia pertinax est in nostra Nobili Patiente, & cum magna contumacia, ideò timendum ne in pejorem morbum transeat; monet enim *Dolæus*, Tussim diu perseverantem ad Phthysim Ægrum ducere posse, nec tam facilem curationem admittere: quia verò hæc est cum facili, & prompta materiæ expulsione, sperandum erit, salutem citò acquiri posse, ut ex corde precor. Indicationes curativæ in nostro hoc casu sunt corrigere lympham, eamque ad crasim naturalem reducere, & ad quantitatem discretam revocare, fluxum menstrualem restituere atque uterum, pectus, & caput corroborare; quæ ut acquirantur, sequentia propono. Primò, ad Diætam quod attinet, vitetur, aër impurus, nebulosus, & vaporibus humidis repletus; cibus, & potus sint temperati; fugiantur edulia acria, acida, & salsa, ex horum enim particulis vellicatio fit, & erosio partium pectoris accidit, undè major Tussis excitari poterit: Potus poterit esse *decoctum Hordei cùm passulis vel Vinum tenue*, *ac dulce*: vitetur autem frigida potio; ex hac enim excitari Tussim sæpè observavi. Motus, & quies mediocres sint, sicuti somnus, ac vigilia; exulet mœror, & hilariter vivat. Circa curam Pharmaceuticam, primò utendum erit pro præparatibus *syrupo de Hyssopo*, *de Liquiritia*, *&* *de Capillis Veneris*, indè ad communes expiandas vias, & alvum solvendam poterit tutò exhiberi *oleum Amigdalarum dulcium recenter expressum cum Saccharo ad pondus unciarum quinque*: posteà exhiberem ad plures dies *decoctum Raparum cum Saccharo candido*; *&* *Butyro*, *vel oleo Amygdalarum dulcium recenter expresso*. *Balsamum Sulphuris* commendatur à *Boyle de util. Philos. experim.* *Sperma Ceti cum Syrupo de Althæa* optimum esse pluries expertus fui, & maximè si assumatur sub vesperè; notat enim *Joh. Michaëlis in Praxi*, in qualibet Tussi medicamenta optimè tempore somni exhiberi posse, & semper cum fructu: *Conservæ* pariter *Rosarum*, *Malvæ*, & *Nymphea* in usu sint: addantur etiam sæpè remedia uterina, & præsertim concitantia catameniorum fluxum consuetum: quod si adhuc perseveraret hæc affectio ad usum *Lactis Asinini* ad mensem devenirem. Rotulæ sequentes in usu sint familiari. ℞ *Extracti Helenii* ℈. ij. *florum sulphuris*, ʒ. *semis*, *Specierum Diaireos* ʒ. i. *misce* *&* *cum suf-*

ficienti quantitate Sacchari, & aquæ Violarum fiant Rotulæ S. A. *Emulsionibus etiam quatuor Seminum frigidorum majorum* factis in *aqua Farfaræ* uti poterit interdiù ad sitim extinguendam, atque causam molestæ Tussis diluendam: Tandem laudarem in victu usum *ferculi Saxoniani.* Ex Chirurgia demùm sumi poterit Venæ sectio in dextro pede, non semel, sed bis ad libram unam Sanguinis hauriendam pro qualibet vice, & hoc ad provocandum motùm menstrualem, & ad deonerandam massam cruoris ab impuritatibus in ipsa introductis à mensium suppressione. Frictiones pariter erunt proficuæ in partibus corporis inferioribus, ut & etiam clysteres, si alvus non respondeat, atque hæc utinam conferant.

Eventus.

Proposita auxilia penè omnia adhibita fuêre, & instituta conveniens vivendi forma, & post triginta dies Tussis cessavit, menses rediere, & Deo adjuvante Patiens nostra sana evasit.

CONSULTATIO LXVI.

De Tussi contumaci, ac ferina in Puella.

DUlcissimam Filiolam tuam ætatis annorum VII. gravi, ac pertinaci admodum Tussi crudeliter vexari nuncias.

Est Tussis inter morbos, qui pueros infestant ponenda, quæ describi potest cum *VVillisio* : expiratio vehemens, crebrior, inæqualis, & sonora cum partium musculosarum expirationi destinatarum, Thoracis, Laryngis, Lumborum, & Abdominis spasmodico velut motu facta, cum, vel sine excretione alicujus materiei excrementitiæ à molesti cujusdam objecti, aut expulsionem è pulmonibus per Tracheæ ductus urgentis irritatione proveniens: ex qua Tussis descriptione duplex ejus oritur differentia, nempe humida, & sicca; prima cum materiæ catarrhalis excretione; altera sine materia. An verò Tussis tuæ Filiolæ sit vel sicca, vel humida, non indicas; & sanè malum hoc ab *Hippocrate* in cen-

su:

su morborum, qui pueros infestare solent numeratur, & in Filia tua à Catarrho ex sacra Palladis arce in subjectos pulmones depluo, ortûs sui primordia derivare videntur. Tussis ergò istius causa est quidquid asperam arteriam irritare potest: ex coacervatis enim cruditatibus in stomacho Filiolæ tuæ, exinde acidis factis, & ad partes respirationi dicatas delatis fit illa vellicatio, quæ immediatè Tussim facit, quam concomitare solent vigiliæ, difficilis respiratio, vomitus, hernia, suffocatio, & aliquando mors ipsa, quam tamen in casu nostro Deus avertat, & arceat. Curatio igitur consistit, meo videri, in hoc, ut materies acido-viscida in ventriculo, vel alibi latens emendetur, & evacuetur. Quod attinet ad Pharmaciam, primò valet jusculum decoctionis raparum cum saccharo sæpè porrectum. Ut communiter ventriculus evacuetur, utatur duabus unciis *Mannæ electæ in aqua Violarum dissolutæ*; Clysteres etiam ex *lacte* vaccino parati utiles esse poterunt. Laudo *sperma Ceti recens*, *pulverem Oculorum Cancri præparatorum*, *Gelatinam Cornu Cervi*, *Saccharum penidiatum*, *Pomum dulce* excavatum repletum *Saccharo candido albissimo*, additis tribus granis *Croci Orientalis*, *oleum recens Amygdalarum dulcium*, *syrupum de Hyssoppo*, *Rotulas Diacodion*, *Looch de Pulmone Vulpium*, & de *passulis*. Inungatur sub vesperam pectus *unguento de Althæa*: pedum lotio plurimùm juvare ait *Joh. Franc. Lovv. ab Erlsfelt de morb. infant. cap.* 49. Insuper sunt, qui commendant sequentia, quorum aliqua, si placet, probaveris; videlicet *oleum Vitelli crudi* cum *Saccharo* sumptum; *Succum Tussilaginis*, *syrupum de Portulaca*, plumeam pellem cygni adaptatam pectori; *oleum Sacchari*, *balsamum sulphuris*, & *succum Pulegii* ad cochlearia, *Mercurialis* Fontanellam, in brachio aperire docet; Alii Venæ sectionem præscribunt; quam si tuus Medicus ordinarius approbet, consulo. His autem omnibus accedat idonea vivendi ratio ipsi morbo accommodata.

CONSULTATIO LXVII.

De Sputo Sanguinis.

JUvenis admodum Illustris biliosa temperie præditus, & paucis abhinc mensibus ruborem in genis ferre passus, ex nimiis laboribus, ac vigiliis in molestam Tussim incidit, ex qua Sanguinem per os rejicere incepit ad plures uncias, spumantem ac vividum, & tota sequenti die in tali periculoso affectu perseveravit; immò summo mane tertiæ diei recruduit morbus, & cruor rursus cum Tussi in majori copia est excretus. Nunc, ut à præsenti liberetur affectu petit consilium medicum.

Non solùm cruoris per os eruptio, sed & ejusdem cum Tussi molesta rejectio, cum florida spumositate, atque non modica quantitate, jam satis apertè ostendunt affectionem hanc αἱμόπτυσιν, *hæmoptysin*, esse, de cujus natura, causis, & curatione in præsentiarum sit sermo, ut Deo adjuvante sanitati Æger noster restituatur. Definitur ergo hic affectus, Sanguinis per os cum Tussi citra inflammationem rejectio, ortum habens à Pulmonalium vasorum aperitione, seu erosione; ex quo apparet partem affectam esse Pulmonem cum suis vasis, cellulis, membranis &c. Causa istius affectionis dependere videtur à redundantia Sanguinis in vasa Pulmonum rapti, ibique Pulmonalium arteriarum orificia aperientis, sed etiam diæresim inducentis. Quia verò Æger de salute sua sollicitus eventum morbi desiderat, exprimendum à nobis erit nostrum Prognosticum primò, ab *Hippocrate* desumptum, ait enim *Celebris hic Præceptor in Aphor. 25. Sect. IV.* Sanguinem supernè exire malum esse, nam læsa Pulmonis vasa, difficulter sunt sanabilia, ex quo ulcus immedicabile, & tabes oriuntur; non tamen omnis spes est amittenda salutis, non enim res est conclamata uti esset si puris sputum adesset, à quo infallibiliter Phthisis oriretur, quemadmodùm docuit *citatus Hippocrates in Aphor. 16. Sect. VII.* Ne autem empyricè procedamus, indicationes Medicæ sunt examinandæ, quæ, meo videri, tres sunt; curatoria, præservatoria, & vitalis; primò aperta vasa claudenda, & obturanda sunt; secundò sanguis copia, & motus peccans corrigendus;

dus; tertiò vires restaurandæ sunt, ac firmandæ, & ita Æger saluti restituendus; ad quarum indicationum satisfactionem facient tres consueti Medici fontes, scilicet Chirurgicus, Pharmaceuticus, & Diæteticus; è quorum primo præsto esse potest validissimum illud remedium, in quovis Sanguinis exitu expediens, videlicet Venæ *Sectio*, quæ statim administranda in brachio dextro, & etiam in pede, ut revulsio sit efficacior: Utiles etiam erunt frictiones, ligaturæ, & cucurbitulæ scarificatæ dorso, & coxis applicandæ; quod si alvus non respondeat, sæpe Clysteribus communibus erit sallicitanda. Pharmacia dabit primò ad communes expiandas vias *flores Cassiæ noviter extractæ ad* ℥. j. *cum modico Cremoris Tartari*; Ad Cruorem acrem, & fervidum temperandum utiles erunt *tinctura florum Papaveris erratici*, *Syrupus Myrtinus*, *Conserva Rasorum*, *Cydoniorium* & sequens Julapium à *Michaëli* commendatum ℞. *Aquæ Portulacæ*, *Papaveris Rhœados*, *ana*, ℥. *VI.* *Sanguinis Draconis in lachrymas tenuissime lævigati* ʒ. j., *Syrupi Papaveris erratici*, *de Rosis siccis*, *ana*, ℥. j. ß. *Misce fiat* S. *A. Julapium.* Proderunt quoque *Emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum* factæ in aqua *Plantaginis*, quibus addantur *pulvis Oculorum Cancri præparatorum & terræ Sigillatæ.* Electuarium sequens summoperè laudat *VValdschmidius*, & ego non semel expertus fui: ℞. *Conservæ Rosarum antiquarum*, ℥. iij., *pulveris radicis Consolidæ utriusqu*, *seminis Portulacæ*, *Mastriches*, *Boli Armenæ*, *Tragacanthi*, *ana*, ʒ. ß. *Misce cum syrupo de Symphito fiat Electuarium molle*, S. *A.*, de quo frequenter Æger assumat. Usum *Lactis Asinini* commendo, vel ejus loco *Caprini* ad multos dies cum pulvere *Sacchari fini* juxtà consuetum morem. Ulterius ex hiberi poterit *pulvis Opii adusti cum Succo Urticæ*, *Sal. Centinodii*, *spiritus Vitrioli officinarum*, quæ remedia commendantur à *Clariss. D. Joh. Hieronymo Zannichellio* Amico meo plurimum honorando in suo *Promptuario remediorum* Rotulæ adstringentes Diatragachanthi cum bolo pariter convenient; sicuti pilulæ Helvetii toties à me feliciter expertæ. Diæta denique omnibus succedit quam Ægrotus noster diligenter observare debet: Cibus ergò sit tenuis, & vi glutinosa pollens, ut *cremor Hordei*, *Oryza in lacte* cocta: *Carnes Vituli Agnorum* & *Caponum* optimi erunt usus, sicuti *Lactuca*, *Portulaca*, *Cicho-*

Cichoreum. Vinum ſit aquoſum: Somnus, & Vigilia non excedant mediocritatem: motus nimios pectoris fugiat, & ab ira vehementi abſtineat. Faxit modò Deus, ut omnia cedant in perfectam ſalutem noſtri Juvenis, ut ex corde precor.

Eventus.

Ferè omnia prædicta remedia diligentiſſimè fuêre uſurpata, & ſic duorum menſium ſpatio priſtinæ ſanitati eſt revocatus, nunc verò ſanus vivit.

CONSULTATIO LXVIII.

De Sputo Sanguinis qualibet Lunatione.

EX Epiſtola Medicinali egregiè exarata, & diligenter à me lecta, atque conſiderata, collegi Reverendam Monialem periodico Sanguinis Sputo in ſingulo novilunio affectam eſſe; quolibet enim menſe à Pulmone per ſputum cruenta habetur excretio; & iſtius pariter cauſam tangit prædicta Epiſtola.

Probabile eſt, imminuta Menſtruali per uterum purgatione, refluum ab eodem cruorem Pulmonis vaſa ſubire, eaque aperire, & in Tracheam penetrando, cum ſputo exire, undè affectio iſta ſuccedit; vigente enim catameniorum tempore Sanguinis copia in uteri vaſa impingit, ſed reſiſtentibus fibris horum vaſorum, fermentatio augetur, & motu inverſo à ſanguine vis infertur partibus ſuperioribus, & præſertim reticularibus Pulmonum vaſculis, quorum oſcula tenella laxantur, & aperiuntur, & exindè cum Tuſſi fit Sanguinis ſputum. Pars igitur affecta eſt Pulmo, & uterus reſpectivè: quod ſi quæratur, cur Sanguinis excretio ſolùm per aliquot dies perduret in Lunæ primordiis, reſpondendum, hoc evenire, quia imminuta Sanguinis copia, & ejus orgaſmo ceſſante, ceſſat & motus violentus ad Pulmonis vaſa, & ita naturalis mixtura cruori reſtituitur, & ſanitas uſque ad alium menſem habetur, donec ſcilicet de novo genita materies prava, ſanguinem ad uteri vaſa præcipitet, à quorum reſiſtentia iterum ad Pulmonem

monem propulsio fit, undè iterum sanguineum redditur sputum. Quid autem sperandum de hoc affectu si petatur, dico, morbum esse periculosum, quia Sanguis ab inferioribus partibus ad superiores, & principes irruit; imò metus est, ne substantiam ipsius Pulmonis lædat, atque corrumpat, ex quo ulcus, & per consequens Phthisis insanabilis haberetur: Sanguine præterea per os exire semper malum portendere tradidêre Doctores, & semper aliquid timoris afferre cruorem per superiora emanantem expertus dico. Quia verò causa in nostro casu est manifesta, & à denegata perennitate menstruæ purgationis derivat, ideò hac restituta aliquid boni sperandum erit, maximè quia in ætate vegeta est nostra Reverenda Monialis. Indicationes autem in isto casu erunt promovere naturalem per uterum excretionem, auferendo impedimenta in vasis, & sanguineam massam depurando; inde Pulmonem firmare, & ejusdem substantiam corroborare: quæ ut celeriter assequantur, hæc observanda, & exequenda puto. Primò quod spectat ad vivendi modum, hilariter vivat, & localiter moderatè se exerceat; caveat à rebus acidis, acribus, ac salsis; Carnes sint facilis coctionis, & commendantur absque ullo condimento; Cœna sit levis; Somnus, & vigilia modum non excedant: A Leguminibus, & piscibus, præsertim sale conditis, abstineat, & irasci credat profanum, ut verbis utar scholæ Salerni: *Vinum alteratum* sit infusione *foliorum Absinthii*, & sit *tenue*; & pariter condire jusscula *Sale Absinthii* multum utilitatis afferret, sic enim cruor insensibiliter accommodatur. Proderunt etiam *Emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum*, & *serum lactis Vaccini destillati cum Cichoraceis*. Ex Chirurgia desumi poterit Venæ sectio celebranda in pede præsertim ante novilunium, præterea concurbitulæ scarificatæ applicari poterunt coxis; & si alvus non respondeat, aliquibus clysteribus erit utendum circa: verò cauterium commendatum ab alio Excellenti Viro, Ego justè assero, per ipsum corruptum tantum alimentum partis, in qua fuisset confectum, excerni; quatenus pars est exulcerata, & ad saniem disposita; undè de hoc nihil. Frictiones per aliquot dies ante Lunam novam meliores, ac utiliores fore judico, maximè si inferioribus corporis partibus fiant. Pharmacia denique dabit, primò ad communes expiandas vias, ali-

quod blandum pharmacum, ut verbia gratia *oleum Amygdalarum dulcium sine igne extractum*, *vel flores Cassiæ recentis cum modico cremore Tartari*: quibus remediis alvo sollicitata, veniendum erit ad usum *jusculi pullorum alterati foliis Borraginis*, *Endiviæ*, *radicibus Graminis*, *Asparagi*, *Petroselini*, *Apii*, *ac foliis Capillorum Veneris*, *&* *Artemisiæ* cum quo jusculo sic medicato assumere poterit Monialis nostra *Spiritum Salis Ammoniaci ad aliquot guttas*, & hoc per XII. dies; deinde commendo usum *seri Caprini depurati*, *cum tinctura Martis*: *Pulveres oculorum Cancri præparatorum*, *&* *Antimonii Diaphoretici* utiles erunt; ut & *conservæ Nymphæ*, & *florum Malvæ*; neque displicebit usus *elixiris Proprietatis Paracelsi* ad aliquot dies sumendi in jusculo mane jejuno stomacho: his enim omnibus, at primum Dei beneficio, spero futurum, ut Reverenda Patiens ad meliorem vitæ statum reducatur, ut ex corde precor.

Eventus.

Remedia proposita ex parte adhibita tantum fuerunt, & melius se habere incepit Monialis nostra, immò semper in melius vergendo saluti fuit restituta, nec amplius sputum Sanguinis passa, perennem in menstruis purgationem experta feliciter convaluit: Nunc Deo favente sana, vegeta, ac robusta vivit.

CONSULTATIO LXIX.

De Cordis Palpitatione ex Iracundia.

NObilis Matrona ætatis annorum quadraginta, biliosæ temperiei, vidua, menstruali orbata fluxu, trium filiorum parens, quotiescumque per iracundiæ excandescentiam animo commovetur, & irascitur, illicò facies rubore profunditur, pulsus inæqualiter movetur, & palpitatione valdè molesta ad multum tempus perdurante afficitur, & aliquoties Syncope tentatur. Similem affectionem in quadam nobilissima Vidua, se observasse narrat *Balth. Timæus lib. 2. cas. 16.* Ego verò super hoc casu quid sentiam breviter exponam, ut Medico assistenti, & ægrotæ consanguineis satisfaciam.

Pal-

Palpitatio igitur cordis genericè ſumpta definitur à Medicis, motus cordis depravatus, quo ille muſculus impetu præternaturali pulſus, & ita ad ipſas coſtas appellitur, ut indè incommodum ægri ſentiant: in caſu autem noſtro excitatur ob iram, quatenus agitati per excandeſcentiam ſpiritus vitales efferveſcunt, & inæquali motu cor ipſum afficiunt; hinc rubet facies, & corpus penè totum incaleſcit, quia cruor, & ipſi ſpiritus impetuosè ab interiori corporis parte ad exteriorem deferuntur; illicò hoc autem accidit, ob motum celerem bilioſi ſulphuris; nam aliqui Philoſophi putavêre, iram eſſe bilem circa Cor accenſam; ideò meritò Clariſſ. *Zvvingerus* in ſua *Praxi Medica* ait, ex ira vehementi ſæpè oriri Cordis Palpitationem, ſicuti etiam ex terrore, metu, ac triſtitia magna, & maximè ubi menſium fluxus non adeſt, ut in caſu noſtro. Hic porrò affectus non eſt contemnendus, ut potè qui non difficulter in pejores poteſt tranſire affectiones, ut in febrem lentam, Atrophiam, & ipſam Syncopem, nec non Apoplexiam. Ad noſtram Patientem curandum quod attinet, primò agendum, ut præceps in iram animus contra excandeſcentiæ impetum, quantum poſſibile ſit, præmuniatur, quod potius ex morali Philoſophia, quàm à Medicina ſperandum eſt. Optima ergo erit manſuetudo, ac tolerantia, ac Prudentia; iſtæ enim virtutes cùm iracundiam arceant, hinc eſt, ut etiam Cordis Palpitationem tollant; quia verò Medicus ſe præſtare debet ad curationem morborum; ideò in præſentiarum aliquid de præſervatione, & curatione dicendum. Ad moderandam igitur bilem, & illam evacuandam, ſuadeo primò communem totius corporis evacuationem, quæ haberi poterit ope *potionis ex Caſſia clarificata*, & ope alterantium paratorum *ex Cichoreo*, *Endivia*, *Borragine*, *pulvere Antimonii diaphoretici & Oculorum præparatorum*. Venæ ſectio inſtituatur in pede dextro ad unicas X. ſanguinis extrahendas: *Succos Sonchi*, *Cichorei*, *ac Endiviæ* ad plures dies laudo, ſicuti omnia illa, quæ bilis efferveſcentiam temperant. Æſtivo tempore uſum *aquarum Thermalium* ſuadeo, ſicuti balneum aquæ dulcis noſtri Eridani. Quando verò adeſt paroxyſmus hujus Palpitationis, ſequenti uti poterit remedio: ℞ *Syrupi de Coralliis rubris*, ℥.j. *Aquæ Cordialis Saxoniæ*, ℥.ij., *totius Citri*, ℥.j. *aquæ Cinnamomi*, ℥.ß., *Jul. Gemm. ſine Opio* ʒ.j. *Miſce*. Regioni Cordis extra apponatur ſequens Epithema; ℞ *Aquæ Roſarum*,

℥. vj., *Aceti Rosacei simplicis*, ℥. j., *specierum Cordialium pro Epithemate*, ℥.j. *Misce*. Naribus etiam odoramenta ex aceto forti, vel balsamo Apoplectico, sive *aqua Reginæ Hungariæ*, & quinta essentia Rorismarini admoveantur. Animus ad tranquillitatem, & hilaritatem excitandus erit; & his omnibus congrua addatur victus ratio, sine qua nihil, undè de hac sit valdè sollicita, quoad quantitatem, & qualitatem ciborum; & hujusmodi diætæ ratio Præstantissimi Medici accuratissimæ prudentiæ remittitur, cui ideò omnia, & alteranda, immutanda libenter & relinquo. Summus denique Deus omnia præscripta salutaria reddat.

CONSULTATIO LXX.

De Turbatione Præcordiorum, & Pulsu magno, & irregulari.

AFfectus præternaturam, à quibus Vir Illustris, ut colligo ex doctissima Epistola Excellentissimi Domini Curantis, sollicitatur, sunt præter summam vigiliam, Præcordiorum turbationes, Pulsus irregularis, magnus, ac impetuosus, non sine actionum læsione; quare quid sentio breviter, ac sincerè juxta meum consuetum morem exponam.

Istæ affectiones oriuntur, tanquam à prima scaturigine, à visceribus imi ventris; quatenùs enervatis ipsorum fermentis, prima concoctio rectè non perficitur, undè chylosa substantia malæ conditionis, & sylvestris naturæ habetur; ex quo fit, ut cruoris massa vitietur, nec sufficienter edulcoretur, uti pariter reliqua fluida ad vitam conservandam necessaria; undè omnes humores acriores, & acidiores evadunt, qui transeuntes per cordis sinus irritant fibras illius regii visceris; ex qua irritatione oritur illa frequens, & immodica turbatio Præcordiorum quæ nostrum vexat Patientem, & præsertim accidit motus Cordis, & arteriarum vehementior consueto, undè pulsus magnus, impetuosus, & irregularis habetur. Ad Prognosim quod spectat, dico morbum hunc sanabilem esse: ex vitio enim humorum dependet, non solidorum; faciliùs enim fluida, quam solida corriguntur; ulterius ætas cùm sit florida, ac natura Ægroti robusta, ope mediorum salus spera-

ſperari licebit; ſi verò contumaciora evaderent ſymptomata, & nihil conferrent præſidia, tunc timendum eſſet, ne Syncope, & mors improviſa ſuccederet, quod tamen Deus avertat: Ut autem curatio ritè procedat, indicationes ſunt examinandæ, quæ, meo videri, ſunt, corrigere, quantum poſſibile ſit, primam concoctionem, depurando fermenta, & ſanguinem ad bonam craſim reſtituere, atque viſcera exindè corroborare; quæ ut aſſequantur, expiatis primò communibus viis aliquo lenienti medicamine, puta *electuario lenitivo*, vel *Potione ex Manna*, quam dabit Pharmacia; & ulteriùs præſtabit uſum *ſeri Caprini depurati* ad aliquot dies, cui additæ ſint nonnullæ guttæ *tincturæ chalybis*; præter hæc juvabunt *pulvis oculorum Cancri præparatorum*, *Coralliorum alborum præparatorum*, *Sal Abſinthii*, & quovis veſpere *Conſerva Roſarum & Borraginis*. Ex Chirurgia, ſi alvus adſtricta ſit, ſolvi poterit ope Clyſterum communium, vel confectorum ex lacte Vaccino, & Saccharo quantum ſatis. Sanguis è vena communi brachii ſiniſtri mittatur ad libram unam; & quatenus pertinacia affectionis hujus ſequeretur, Venæ ſectionem in dextro pede repeterem. Quod attinet ad externa auxilia, Epithemata regioni Cordis appoſita commendo, ut & balneum aquæ noſtri Eridani ad plures dies. His omnibus accedat idonea vivendi ratio, quæ tenuis ſit, & pro potu *aquam Hordei* exhiberem, quæ omnia à me ruditer, ac breviter exarata in Viri Illuſtris ſalutem, & incolumitatem cedant, ut ex corde precor.

Eventus.

Propoſita auxilia Medica omnia diligentiâ, & ſtudio adminiſtrata fuerunt, ac optimâ vivendi ratione obſervatâ, quadraginta dierum intervallo perfectè convaluit.

CONSULTATIO LXXI.

De Cordis Palpitatione.

CErtum eſt Perilluſtrem noſtrum Civem, de quo petitur conſilium, à multis menſibus per intervalla quædam, quintum

ferè mensem attingentia, laborare cordis Palpitatione; quotiescumque enim per excandescentiam, etiam levem, animo commovetur, illicò facies, aliàs pallida, rubore suffunditur, arteriæ inæqualiter, & inordinatè moventur, ipsaque Cordis regio quasi contremiscit, & palpitat.

Affectus hic Palpitatio Cordis nuncupatur, & definitur immoderata, & violenta Cordis concussio, quod sibi molestum est studentis excutere, mediante motu convulsivo; spasmodicè enim fibræ ipsius Cordis vellicantur, & contrahuntur: Differt porrò morbus iste à Passione Cardiaca, hæc etenim oris ventriculi affectio est; noster autem morbus ipsius Cordis, & arteriarum: Quia verò Cor afficitur idiopathicè, ideò subjectum præsentis affectionis est Cor, cum suo pericardio: Oritur à Sanguinis Viscididitate, qui Sanguis viscidus in rarefactione sua occupat majus spatium, ex quo Cordis parietes valdè dilatantur, undè necesse est, ut Cordi, & arteriis quædam vis inferatur, & per consequens Palpitatio oriatur. Nunc ordine consultationis servato, Prognosim videamus. In genere igitur iste morbus periculosus est, quia pars affecta est nobilis, & officina Spiritus Vitalis, ex qua ad universum corpus Sanguis, & calor distribuitur; ulterius periculo semper plena est hæc affectio, quia plerumque in Syncopem lethalem degenerare solet suadente *Dolæo in Prax. lib. 2. cap. 5.* Periculum autem certum est repentinæ mortis si iste affectus diutius affligat, sæpiusque redeat: Attamen in nostro casu non omninò est desperandum, dum vires Ægri sunt validæ, ac ætas consistens, & maximè eo quia potest corrigi visciditas materiæ morbificæ: quo facto, motus naturalis Cordi restitueretur, & per consequens salutem Æger noster recuperaret, ut spero. Indicationes igitur curativæ in hoc casu sunt, visciditatem in sanguine tollere, discutere, vel revellere; atque tandem Cor ipsum corroborare, ad quæ assequenda ad Chirurgiam, Pharmaciam, Diætam recurrendum. Sit itaque Diæta moderata, & alimenta exhibeantur, quæ probum, ac laudabilem Sanguinem valeant generare, & non viscidum, tenuem, serosum, salsum, & acrem, & quò alimenta simpliciora, eò meliora evadent, teste latino Hippocrate *Celso*. Juscula igitur condiantur, *croco*, & *cinnamomo*; *radices aperientes Asparagi*, *Fœniculi*, *cortex Capparidis convenient*;

venient ; *Chocolata* in usu sit, non abusu ; fugiantur cibi crassi, & flatulenti, salsi, & acidi ; fructus hortenses, carnes fumo induratæ, & salitæ. Potus sit *vinum tenue*, *odoratum*, *aqua* tamen *dilutum*: fugiatur è contra Vinum generosum sulphure multo turgidum, ex quo furor Cruori conciliatur, & per consequens Cor ad motum extraordinarium stimulatur ; optimè enim *Helmontius* ait, helluones palpitatione Cordis sæpè tentari. Somnus, & Vigilia sint moderata, docet enim *Hippocrates in Aphor.* 3. *Sect.* *II.* somnum, & vigiliam modum excedentem morbosam esse. Alvus semper lubrica servetur, & semel in die fæces egerat, si non spontè, ope *passularum*, & *prunorum decoctorum cum Saccharo*. Pharmacia primò leniens dabit consuetum ex *Electuario lenitivo*, cum *cremore Tartari* ad conficiendos bolos secundum artem, ut primæ viæ mundentur, & à saburris ibi morantibus liberentur; vitanda erunt omnia saccharata, & succi herbarum eligendi hunc in modum præscripti jam à celebri *Joh. Forti in Consult.* ℞ *Succi depurati Cichorei*, *Borraginis*, *Sonchi*, *ana*, ℥. j., *Salis Prunellæ*, ʒ. ß. *decocti in jure pulli Malvæ*, *Violarum*, *Melissæ*, *Agrimoniæ*, *Pentaphylli*, ℥. v., Misce pro syrupo, & sic pro aliis ; inde usum *seri Caprini depurati* commendo ad XV. dies, quatuor horis ante prandium ad unc. XX. *Aqua cordis Cervi* multum utilitatis præstabit, sicuti externè sequens Epithema. ℞ *Aquæ Melissæ*, *Borraginis*, *ana*, *lib. semis*, *aquæ Rosarum*, ℥. *iij*. *Pulveris Caryophyllorum*, *Cinnamomi*, *ligni Aloës*, *corticis Citri*, *ana*, ʒ. ß., *Seminis Ocymi*, ℈. *i*., *Croci*, *gran.* v. *vini odoriferi*, ℥. *iij*. *Misce fiat Epithema cordiale*: Possunt etiam externè applicari *sacculi è Melissa*, *floribus Lavendulæ*, *Borraginis*, *Buglossæ*, & aliis cordialibus; proderit quoque *aqua Cordialis Saxoniæ* cum *Tinctura coralliorum*, & *Confectione Alchermes*. Usum *lactis* commendare videtur *Joh. Fortis in suis Consult.* per dies 40., quatuor, vel quinque horis ante prandium, statim mulcti, cum consueta quantitate *Sacchari fini* pulverizati : poterit etiam utiliter externè regio Cordis illiniri *Oleo* nostro contra pestem, vulgò *del Castagna* nuncupato, vino generoso dissoluto. Sequens aqua cum sequenti pulvere valdè proficua fuit in quodam Rever. Sacerdote sæva Cordis Palpitatione affecto, & à me feliciter liberato, videlicet. ℞ *Aquæ Totius Citri*, *Melissæ*, *Borraginis*, *ana*, ℥. *iij*., *Cin-*
nam-

namomi, ℥. j. *Jul. Gemm. S. O.* ʒ. j., *Misce.* ℞ *Pulveris Margaritarum præparatarum, Eboris præparati, Cornu Cervi usti, Corallii albi præparati, ana*, ʒ. ß. *Smaragdi præparati*, ℈. j. *Misce, divide in iij partes æquales*; & assumatur die, ac vespere. Chirurgia tandem dabit Venæ Sectionem in Mediana Sinistri brachii, ad educendum sanguinem ad uncias decem: ulteriùs commendo Phlebotomiam in pede, ac cucurbitulas scarificatas dorso affixas suadente *Rhase* cum *Dolæo*. Clysterum usus utilis erit, quatenus alvus per se non respondeat. Quæ omnia Nobilissimo nostro Civi salutaria precor.

Eventus.

Proposita remedia fuerunt ex parte adhibita, & mutato aëre, Æger saluti perfectæ fuit restitutus, atque sanus nunc in Patria vivit.

CONSULTATIO LXXII.

De Syncope.

CAsus, super quem meum petitur consilium, talis est, Juvenis 31. annorum, Nobilis, tenuiori victui assuetus, cum sodalibus rus petit, & ad venationem se componit; ob ingentem tempestatem, & fulmine in terram lapso, fœnilique proximo accenso, vehementer territus, concidit sine sensu, & motu, & ferè nulla respiratione. Facies pallet, pulsus penè nullus, cum sudore frigido, non sine difficultate exercitatus, membrorum frigiditatem, & debilitatem patitur immodicam, & altera die idem redit symptoma, immò post cœnam denuò concidit: Nunc Medicam postulat operam.

Morbus hic Syncope nuncupatur à Doctoribus & dicitur præceps virium lapsio; ab aliis solutio naturæ vocatur; estque animi deliquium omnibus aliis fortius, & periculosius, illudque comitari solent illa eadem symptomata, quæ in nostro Juvene perspicimus, frigiditas nempè totius corporis ob nativum calorem exsolutum; frigidus sudor, qui syncopticus propterea nuncupatur; pulsus defectio; ac sensus, motusque privatio. *Amalth. Cast. Brun.* Subjectum principale

cipale hujus affectûs est Cor, non excluso sanguine, sunt enim Cor, & Sanguis causæ sociæ. Causa porrò immediata istius morbi est circulatio Sanguinis inhibita, & defectus influxus cruoris ex sinistro Cordis ventriculo per arterias in partes. Iste autem defectus non est quidem totalis, aliàs mortem induceret repentinam, tantus tamen est, ut vitalem facultatem turbare valeat, & vires exsolvere, totumque corpus suo defraudare vigore. Causa verò mediata proximior est impedita vitalium spirituum genesis: Causa remota fuit terror ob ingentem tempestatem, & casum fulminis; in subito enim terrore spiritus unà cum Sanguine ad Cor subito revocantur, & membra omnia destituunt, undè Sanguinis motio quasi sistitur, & circularis motus ad tempus ferè cessat; & sic flammula vitalis quasi obruitur, & penè extingui videtur. Ad Prognosim quod attinet, dico, omne animi deliquium gravissimum malum esse, mortis enim præ se fert speciem; ulteriùs, quia pars princeps afficitur, ideò gravis morbus iste apparet; aiebat enim *Hippocrates in Aphorism.* 41. *Sect. II.* illos derepentè mori, qui sæpè & vehementer sine causa manifesta animo linquuntur: non desperandum tamen in casu nostro, quia in Juvene, & sano; & quia toties revixit, indicium naturæ resistentis: Quocircà indicationes Medicæ sunt videndæ ut curatio de facili habeatur: hæc autem sunt, restituere motum cruori in ipso paroxysmo; extra verò paroxysmum spirituum vitalium genesim promovere, & Cor ipsum firmare; quæ ut assequantur ad Pharmaciam, Chirurgiam, & Diætam confugere oportet, ex quibus fontibus salus oriri potest: & primò quoad Pharmaciam, lenienti præmisso ad communes expiandas vias, usum suadeo *aquæ Theriacalis* cum *aqua Cinnamomi*, & *modico olei succini albi*, sicuti *pulverem Margaritarum præparatarum & Corallia præparata*. Præterea commendantur *conservæ totius Citri*, *Rosarum*, *Confectio Alchermes cum aqua Cordiali Saxoniæ*, *cordis Cervi*, *Melissæ*, *Borraginis*, & similibus: Assumptionem *Succorum Fumariæ*, *Agrimoniæ*, *Cichorei*, *Borraginis ad* ℥. iij. quavis mane jejuno stomacho, & id per dies x. immò *decoctum leve Salsæparillæ* commendo: Proderunt etiam *species Diamargaritarum & Emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum factæ in aqua Borraginis*: *Spiritus Rosarum*, quatenus Cor, & Cerebrum recreans, commendatur à *Sennerto*, & *Boneto*, sicuti à *Sylvio de le Boë* olea aromatica, & salia volatilia;

ſed maximè oleoſa: Elixir Vitæ, & oleum Cinnamomi valdè præſtare in curatione hujus affectus ait *Gladbachius in ſua Praxi Med.* In paroxyſmo labia ſale, aqua ſalſa, aut Urina ipſa, ſi aliud non ſuppetat, laventur, & fricentur, ex ſuaſione *Michaëlis*; immò aquâ frigidâ facies inſpergatur, & acetum naribus admoveatur. Ex Chirurgia verò ſumatur Venæ ſectio, tàm in, quàm extrà paroxyſmum, vel in brachio, vel in pede inſtituenda, ut citò promoveatur ſanguinis motus localis. Inſuper Clyſteres utiles erunt, ut & fricationes cum modico oleo Amygdalarum dulcium faciendæ dorſo; omnia hæc, ut ſemper magis humorum motus concitetur. Diæta tandem his omnibus ſuccedat, & cibus ſit temperatus, boni ſucci, pro meliore ſpirituum generatione, ut *carnes Vitulorum*, *Caponum & ſimilium*. *Vina rubra* commendare videtur *Galenus*, quia citò replent corpora evacuata; *juſcula* pariter *Pullorum* prius conciſorum, & contuſorum exhibenda laudo; ait enim *Hippocrates* facilius eſſe corpora potu refici, quam cibo, potulenta enim in chylum facili pronitate mutantur, & cordi citò communicant refectionem, & licet non nutriant, ut ſolida, ſuperant tamen nutriendi celeritate: Somnus ſit brevis, & capite elevato: alvus lubrica ſervetur quotidie arte ſollicitanda, niſi ſponte reſpondeat: Fugiat Æger potiones nive, vel glacie refrigeratas; curas animi tollat: & ſic omnibus iſtis ritè obſervatis ſummo adjuvante Archiatro ſalutem priſtinam Juvenis noſter recuperabit.

Eventus.

Opportunis temporibus uſurpata fuêre multa ex dictis remediis, & accedente aëris mutatione priſtinæ ſanitati Æger fuit reſtitutus, nunc ſanus vivit.

CONSULTATIO LXXIII.

De Animi Deliquio.

ADoleſcentula Romandiola ætatis annorum 17. boni corporis habitûs, à multo tempore imminutionem appetitûs paſſa,

ſa, derepentè in præcipitem virium defectum incidit, ex quo ferè mortua cadit; paulò poſt revocatur ad vitam, nonnullis elapſis horis malum repetit, & ad mortis fauces accedit. Pulſus eſt parvus: Conſilium petit.

Affectus iſte eſt præceps virium defectus, & dicitur à D*olæo* Microcoſmi Eclypſis, ob quam Mors præ foribus eſſe videtur. Pars affecta in tali animi deliquio eſt Cor ipſum, tanquam ſpirituum vitalium regia; dependet enim iſtè morbus à defectu ſpirituum vitalium, qui defectus quatuor modis contingere poteſt, vel quia ſpiritus non ſufficienter gignuntur; vel, ſi geniti, de facili diſſipantur; vel alterantur, & vitiantur, vel tandem ſuffocantur; in noſtra verò Patiente, puto eſſe in primo caſu; in hac enim Adoleſcentula ſpiritus vitales non ſufficienter generantur, ex quo defectu ſpiritûs animalis paucitas inſurgit, undè virium proſtratio, & appetentia penè nulla, quo fit ut per inediam immodica corporis inanitio habeatur, & per conſequens minor copia ſpirituum generetur, ſicque languidæ vires deficiunt. Subitus autem in terram lapſus rectoribus muſculorum, & totius humanæ machinæ ſpiritibus ſtationem ſuam relinquentibus debetur, & ita deficientibus ſpiritibus, omnes actiones ceſſant, & viva noſtra Ægrota, cadaveri fermè ſimilis eſt. Viſa cauſa hujus affectionis, quale Prognoſticum ſtatuendum ſit, nunc videamus oportet, & quid præſagiendum reſpectu ſalutis, vel mortis. Dico igitur, mea, qua ſemper ſoleo, naturali ingenuitate, affectionem iſtam timendam eſſe, dum adeſt ſumma debilitas, ut Adoleſcentula ipſa fatetur; & magnus Præceptor *Hippocrates in Aphor.* 41. *Sect. II.* ait, *qui ſæpe & vehementer abſque cauſa manifeſta animo linquuntur, ii derepentè moriuntur*; quod in caſu noſtro Deus avertat. Verùm quia in adoleſcentia ſumus, de ſalute non deſperandum.

Ut ergo methodicam curationem inſtituamus, examinandæ ſunt indicationes, ut indè remedia opportuna præſcribamus. Debemus igitur generationem ſpirituum promovere, ac genitos roborare, atque in poſterum Ægram noſtram à tali affectu præſervare; quæ ut fiant ad tres conſuetos Practicæ Medicinæ fontes eſt deveniendum; id eſt, ad Chirurgiam, Pharmaciam, ac Diætam; è quarum prima ſe ſiſtit nobile, & generoſum illud remedium, ſcilicet Sanguinis Miſſio,

 quæ

quæ *Hippocrate*, & *Galeno* auctoribus assentientibus tutò celebrari potest; licet contrarium sentiant nonnulli, asserentes in nostro casu, Venam secare non licere, cùm sanguinem educendo, calor nativus magis imminuatur, spiritus dissipentur, & vires dejiciantur, quas tamen sartas tectas conservare debemus, & maximè tempore paroxysmi, quia tunc sanguinem extrahere est animam ipsam simul ejicere; nihilominus tamen cum debito moderamine sanguinem mittendum esse jam dixi, ad motum sanguinis vigorandum, ut parte ejus educta reliquus cruor vegetior impellatur, ne subsistat: Venæ sectionem enim in grumescentia sanguinis commodum esse præsidium docuit *Joh. Michaëlis in Prax. Special.*: Cucurbitulæ etiam scarificatæ proderunt, ut & frictiones, quatenus hæc spiritus excitant, & ad exteriora revocant. Pharmaceutico ex fonte primò desumi poterit *Manna*, aut *Cassia* ad saburram vitiosorum excrementorum in primis viis stabulantium tollendam, blandè alvum exstimulando, ita ut via sternatur ad alia remedia subsecutura: Clysteres quoque ad alvum sollicitandam commendo: Mixtura sequens cochleatim assumenda laudatur à *Sylvio de le Boë* ℞ *Aquæ Menthæ*, ℥. ij, *tincturæ Cinnamomi*, ℥.ß. *Olei Caryophyllorum*, *gut. VI.*, *Syrupi Cochleariæ*, ℥. j. *Misce*. Ita omnia spirituosa salino-volatilia, quæ flammam vitalem accendere valent, & spiritus refocillare, utiliter poterunt exhiberi, ut verbi gratia, *Aqua Cinnamomi*, *totius Citri*, *Cerasorum nigrorum*, *Confectio Alchermes*, *aqua Cordialis Saxoniæ*, *Melissæ*, *pulveres Margaritarum præparatorum*, *ossis de Corde Cervi*, *Corallii rubri præparati*, & *lapidum quinque pretiosorum*, *Conservæ* insuper *florum Tunicæ*, & *Borraginis* utiles erunt; sicut aqua Reginæ Hungariæ naribus frequenter admota, & Cordis regioni applicita. Ad revocandam Ægram in actuali deliquio uti poterit *spiritu Salis Ammoniaci*, cum *spiritu Vini Camphorato*, & *oleo Succini* mixtis simul: solvere lipothymiam *balsamum succini albi* naribus illitum docuit *Dolæus*. Diæta demum moderata sit, & hanc meritò Adolescentula nostra observare tenetur, ne sæpius, & gravius, ut antea, tali morbo affligi velit: Cibus igitur sit temperatus, & boni succi pro majore spirituum generatione, ut carnes Vituli, Caponum, Hordeum; juscula condiri poterunt Croco, & Cinnamomo, vel Macis pulvere: Vinum sit tenue, & dulce, odoratum, & restituens spiritus vitales. Vitandi sunt Cibi difficilis

ficilis concoctionis: Quies præferenda exercitiis. Hisce autem singulis ritè observatis brevi spero remissurum fore præsentem animi deliquium summo adjuvante Archiatro ter Optimo, & Maximo, ut ex corde precor.

Eventus.

Vix medicamina aliqua ex propositis experta fuêre; & superveniente Diarrhœa biliosa cum nonnullis torminibus Ventris, Animi Deliquium cessavit, & Adolescentula nostra omninò salutem recuperavit; nunc Deo adjuvante sana vivit.

CONSULTATIO LXXIV.

De Hydrope Pulmonis.

EX valdè compendiosa, & brevi historia morbi Nobilissimi nostri Patientis colligi facile potest, Ægrum, cujus salus optatur, affectum esse Hydrope Pulmonum, cui accedit difficilis respiratio, & crurum ac pedum tumor; qui affectus originem suam agnoscit à soluta compage totius cruoris facta ab exaltatione salinarum particularum erodentium, unde humorum massa colliquatur, & in circulando motu labefactato stagnat hinc illinc serositatis portio, & exindè fit tumor, & primò quidem in Pulmone; in hoc enim totus sanguis effluit; & cùm chylosa substantia non debitè uniatur cruori, sed à salibus sylvestribus supradictis in lympham colliquetur, quæ extravasata Pulmonis substantiam in tumorem attollit, indè spirandi difficultas insequitur; & ita etiam ex eadem causa crurum, ac pedum oritur intumescentia morbosa, qualis apparet in nostro casu. Prognosis in casu nostro non adeò felix est, pars enim principalis afficitur, & respiratio læditur, actio tam necessaria vitæ humanæ; præterquam quod admodum difficile evadit restituere læsam totius corporis Oeconomiam, & præcipuè Pulmonis, & totius Pectoris: Attamen quia vires adhuc vigent, & melius est anceps experiri remedium quam nullum, ideò examinandæ sunt indicationes, ut curatio ope remediorum

recta, ut fieri debet, instituatur. Indicationes igitur erunt, tollere congestionem humorum in Thorace factam, derivare ichores ad vias urinarias, corrigere sanguinis massam salia infringendo, ac demum viscera interna corroborare; quæ omnia, & singula ut nos habeamus, & per consequens, ut opem nostro Ægroto feramus, saltem ad mitiganda Symptomata, ad tres consuetos Medicinæ fontes devenire expedit, videlicèt ad Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam. Et ut ordiamur à prima, nihil ex hac ego sumerem nisi Clysteres ad alvum sollicitandam, quatenus opus esset, & hos conficerem ex lacte Vaccino, & Saccharo rubro quantum satis, vel ex decoctione emolliente cum oleo Amygdalarum dulcium. Pharmacia primò dabit pro lenitivo *oleum recenter expressum Amygdalarum dulcium ad uncias quinque*; deinde ad facilitandam respirationem, & urinæ vias aperiendas uti poterit *spiritu Terebinthinæ*, vel *spiritu Salis dulcis* cum *jusculo chalybeato*, in quo prius bullierint *radices Althææ*, *Graminis*, *Petroselini*, *Asparagorum*, *Fœniculi*, & hoc per plures dies; quod si moveatur urina, tunc spes salutis affulget, & statim cogitandum erit de restituenda nativa cruoris compage, quod præstabit, suadente *Malpighio*, *tinctura Chalybis*, cum *jusculo Pullorum* alterato *foliis Absinthii*, *Marrubii*, & hoc sumendo ad plures dies, accedentibus etiam istis pulveribus. ℞ *Pulveris Oculorum Cancri præparatorum*, *Antimonii diaphoretici*, *Salis Prunellæ*, *Cornu Cervi usti*, *ana*, ʒ. j. *Misce divide in VII. partes æquales*; Interdum autem adhibeantur sequentes tabellæ ℞ *Seminis Althææ*, ʒ. j. *florum sulphuris*, ʒ. ß., *Sacchari candidi*, *q. s.*, *&* *cum sufficienti quantitate aquæ Violarum fiant secundùm artem tabellæ*. Quod si respiratio difficilis urgeat, tunc poterit exhiberi *Syrupus de Ibisco*, *&* *de Hyssopo*, quibus Syrupis addi utiliter poterit *Spiritus Salis Ammoniaci*. Diæta tandem sit moderata, & juxta Medicas leges instituta; omnis enim medela irrita est, nisi accommodata vivendi ratio observetur. Cibi igitur sint euchymi, quales sunt *carnes optimæ elixatæ*, *ova recentia*: *Vinum tenue* sit, & *alteratum foliis Absinthii*; juscula pariter saliantur sale istius herbæ salutaris in accommodandis fermentis. Sollicitudines, & animæ curæ fugiantur, animus sit hilaris, & sperans salutem. Ad tumorem crurum, ac pedum proderit balneum ex urina Puelli cum Sale Prunellæ; quibus omnibus assistat Clementia Divina, sine qua nihil.

Even-

Eventus.

Etsi proposita remedia, cum aliis etiam ab aliis Medicinæ Doctoribus præscriptis magna cum diligentia adhibita fuerint, nihilominus Æger semper in pejus lapsus est, & post mensem à Consultatione miserabiliter suffocatus interiit.

CONSULTATIO LXXV.

De Cardialgia.

IN quacumque consultatione, quod primum considerandum venit est idea morbi, quam in Illustrissimo Juvene nullam aliam esse puto, quam Cardialgia; etymon si spectetur, Cordis dolorem significat; est enim hic morbus molesta Stomachi, seu orificii superioris Ventriculi affectio, neque solùm Stomachus dolore afficitur, sed totum Ventriculum malè haberi puto, cùm totus sensu sit præditus, licet in orificio superiori dolor sit acutior ob copiosiores nervos, qui diffunduntur per eam partem; & iste morbus à multis Syncope Cardiaca appellatur: describi autem potest, quod sit vehementissimus dolor Stomachi, sive orificii Ventriculi superioris cum gravissimis symptomatibus, nempe Cordis palpitatione, animi deliquio, nausea, vomendi conatu vehementiori, immoderatis sudoribus, necnon febre symptomatica: provenit autem à solutione continui per cuspides particularum succi acerrimi, quæ lancinando, & mordendo fibras nerveas Ventriculi dolorem immanem excitant; undè apparet partem affectam esse Ventriculum, & in specie orificium ejus superius; cùm enim non raró ex mala, & inconvenienti mixtura succi pancreatici, & biliosi cum præterfluente cibo dolorifica excitetur fermentatio, ob quam Duodenum Intestinum acrem, & lancinantem dolorem patitur, ideò simul cum Ventriculo in Cardialgia Duodenum esse affectum puto; dolor enim in nostro casu non tantum in Stomacho præsentitur, verùm etiam in proxima inferiori dextra parte, ut ex historia morbi colligo. Accedamus nunc ad Prognosim: Dico autem morbum esse timendum, ob

ob exquiſitum enim ſenſum Ventriculi dolores ſunt magni faciendi, & maximè ob imminentem Lipothymiam, Cor enim faciliter in conſenſum trahitur; ſi verò partium externarum frigus accedat unà cum febri, de inflammatione timendum, & gravius erit malum. Quod ſi febris ceſſaverit ſecurior erit affectus, & faciliter per vomitum terminabit. Indicationes porrò curativæ in noſtro caſu erunt, tollere ſuccos illos acerrimos, vel ſaltem eos corrigere, & cicurare, eorumque particularum lancinantium cuſpides infringere, ac hebetare, atque demum Ventriculi, ac Duodeni Inteſtini fibras, & tunicas roborare, quæ ut commodè fiant, ad tres Medicinæ fontes conſuetos deveniendum eſt, videlicet ad Diætam, Chirurgiam, & Pharmaciam: ex hæc igitur primò, ſi febris ceſſaverit, poterit ſumi lenitivum ad ducenda per alvum recrementa peccantia; quod ſi febris continuet, abſtinendum à purganti medicamine, ne fortaſſè ab Eryſipelate inductus dolor exaſperetur, & necem afferat; quapropter curanda erit præſens Cardialgia potius remediis acritudinem ſuccorum præternaturalium temperantibus, ut & anodynis: Sequens pulvis in uſu ſit: ℞ *Pulveris Eboris, Oculorum Cancri præparatorum, Corallii rubri præparati, ana*, ʒ. ij., *Santali rubri, Cinnamomi, ana*, ʒ. ß. *Miſce* & doſis ſit ſemi drachma pro qualibet vice: aſſumatur autem dictus pulvis cum aqua ſequenti: ℞ *Aquæ Fœniculi, Menthæ, ana*, ℥. j., *aquæ Cinnamomi*, ʒ. vi., *Syrupi de Mentha*, & *Cydoniorum, ana*, ℥. ß. *miſce*. Commendabilis etiam eſt *Pulvis Stomacchius Poterii*, & *Laudanum opiatum*. Nonnulli laudant *Elixir Proprietatis Paracelſi*: *alii tincturam ſuccini, ſalem Abſinthii, ſalem Tartari; confectionem Alchermes*, & *Chocolatam*. Sequentem mixturam cochleatim aſſumptam mirificè præſtare expertus ſcribo, videlicet. ℞ *Pulveris Cryſtalli Montanæ præparatæ*, ʒ. j. *Theriacæ optimæ*, ʒ. j. *Confectionis de Hyacintho*, ʒ. j., *Balſami Peruviani*; ʒ. j. *Pulveris Croci*, ℈. j., *Oculorum Cancri præparatorum, Margaritarum præparatarum, ana*, ʒ. ß. *Terræ Sigillatæ*, ℈. j., *conſervæ Abſinthii, Anthos, Roſarum, totius Citri, ana*, ℥. ij. *Miſce*, & *cum Syrupo de Agreſta quantum ſatis fiat Electuarium molle* S. A. Externè etiam proderit *emplaſtrum de cruſta panis*, & *de Palmulis Galeni*: poteſt etiam foveri pars affecta cum *aqua Reginæ Hungariæ*. *Dolæus* laudat mixturam ſuam balſamicam ex *ſuccolata, oleo Nucis Moſchatæ expreſſo*, & *balſamo Peruviano, Cinnamomo*,

momo, *& vino Malvatico* paratam, quæ Ventriculi regioni applicari debet. A Chirurgia verò, fi febris non ceffaverit, & morbus incrudefcat, ob metum inflammationis inftituenda erit Phlebotomia in brachio dextero ad uncias decem Sanguinis effodiendas, ut fic deonerata natura (ut loquar verbis *Galeni*) Æger nofter facilius infurgat in morbum: Frictiones ad dorfum, & Clyfmata ad divertendas materias acres peccantes, ac Ventriculi fibris inimicas, & eas per alvum ducendas, valdè commendo. Ad Diætam tandem quod fpectat, cibus fit facilis digeftionis, fermentationis: poterit quoque condiri variis aromaticis, ut verbi gratia *Thymo*, *Majorana*, *Aniso*, & aliis hujufmodi innocentibus herbis: vitare debet Ægrotus nofter cibos acres, nimium falitos, legumina, & hortenfes fructus; fugiantur pariter dulcia, & pinguia, quæ fæpè acorem contrahunt, & caufam morbi augere valent. Potus fit vinum probæ notæ in modica tamen quantitate: Somnus poterit utiliter conciliari, adhibendo etiam *Opiata*, quatenùs opus fuerit. Quod demum excreta, & retenta concernit, curandum, ut alvus quotidiè refpondeat, fæces enim alvinæ, ut ait *Dolæus*, præternaturam retentæ putridos, & acres vapores ad Stomachum mittunt, & acorem concipiunt, undè, & per confenfum harum partium Stomachus ipfe maximè inverti poteft, & hinc majores moleftiæ oriri poffunt; Animi fit læti, & tranquilli, ac angue, & cane pejus fugiat mœrorem, ne fortè Sanguini balfamica confiftentia tollatur, undè acris, & effœtus factus ipfe cruor, fermentum Ventriculi corrumpat, & vitiet. Ira pariter rationis fræno moderetur. Deus tandem noftro Patienti generosè fuccurrat, fic enim tutò, citòque, & non injucundè præfidia Medica operabuntur.

Eventus.

Etfi multa ex propofitis remediis, immò alia plura fuerint adhibita, non potuit tamen Nobiliffimus Juvenis evadere, quin morbo increfcente in meliorem vitam obdormierit; aperto cadavere penè fphacelatas Ventriculi tunicas interiores, & præfertim in parte fuperiori Medicus obfervavit.

CONSULTATIO LXXVI.

De Fame, & Siti Læsa.

JAm transierunt viginti dies, quibus Reverendissimus Abbas plethoricus annorum XLIX. post Febrem Tertianam feliciter superatam, Fame, ac Siti læsa afficitur, non modò verùm cibum, & potum non expetit, sed etiam aversatur; immò ad aspectum, & nomen ipsum ciborum Nausea corripitur; quod autem nobtabile est, illum sine cibo, & potu vixisse per biduum testantur Domestici. Nunc ut saluti restituatur opem Medicam implorat.

Famem, & Sitim læsas esse in præsenti Ægroto clarissimè apparet, & evidenti constat observatione; cùm enim multipliciter lædi possint istæ actiones; unde quadrupliciter Fames, ac Sitis fit præternaturalis, nimirum aucta, & nimia; abolita quæ Α'νορεξία Anorexia græcè dicitur; imminuta, quæ in casu nostro; ac demum depravata, Μαλακία *Malacia*: Hinc est quod Reverendissimus Abbas tertiâ læsione Famis, & Sitis affectus sit, cujus morbi causam antiqui Galenici ad deficientem suctionis sensum in Stomacho retulerunt; naturalem enim famem fieri putabant ab ejusmodi suctione, ex prævia in omnibus partibus corporis consumptione; verùm cùm causam legitimam ego agnoscam succum quendam acidum in Ventriculo exsudantem à glandulis ipsius Ventriculi: hinc est, quod, vel ob absentiam istius liquoris, vel ob privationem acidarum particularum in eo, Fames deficiat, & iste morbus insurgat; constipatis namque poris glandularum, tale fermentum negari potest, vel saltem vitiari, & elanguescere, maximè si permisceatur cum aliis humoribus ab aliis visceribus confluentibus; unde ejus particulæ hebetentur, & infringantur: potest etiam minorari fames, eò quod fibræ tunicæ internæ Ventrinculi glutinosâ, tenacique substantiâ oblitæ sint; quo fit, ut non de facili admittant irritationem à particulis fermenti acidi habendam, ex qua præcisè Fames dependet. Cessata verò Fame, & per consequens cibis non assumptis Sitim etiam abesse convenit; si quis enim

enim non comedit, bibere haud poteſt. Pars igitur affecta eſt Ventriculus cum Fermento famem excitante, quod vel deficit, vel malè ſe habet. Ad Prognoſim autem quod attinet, licet plerumque nullum minetur periculum, attamen ſi diù duraverit talis affectio poterit alios parere morbos, ut Syncopem Animi deliquium, ſummum lànguorem, atque univerſalem Atrophiam, ex qua infallibiliter mors ſequeretur. Quantocitiùs igitur fieri poſſit, ad curationem eſt deveniendum, ad quam aſſequendam prius conſiderandæ ſunt indicationes, quæ, meo videri, ſunt, reſtitutio fermenti ſtomachalis ad juſtam ſuam acidam craſim, & remotio glutinoſæ ſubſtantiæ ſupradictum fermentum inviſcantis, atque hebetantis acutiem particularum acidarum, indè corroboratio tunicarum Ventriculi ipſius. Quæ ut fiant ad Diætam, Chirurgiam, ac Pharmaciam devenire oportet & ut ab hac noviſſimâ exordiar; primò conveniet alvum lenire, & ſic removere impuritates in Ventriculo peccantes; hocque commodè fieri poterit, vel *floribus Caſſiæ cum Tamarindis*, & *Cremore Tartari*, vel optima *Manna Calabrina*; mox *Elixire Proprietatis* utendum erit, & *ſpiritu Vitrioli in aqua Menthæ*. *Ang. Sala* conficit *aquam ſpirituoſam Menthæ* ex ejus foliis, ſpiritu vini, & aqua communi cum ſaccharo, quam mirabilem dicit in appetitu promovendo, & adjuvanda concoctione. Poterit inſuper efficaciam *Oxymellis* experiri, & *vini*, in quo fuerit infuſum *Abſinthium*, *Roſmarinum*, *Hyſſopus*, *Salvia*, & *Calamintha*. Externè fiat Epithema ex vino Cretenſi, aceto, cum cruſta Panis, aſperſa prius pulvere Cinnamomi, & Caryophyllorum. *Species Aromaticæ Roſatæ* commendantur à multis; immò mihi faſſus fuit Siculus quidam Mercator ſe appetitum proſtratum pluries viciſſe, ac Famem revocaſſe ſolo uſu calidi potus *Caffè* abſque pulvere Sacchari ad plures dies. Ex Chirurgia nihil, niſi febris accedat; quo caſu Phlebotomia opus erit. Diæta demum ſuccedit, quæ ſit moderata, cibi ſint boni ſucci; juſcula condiantur Cinnamomo; vinum ſit odoratum, & alteratum modo ſupradicto; aër ſit ſerenus, lucidus, & temperatus; animi pathemata graviora proſcribantur; modus in ſomno, & vigilia ſervandus. Quibus omnibus Dei auxilio fretus, ſpero futurum, ut egregius Patiens poſſit curari à præſenti morbo.

Eventus.

Usurpata in parte proposita auxilia Reverendissimum Abbatem in meliorem salutis statum reduxerunt; donec tandem mutata regione, & ardente Syrio, usu balnei aquæ dulcis currentis nostri Eridani per plures dies sub vesperam omninò salutem recuperavit, ac Fames, & Sitis juxtà Naturæ leges rediêre. Nunc sanus vivit, bene comedit, melius potat, ac optimè concoquit.

CONSULTATIO LXXVII.

De Inappetentia.

NObilis Juvenis ætatis annorum XXVII. corporis, & animi candore à narura donatus, potui frigido diebus canicularibus largius indulsit, ex quo cibi fastidio, & summâ inappetentiâ affectus est; unde Medicam opem implorat.

Iste affectus vocatur Inappetentia, seu cibi fastidium, à Græcis Ἀνορεξία dicitur, & consistit in actione Ventriculi ferè abolitâ, ac valdè imminutâ. Causa hujus morbi, juxtà Galenicos, refertur ad deficientem suctionis sensum in orificio superiori Ventriculi, cum Famem fieri credant ab ejusmodi suctione, ex præviâ in omnibus partibus corporis consumptione. Deficere autem hunc suctum in Stomacho putant Galenici à crudis, crassisque humoribus in Ventriculo stagnantibus, vel etiam à toto illuc confluentibus. Ego verò puto, præsentem affectum, ex defectu succi cujusdam acido-acris in Ventriculo stabulantis, & Famem excitantis, provenire; vel si non omninò hic succus deficit, saltem dilutior, & hebetior in hoc morbo evadit, unde elanguet, nec potest vellicare Stomachi fibrillas, ex qua naturali vellicatione, & irritatione Famem oriri credo, quæ aciditas, non tantùm Fami est necessaria, quam ciborum dissolutioni; & provenit à glandulis in Ventriculo stantibus. Quod ad Prognosim spectat, quemadmodùm bonus appetitus est laudabilis, ita è contrà inappetentia est mala, præsertim in Juvene; quia in hac ætate plus dissipatur, & disper-

ditur.

ditur, ideòque majori indigetur reſtauratione. Quia verò in noſtro caſu abeſt febris, non adeò eſt periculoſa; ait enim *Riverius*, *cibi faſtidium malum*, *& cum febre pejus*. Ut deveniamus ad curationem, corrigendum erit vitium liquoris acidi in Ventriculo ſtabulantis, ejuſque liquidum ad naturalem ſtatum ducendum, atque totus Ventriculus corroborandus. Ad quæ aſſequenda, ad Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam deveniendum erit. Venæ ſectio in hoc affectu non convenit, cauſa enim hujus morbi non eſt in cruore, nec in ejus abundantia, vel vitio. Aliqui Clyſteres, tantummodo ſi alvi ſuppreſſio adſit, utiles erunt, ut & pedum lotio facta cum aqua tepida ſub veſperam. Ventriculum lenire oportebit *Ptiſanâ ſolutivâ*, vel *pilulis Gelii*; poſtea exhibeantur *Sal Abſinthii*, *Syrupus Cydoniorum*, *de Acetoſitate Citri*, *de Agreſta*, & *de Mentha*. *Elixir Proprietatis Paracelſi* laudatur à nonnullis, cujus *gutt. x.* in vino Hiſpanico poterunt utiliter exhiberi. Uſum vini calidi *Coſtæus* commendat, & Zedoariam *Harttmannus*. Inter externa ſequens unguentum præſcribo: ℞. *Olei Roſati*, *Myrthini*, *Cydoniorum aceto Roſaceo lotorum*, *ana*, ℥. *ij*. *Santalorum omnium*, *Corallii rubri*, *Coriandri præparati*, *Roſarum rubrarum*, *ana*, ʒ. *j*. *Granorum Kermes*, *Spodii*, *ana*, ʒ. ß. *Ceræ albæ* Q. S. *Miſce*, *fiat linimentum*; quo ſæpè inungatur Ventriculi regio. Balſamum Peruvianum etiam adhiberi poterit, quod etiam laudavit *Clariſſ. Mangetus in Bibliot. Med. Pract. lib. 1.* In Diæta aër ſit temperatus, cibus concoctu facilis, & corruptioni minus obnoxius. Vinum ſit tenue; mœror vitetur; & acetaria ad excitandam appetentiam frequenter uſurpari poterunt.

CONSULTATIO LXXVIII.

De Pica, *ſeu Malacia.*

PUella Ferrarienſis annorum duodecim, pallida, & gracilis, lapillos, cretam, carbones, immò calcem ipſam comedit; ita ut muros cubiculi calce illitos, cruſta ſpoliet non ſine voluptate; Mater enim ejus pluries ad verbera uſque correxit, incaſſum. Adſunt autem frequentes expuitiones, Ventriculi morſus, & anxie-

tates totius corporis œconomiam turbantes. Mater consilium Medicum poscit.

Ex hac verò brevi, sed clara morbi istius historia apertè colligitur, puellam hanc Pica laborare, qui morbus à multis Malacia etiam dicitur, & definitur: appetitus depravatus, & vitiosus rerum ad nutritionem ineptarum, aut certe incongruarum, vel quoad quantitatem, vel qualitatem, cum languore, anxietate, & Ventriculi morsu, ut in casu nostro. *Amalth. Cast. Brun.* Pars affecta Ventriculus est, & præsertim orificium ejus superius, ubi enim residet appetitus naturalis, ibi etiam depravatio ejusdem manebit. Si rectè verò consideretur hæc affectio suadentibus *Dolæo, & Ettmullero* Practicis famatissimis, simul cum Ventriculo affici Phantasiam colligetur, nam cùm à fermento Stomachus vellicatur, singulari affectu Patiens defertur in varia, ut sunt carbones, cretam, lapillos &c. sed fermentum præcisè non determinat hoc, vel illud, sed Phantasia: utique igitur, & cum Ventriculo Phantasia erit affecta. Causa autem proxima erit vitiatus spirituum motus, quatenus Phantasiæ munia turbat; quæ causa tanquam subjectum radicationis agnoscit Ventriculi fermentum vitiatum; occasionalis verò causa, vel, ut alii dicunt, remota, sunt omnia ea, quæ fermentum digestivum depravare valent; undè in casu nostro vitio fermenti affecti, & turbati spiritus animales ad quædam impropria, & inusitata, imò nocua edulia dirigunt Phantasiam, undè depravatus supervenit appetitus: Spuitiones autem frequentes, anxietates, & Ventriculi morsus oriuntur à peculiari acredine ipsius fermenti; illius enim particulæ acriores factæ, cuspidibus suis irritando, & pungendo fibras Ventriculi, prædicta symptomata inducunt: & quia nervum etiam sextæ conjugationis lædunt, hinc est quod anxietates fiunt, quatenus Cor, & Cerebrum afficiuntur; undè inordinato Sanguinis, & spirituum influxu, corporis rectam œconomiam perturbant. Hoc malum periculo non vacat, & sæpè in Cacochymiam, Hydropem, & alios morbos degenerat; si enim malum diù duraverit, fieri non poterit, quin pravi humores, ac morbi pertinaces indè nascantur. Tempestivè igitur ad curationem est deveniendum; & primò Stomachus erit evacuandus, secundò fermentum vitiatum ad naturalem statum reducendum, & demum ipse Ventriculus appropriatis roboran-

borandus, & spiritus animalis motus compescendus. Primò itaque tale præscribatur vomitorium: ℞ *Jusculi Gallinæ cum oleo Olivarum, & aceto, & modico vini albi*; quo assumpto vomitus accidet cum humoris in Ventriculo existentis evacuatione: indè alterans sequens propinetur. ℞ *Herbæ Melissæ, Rutæ, Betonicæ, Origani ana, M. j. ß. decoque in quantitate sufficienti aquæ Hordei*; inde fiat colatura, cui adde *Syrupi de Mentha, Betonica, & Oxymellis, ana*, ℥ ß. *Misce, fiat Apozema* pro quatuor dosibus manè, & vesperè sumendis. Exhibeantur quoque *pilulæ de Tribus cum Rhabarbaro*; postea ad corroborationem Ventriculi utatur *speciebus Diamargaritarum, sale Absinthii, specifico stomachico Poterii*: Mirabilem vim habere in hoc sanando affectu scribit *Thom Burnetus in Thesaur. Medic. pulverem seminis Ammeos* assumptum ad plures dies *ad semidrachmæ pondus*, nam patientes, ait *citatus Autor*, vel liberantur prorsus, vel saltem melius se habent: *Mithridatium*, ac *Theriacam Andromachi* nonnulli commendant, quod innuit quoque *Bonetus in suo Mercur. Compital. lib.* I; Sequens pulvis assumptus sub finem pastûs proponitur, & laudatur à *Clariss. Muralto in Miscellan. Curios. Dec.* 2. *ann.* 7. *obs.* 22. ℞ *Pulveris Viperini, seminis Fœniculi, Anisorum, ana*, ℥. ß. *corticis exterioris Citri siccati, & Cinnamomi, ana*, ʒ. ij. *Caryophyllorum, & Macis, ana*, ʒ. ß. *omnia pulverizata æquali pondere Sacchari misceantur.* Externè illiniatur regio Stomachi sequenti linimento: ℞ *Olei Cydoniorum, Nardini, Mastiches, ana*, ℥. ß. *Misce fiat linimentum S. A.* Multi etiam ceratum Stomachale apponunt super corio extensum, quod nec laudo, nec vitupero: & hæc pro Pharmacia dicta sint. Nunc ad Chirurgiam gradum faciamus, à qua solummodò Phlebotomiam sumendam puto, una tantùm admissa Venæ sectione in brachio, vel pede ad pondus Sanguinis unciarum sex. Ad Diætam verò quod attinet, cibi offerantur varii, qui Patienti sint grati ad imaginationem à rebus alienis avocandam; commendatur usus *Capparorum, Olivarum* conditarum, *Succi Limoniorum*, & *Granatorum, Ribes*, & aliorum hujusmodi; immò *Amylum* quoque laudatur ab *Henrico Regio Medicat. lib.* 3. quia acrimoniam humorum de facili temperat. Potus tandem sit *vinum generosum, & adstringens*; sicque spero, ut Puella nostra liberetur ab hoc affectu, quod ipsi à præpotente Deo obnixè precor.

CON-

CONSULTATIO LXXIX.

De Dyspepsia.

VIr ætatis annorum XXXIII. temperiei biliosæ, post varios errores in rebus nonnaturalibus, incidit in pertinacem Ventriculi dolorem, cui aliquandò succedit vomitus copiosæ materiæ pravo colore infectæ, & una inter alias vice accessit animi deliquium, & lapsus. Purgato corpore, dolor Stomachi adauctus est, cum alvi stypticitate: nunc perdurante affectione auxilium postulat.

Affectio hæc Δυσπεψία à Græcis dicitur, & significat difficultatem concoctionis in ipso Ventriculo, undè *Galenus* tribuit hoc vocabulum depravatæ alimenti coctioni, sive alimentorum in Ventriculo corruptelæ, & est symptoma naturalis actionis depravatæ. Causatur autem cùm alimenta in qualitatem à naturâ alienam commutantur, ob vitium fermenti naturaliter in Ventriculo stabulantis: hic autem morbus, ut ejiciatur, exactâ curatione, & diligentiâ indiget, & maximè, quia affectio præsens altas egit radices; quod si negligatur, poterit in contumaciorem transire morbum, qui remedia etiamsi validiora contemnens in interitum terminabit. Ut curatio verò instituatur primæ viæ leniter erunt purgandæ, fermentum Ventriculi ad naturalem crasim reducendum, & Ventriculus roborandus: Quibus intentionibus ut satisfaciamus, leviora primò sunt adhibenda remedia, quia fortiora potius Ventriculum lædent, ac morbum ipsum irritabunt. Assumere igitur Patiens poterit *Cassiam*, & *Pulpam Tamarindorum* ad leviter alvum movendam, inde acida temperata propinanda erunt, & sequentia laudat *Dolæus*: ℞ *Elixiris Proprietatis Paracelsi*, ʒ. j., *Spiritus Salis dulcis*, *Salis Ammoniaci*, *ana*, ℈ ß. *Misce* Dosis sit gutt. XV. Prosunt etiam *Salia Absinthii*, *Centaurii minoris*, *Specificum Stomachicum Poterii*. *Emulsiones* etiam utiles erunt, sicuti & *species Diamargarit*. Externè inungatur Stomachi regio *Oleo Absinthii*, *Mastic.* ana Q. S., & vespere abluantur pedes aqua calida, in qua bullierint *folia Salicis*, *Malvæ*, *Violarum*, ana, Q. S. De Venæ sectione nihil. Optima obser-

servanda est insuper victus ratio: abstineat Æger ab acidis, à dulcibus, à Piscibus, à Caseo, à Leguminibus, à Nucibus &c. ab Allio, Cepa, & aromatibus. Vinum tenue concedatur, cœna semper sit parca, somno indulgeat, corpus jejuno Ventriculo exerceatur; suadente *Joh. Forti in Consult.* Hilariter tandem vivat cum spe salutis recuperandæ; solitudinem fugiat, & genialem quærat conversationem.

Eventus.

Nonnullis ex præscriptis remediis usurpatis, mutato Cœlo pristinam recuperavit salutem.

CONSULTATIO LXXX.

De Singultu.

AFfectio longinqui temporis, qua Illustris Civis Bergomensis non rarò perturbatur, Singultus est absque febre, ut colligo ex erudita relatione Excellentissimi Dom. Medici sui ordinarii mihi per literas humaniter transmissa.

Hic ergo affectus Λυγμὸς Græcè dicitur, & definitur, motus convulsivus interpolatus Diaphragmatis, trahens in consensum Ventriculum, vicinasque partes: ideò *Dolæus* pro subjecto conjunxit Stomachum secundùm nervos, & suas fibrillas, tunicamque cum Diaphragmate communem; certum enim est inter se invicem compati Septum transversum, & Ventriculum, cùm hic juxtà Stomachum ei alligetur, & hæreat, atque ab eodem extimam tunicam mutuetur: ideòque *VVillisius* tùm Ventriculum, tùm Diaphragma affici in Singultu docuit; immò *Franciscus de le Boë Sylvius* ait, irritationem in Singultu ut plurimùm esse in orificio superiori Ventriculi, ac exindè trahi in consensum Diaphragma: Sic ergo utramque partem affici in tali affectu existimo. In causa assignanda supervacaneum puto, eam ex inanitione, & repletione, ut aiunt multi, desumere; veram enim proximam causam solam vellicationem constituo; halitus enim, & flatus acris ab humoribus in

corpore nostri Patientis existentibus elevatus suis particulis subtilissimis, & acutis feriendo fibras, & Diaphragmatis, & Ventriculi, motum convulsivum, id est, Singultum excitat. Quoad externam causam accusari poterit abusus Aromatum in Ægro nostro, quia uti audio, summoperè delectatur Chocolata, & omnibus piperatis, & acribus, quæ particulis suis irritantibus Singultum de facili excitant. Prognosim verò quod concernit; morbum hunc per se parùm mali portendere assero; si autem frequentior fieret, & febris accederet, tunc esset periculosus ob metum inflammationis; undè *Hippocrates in Coac.* ait: *Si quis in laboriosa febre singultiat, morbo laborat pessimo*: immò dicit *Valesius* se nullum vidisse servatum febre ardente correptum, cui Singultus supervenerit; idemque *Riverius* confirmat. Indicationes autem curativæ in nostro casu erunt, ut particulæ irritantes removeantur, vel saltem obtundantur, sive ad Ventriculum, sive ad Diaphragma illæ pertineant; & postea ut corroborentur partes affectæ, & præsertim fibræ Ventriculi, & Diaphragmatis; quæ ut fiant, quam celerrrimè dare manus oportet tribus Medicinæ Practicæ fontibus, nimirum Pharmaciæ, Chirurgiæ, ac Diætæ, ut sic citò, tutò, & jucundè, quod Medici est opus, Ægrotus noster curetur. Incipiendo igitur à prima, *Pilulas Aloëticas* laudo, ad communes expiandas vias, & particulas in orificio superiore Ventriculi stabulantes abigendas; bibatur ulterius *aqua Menthæ*, & *decoctum Hordei*, cui tantillum *Cinnamomi*, vel *Galangæ* additum sit; Utiles post modum erunt *pulveres Cornu Cervi usti*, *Eboris*, *Crystallus Montana præparata*, *Specificum stomachicum Poterii*, *terra sigillata*, quibus in dies uti poterit juxtà normam, & dosim præscribendam à Medico suo ordinario, cui prudentiæ me remitto: Sequentem bolum à D. *Timæo* olim præscriptum, & à me pluries feliciter usurpatum commendo: ℞ *Theriacæ Andromachi*, ℈. ij. *Ligni Aloës* ℈. j., *Olei Macis*, *gutt.* ij. *Laudani Opiati*, *gr.* j., *Misce fiat bolus*, *& deauretur*. *Tartarum Vitriolatum* cum *vino Absinthii* sumptum laudant nonnulli; sicuti etiam *aquam stillatitiam Nucum viridium cum Raphano in aceto prius maceratarum*, *confectionem Alchermes*, *decoctum Anethi*, *Philonium Romanum*, *syrupum Menthæ*, *Aristolochiam*

chiam rotundam cum aqua potam; *& emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum.* Externè verò existimatur amuletum à multis *Castoreum*, & *Cuminum* linteo inditum, & carpo sinistræ manus alligatum: *Sennertus* laudat Cataplasma ex fermento cum spiritu Vini camphorato, & pipere &c. Aromatica laudat *VValdschmidius in Monit. Medicis*: insuper Theriacam externè satisfacere posse docuêre multi. Ex Chirurgia fricationes, & Cucurbitulæ scarificatæ sumendæ sunt; & si febris acciderit, Phlebotomiâ repetitâ uti etiam bonum erit ad avertendam internam inflammationem Ventriculi, & Diaphragmatis: lotiones pedum utiles erunt, ut & excitatio sternutationis; quippe quæ sistit Singultum, ut sæpè observavi in Praxi facienda. Diæta demum sit moderata, & cibi facilis concoctionis, boni succi, ideòque vitandi erunt saliti, aromatizati, acres, fumo, & sale conditi, præsertim caro suilla: Vinum potens fugiatur, nec nisi aqua temperatum concedatur; Somnus sit moderatus, & decubitus in latera fiat vitato supino situ: motus pariter sit moderatus, & modum non excedat: alvus quotidie respondeat, si fieri possit. Fugiantur denique omnia frigida, acida, flatulenta, & acria; & per consequens repeto quod supra dixi de Vino; vel illud aqua dilutum, & cicuratum solummodò concedatur, vel omninò exulet, nervis enim est inimicum, undè *VValdschmidius in Monit. Medic.* aiebat pro regula esse, Vinum in omnibus morbis nervinis spasmodicis convulsivis non convenire; ideò potus ordinarius esse poterit *decoctum Hordei* cum modico *Cinnamomi*, vel *aqua Nucerina* in qua infusa sit *Salsaparilla* optima minutim incisa.

Eventus.

Aliqua pars prædictorum auxiliorum adhibita fuit, & de raro singultire observatus est Æger; immò mutato aëre, & sequendo usum prædictorum remediorum omninò convaluit.

CONSULTATIO LXXXI.

De Singultu Frequentissimo.

QUod consilium meum tantoperè exoptes, id amoris tui, non meriti mei est pignus; opto quidem ut feliciter pro tua salute, Illustriss. Domine, operam meam locare possim: audio siquidem te à longo tempore Singultibus esse obnoxium, à quibus modò haustu vini, vel aquæ, modò sternutamentis excitatis te liberas; verùm mense currenti frequentior, atque diuturnior factus Singultus te exagitat, ut vix capere possis somnum; quare meam petis audire sententiam, quæ sequens sit.

Manifestè liquet, affectionem istam Singultum esse, notissimum scilicet affectum, λυγμὸς à Græcis dictum, qui nihil aliud est quam motus convulsivus Ventriculi studentis excutere, quod sibi est molestum. Pars autem affecta in hoc morbo est Ventriculus ipse, qui idiopathicè afficitur. Causa immediata est irritamentum factum in fibris Ventriculi, & præcipuè in illis, quæ in orificio superiori ejusdem visceris reperiuntur. Mediata verò causa est materia acris Ventriculi tunicas, & fibras irritans medio suarum particularum irritantium, quæ cuspidibus suis acutis pungunt fibrillas, ex quo convulsivus ille oritur motus, qui formaliter Singultus dicitur. Causæ porrò remotæ, ac antecedentes fortassis fuêre errores in Diæta commissi, quatenus scilicet ex vitio primæ concoctionis aliqua inquinamenta in Ventriculo coacervata sunt, quæ frequenter agitata modo supradicto, singultuosum excitant affectum præsentem; his dictis de causis, reliquum est, ut ad Prognosim gradum faciamus, ut consuetam consultandi methodum observemus. *Hippocrates* igitur, qui & fallere, & falli est nescius, teste *Macrobio in somn. Scipion.* ait, quod si sternutatio superveniat, Æger liberatur à Singultu, quocircà aliquo pulvere sternutatorio cum Tabaco mixto uterer in die, ex cujus per nares assumptione excitata sternutatione, causa Singultûs excutiatur: quod si pertinaciter duraret ista affectio, timendum esset, ne interrumperentur concoctiones, Somni,

Somni, aliæque functiones naturales œconomiæ nostræ animalis, undè facile in Vomitum, Cachexiam, ac internas Ventriculi inflammationes periculosas incideretur, non sine vitæ discrimine. Properandum igitur ad indicationes curativas, ut salus citò haberi possit, quæ meo videri sunt materiam irritantem à Ventriculo expellere, cuspides suarum particularum hebetare, & retundere, ac Ventriculum ipsum corroborare; quæ ut habeantur, ex Pharmaciâ, propono primò leve aliquod lenitivum ad alvum sollicitandam, sicque per has communes vias evacuanda erit materia morbifica; hocque fieri commodè poterit vel per *Cassiæ flores*, vel per uncias tres *Mannæ Calabrensis* electæ in jusculo brevi dissolutæ; inde commendò *Syrupum Menthæ*, *& Citri*, *pulverem Terræ sigillatæ & crystalli Montanæ præparatæ*: Utilis erit *aqua Cordialis Saxoniæ cum Theriaca optima*, *& Specifico stomachico Poterii*; Externè juvabit *Emplastrum de baccis Lauri*, vel sequens Cataplasma; ℞ *Fermenti acerrimi*, ℥. *iij*., *Pulveris Menthæ*, *seminum Cumini*, *Anisi*, *Pulveris Zedoariæ*, *ana*, ʒ. *ij*. Aceti *Q. S. fiat Cataplasma*: Quod si adhuc perseveraret talis affectio ad *Philonium Romanum*, imò ad ipsum *Laudanum Opiatum* ad pondus granorum duorum cum modico *conservæ Violarum* ad conficiendum bolum parvum, recurrerem, quod remedii genus commendant *Joh. Michaël*, *Gregor. Horstius*, *Thom. Burnetus*, & alii plures. Vomitoria laudat *Sylvius de le Boë*; hæc autem ego neque vitupero, neque laudo, & si morbus posset mitius tolli, vomitionem non experirer; alienus enim semper fui in Praxi à remediis inferentibus violentiam visceribus. Ex Chirurgia nihil propono, nisi in casu, quod febris accederet, tunc enim Venam secarem, & clysmata imponerem. Diæta demum moderata instituatur; *Vinum tenue* concedatur; *Carnes Vituli*, aut *Pullorum*, facilis digestionis sint in usu: *Emulsiones*, & quæcumque *hordeacea* commendo ad diluendas, & inviscandas particulas acres, quæ irritando fibras Ventriculi talem affectum excitant. Extemporaneum pro Singultu remedium esse Thoracis compressionem docuit *Joh. Hartmannus in Praxi Chymiat.* Deus autem hæc omnia salutaria reddat.

Eventus.

Multa ex propositis remediis adhibita sunt à Medico Assistente ordinario, juxta suam consuetam diligentiam, tandem que superveniente Diarrhœa Singultus omninò cessavit.

CONSULTATIO LXXXII.

De Nausea, & Vomitu.

NObilissimum Civem Nauseâ, & Vomitu, ac assiduo ciborum fastidio, ut carnium odorem vix ferre possit affici, sine tamen febre, mihi notum facit Excellentissimus Dominus Medicus ordinarius, & meum poscit consilium.

Duo igitur prava sunt symptomata Ventriculi, quæ Civem nostrum afficiunt; primum Nausea est, seu cibi fastidium, quod describi potest per propensionem, vel conatum quendam ad vomitum, irritum, cum anxietate circa præcordia, & oris salivatione: alterum autem est vomitus, qui ἔμετος *Emetos* græcè dicitur, qui est violenta excretio per os proveniens à motu convulsivo Ventriculi. Pars ideò affecta his in morbis est propriè Ventriculus ipse, quatenus hîc primariò læditur; causa immediata est explosio spirituum animalium in fibris tunicarum Ventriculi nunc irritatarum: mediata verò, materies quædam, & vitiosa saburra, cujus particulæ acres suis cuspidibus irritant interiorem Ventriculi tunicam, & exinde vomitum cient. Externæ causæ fuêre errores in vivendi ratione; audio enim Ægrotum nostrum maximos errores in compotationibus commisisse, è quibus vitiatis concoctionibus, talia excrementa collecta in Ventriculo fuêre; quia verò eorum malitia, nondum transiit in massam humorum, hinc est, quod febris adhuc exulat; si diutius verò talis affectio perduret, sanè vitiabitur cruor, & ita febres, aliæque pravæ affectiones insurgent. Ad Prognosim verò quod attinet, affectiones istæ non sunt spernendæ, cùm concoctioni, & nutritioni non parum officiant; ideòque quam citissimè ad curationem est deveniendum, ne morbus validior evadat; adeòque indicationibus occurrendum,

quæ

quæ meo videri ſunt, compeſcere irritamenta, tollere, ac evacuare materias illas peccantes, atque demum Ventriculum ipſum corroborare: Quæ ut fiant ad Practicæ Medicinæ fontes eſt deveniendum, ut citius, quam fieri poſſit, ſanitas Ægro noſtro reſtituatur. Pharmacia igitur primò dabit Medicamentum leniens ad ducendum per alvum illam materiam, hocque eſſe poterit *Pulpa Tamarindorum*, *Caſſia*, aut *Manna*, cum potione non exigua *Seri Vaccini depurati*: poſteà exhiberi poterit *pulvis Salis Abſinthii ad drachm. ſemis* cum cochleare uno ſucci mali limonii: Specificum ſtomachicum *Poterii* utile erit, ſicuti *Diaſcordium Fracaſtorii*, *Cornu Cervi uſtum*, *&* *oculi Cancrorum*, quatenus iſti dulcificant materias illas acres, & ſic ineptas eas reddunt ad feriendas fibras nerveas membranæ interioris Ventriculi: *Elixir proprietatis cum ſyrupo Abſinthii*, *&* *Menthæ* proponit *Clariſſ. Lucas Tozzi in ſua Medicina Practica part.* 2. *Laudanum* etiam *opiatum* ad *grana tria* præſtare multum utilitatis in contumaciſſimis Vomitibus, ait *Riverius*, quod tutò poteſt experiri. Externè proderit *Emplaſtrum de Cruſta Panis* regioni Stomachi apponendum, ſicut pariter *oleum Abſinthii deſtillatum*; Sacculum pariter ſequenti modo parat *Donzellius*, cujus efficaciam non ſemel probatam vidi feliciter in Vomitibus ſedandis. ℞ *Roſarum rubrarum*, *Menthæ*, *Abſinthii*, *ana*, *Man.* j., *Corticis Citri*, ʒ. *iij*, *Corallii rubri*, *Maſticis*, *ana*, ʒ. ij, *Aromatic. Roſat.* ʒ. j. *Miſce* omnia, & confice S. A. Sacculum regioni Ventriculi applicandum. Si hæc autem non proderint, apponatur externè Ventriculo panis toſtus pulvere Caryophyllorum aſperſus, aut vino Cretico, & aceto madefactus. Chirurgia nihil dabit, præterquam quod, ſi perſeverante Vomitu, metus eſſet alicujus inflammationis in Stomacho, tunc Vena erit ſecanda, uti pariter ſi febris ſuperveniret. Diæta demum ſano modo obſervetur; aër ſit temperatus; cibus ſit paucus, boni ſucci, faciliſque digeſtionis: Potus ſit vinum tenue; ſomnus concilietur, ſi abſit; & fugiantur metus majoris morbi; nunquam enim vidi curatos morbos pavore, ac triſtitia. Quæ autem omnia Medici ſui ordinarii prudentiæ ſunt remittenda.

Eventus

Eventus.

Purgato corpore, aliqua ex propositis remediis adhibita fuerunt, & Deo adjuvante Civis Clariss. sanitati fuit restitus brevi novem dierum spatio: nunc sanus vivit.

CONSULTATIO LXXXIII.

De Vomitu Sanguinis.

JUvencula annorum ætatis 24. bonæ temperiei, post iram vehementem diebus canicularibus, repente pallore suffunditur, difficulter respirat, & dolorem gravativum in Ventriculi regione, persentit, post quem sub vesperam die jejunii per os sanguinem purum, grumosum tamen, per vomitum emittit non in modica quantitate; medio noctis vomitus ejusdem cruoris repetit, ad pondus libræ unius; pulsus frequens, & debilis est; extremitates corporis frigent, & Lypothymia afficitur; appetitus omninò dejectus, vires prostratæ, alvus adstricta, Catamenia nulla: Nunc petit auxilium.

Affectio, qua Juvencula nostra afficitur, ut patet ex historia, nihil aliud est, quam cruentus vomitus; malum maximè calamitosum, ut magnus *Hippocrates* indicavit *in Aphor.* 25. *Sect. IV.* decendo: *Sanguinem supra ferri qualiscumque sit, malum &c.* Morbus solutæ unitatis dicitur, quatenus ejicitur per vomitum materia, quæ propriis continetur vasis, ad nutritionem, & genesim spirituum vitalium necessaria; ideòque magnus dici meretur morbus, & maximè quia adjuncta habet prava symptomata, ut sunt Lypothymia, corporis rigores &c. Causæ remotiores possunt esse ira, & menstruorum defectus, unà cum calore caniculari. Subjectum hujus affectus est Ventriculus ipse: Causa verò immediata est apertio vasis sanguiferi, quam immediatè sequitur excretio Sanguinis, cùm enim hic evaserit acrior, & impetu facto ab ira, & Mensium suppressione, vasa Ventriculi dilatavit, oscula aperuit, atque istam affectionem produxit. Ad Prognosim verò quod attinet,

tinet, dicimus morbum præsentem non carere periculo, siquidem nisi talis cesset vomitio, finietur procul dubio unà cum sanguine vita, & maximè quia prava Symptomata accedunt, qualia sunt Lipothymia, rigores, pulsus debilitas, aliaque magni momenti; & nisi cesset talis vomitio, citò Ægra morietur, siquidem diù vitalis Oeconomia statum præsentem sustinere non potest. Tali igitur posito Prognostico ad curationem accedamus. Indicationes igitur curativæ sunt, tollere solutam unitatem, sanguinem ad Uteri partes avocare, eumque corrigere, vires reparare, ipsamque massam cruoris edulcorare: Quibus ut satisfiat, primò è Chirurgia sumenda erit Venæ sectio reiterata in pedibus. Utiles quoque erunt Cucurbitulæ, ac frictiones in partibus inferioribus. Ex Pharmacia sequentia remedia sumi poterunt: ℞ *Aquæ Plantaginis*, *Bursæ Pastoris*, *ana*, *lib.* j. *Tincturæ Coralliorum*, ℥. ij. *pulveris Terræ Sigillatæ*, *Cornu Cervi usti*, *ana*, ʒ. j., *Syrupi Myrtini*, ℥. j. *Misce.* de quo potu sæpè sumat. Utiles erunt *pilulæ Hæmoptoicæ Helvetii*, quibus Ego plurimas sanguinis hæmorrhagias sanatas observavi. Clysteres usurpandi erunt, multum enim præstare in cruento vomitu ait *Clar. Joh. Michaelis in sua Praxi speciali*. Laudandum est *Electuarium Diascordium Fracastorii*, ut & sequens Electuarium tali modo compositum. ℞ *Conservæ Rosarum veteris*, ℥. iij. *pulveris Croci Martis adstringentis*, *Corallii rubri præparati*, *ana*, ʒ. j., *Oculorum Cancri præparatorum*, ℈. ij, *Sanguinis Draconis in lachrymas pulverisati* ʒ. j. *Laudani liquidi Sydenhamii*, ʒ. j., *pulveris Mastichis*, ʒ. ij., *Balsami Peruviani*, ʒ. j., *Syrupi Coralliorum Q. S. Misce fiat Electuarium molle S. A.*, de quo cochlear unum quavis mane jejuno Stomacho assumat. Diæta denique optima servetur, quæ fortè dabit curationi nostræ complementum. Aromata fugiantur; cibi sint boni succi; vinum Santalo medicetur; Gelatinis utatur nostra Patiens; alvum servet solutam. Interim integram valetudinem Patienti precor, quod faxit D. O. M.

Eventus.

Licet non omnia ex propositis supra remediis administrata fuerint, attamen succedente Menstruorum fluxione Juvencula nostra omninò pristinæ sanitati restituta fuit.

CONSULTATIO LXXXIV.

De Cholera.

VIr annorum XL., biliosi temperamenti, ardente Syrio, febri Tertiana correptus, in secunda accessione, tantam fuit passus humoris biliosi malitiam ferocem, ut concitato vomitu, ac frequenti alvi fluxu materiæ biliosæ cum magna virium jactura, summum Ægro periculum impenderet: frigebant extremitates, & pulsus erat minor, ac obscurus. Domestici consilium Medicum plurium Medicorum petiêre; meum verò hoc fuit.

Morbus iste à multis *Biliaris* dicitur, communiter verò *Cholera*, & est acuta passio cum multis vomitibus biliosis, alvique dejectionibus, cum pulsu minore, ac obscuriore. Quia verò à Practicis duplex fit iste morbus, nempe siccus, & humidus; nos in præsenti casu, pro humida Cholera stamus, quæ potest describi, humorum excrementitiorum, Bilis, ac succi Pancreatici, simul peccantium propria acredine, in intestinis tenuibus nimia effervescentia stimulans Ventriculum, ac Intestina convellens, non sine febri, pulsu parvo, summo languore, & periculo. Sedes hujus morbi, sive, ut dicunt, pars affecta est ipse Ventriculus cum Intestinis; hujus affectionis causam, humorem Biliosum dicit *Galenus*. Ego verò acres liquores pravos, sive in Ventriculo genitos ex corruptis alimentis, sive ex adjacentibus visceribus devenientes causam agnosco: qui liquores præternaturales suis particulis acribus vellicando fibras Ventriculi, & Intestinorum, vomitum, alvi fluxum, dolorem, & præcordiorum anxietatem pariunt; affecto enim Pyloro exquisitissimo sensu prædito, miserabiliter Ægrum cruciari jam patet his etiam, qui vix Medicinæ limina salutarunt. Causæ verò remotæ fuêre in nostrò casu, crebræ assumptiones, ut audivi, ciborum pravæ substantiæ, scilicet hortariorum, carnis suillæ salitæ, ac præcisè Peponum sine numero, ac mensura assumptorum. Tanta verò plerumque est istius affectionis sævitia, ut brevi Ægrum possit necare, sive quod magnam hanc evacuationem vires sufferre nequeant, sivè quòd lacessita flaccescant viscera, aut inflamentur,

tur, sive quòd cruor etiam ex illa magna evacuatione dissolutus, simulque infectus exhauriatur, sive quòd relaxatus denique venter nequeat egerere corruptos humores, qui propterea detenti, præcordia inquinent, ac suffocent, sivè demum, ut cum *Sylvio* ait *Tozzius*, quia felleo humore inanito, vitalis cessat fermentatio, undè Mors accedit. Rectè igitur admonuit *Trallianus* in hoc morbo, exiguam, & levem quoque curandi moram pessimam semper fuisse. Cùm igitur in tali affectu cunctatio sit periculosa, quam citissimè, & festinanter erit succurrendum, nempe causæ remotione, vel saltem correctione, mox Ventriculi, Intestinorum, & virium restauratione, quæ potissimæ mihi videntur indicationes. Vocatis ergo in auxilium tribus illustrribus Medicinæ fontibus, scilicet Chirurgia, Pharmacia, & Diæta; à prima sumatur Venæ sectio instituenda in brachio dextro ad uncias sex Sanguinis hauriendas ad arcendam inflammationem: Fricationes insuper instituendæ, & Clysteribus utendum erit ad alvum deonerandam à materia cholerica, & abluenda intestina à particulis irritantibus, quæ vellicabant fibrillas intestinales. Pharmacia verò dabit primò leniens pharmacum, ad subducenda excrementa peccantia, quæ in Ventriculo prava symptomata excitabant; indè convenient *Philonium Romanum*, *Diascordium Fracastorii*, *Theriaca*, *Succus Menthæ*, *Laudanum opiatum*, *Ebur philosophicè præparatum*, *Syrupus Coralliorum*, *pulvis Crystalli Montanæ præparatæ*, *& terra Sigillata*; hæc autem remedia adhiberi debent in sua proportionata dosi, & tempore convenienti, & accommodato juxta prudentem directionem Physici ordinarii cui me remitto. Externè *balsamum* & *Emplastrum stypticum Mynsichti* juvabit; vel sequens Cataplasma regioni Stomachi apponatur. ℞ *Pulveris Menthæ*, ℥.j. *Rosarum rubrarum*, ℥.ß. *pulveris radicis Tormentillæ*, *Bistortæ*, *ana*, ʒ. v. *Masticis*, ʒ. iij. *nucis Moschatæ*, ʒ. ij. *Fermenti acerrimi*, ʒ. iij, *aceti rosati*, *q. s.* pro consistentia Cataplasmatis. Tandem proderit *Oleum recens Amygdalarum dulcium* epotum, hoc enim acredines internas mitigare expertus dico. Diæta demum accedat idonea, & ipsius causæ morbi adversa secundum qualitatem, & quantitatem, qualis jam fuit præscripta à Doctissimo Medico curante, cui prudentiæ in omnibus me remitto.

Eventus.

Proposita auxilia omnia penè fuêre adhibita, neque affectus potuit debellari, sed semper de malò in pejus Æger ruebat; accedente autem febre, omnibusque externis partibus frigefactis, adeò ut Lypiria laborare videretur, die morbi decima sexta vitam cum morte commutavit.

CONSULTATIO LXXXV.

De Lumbricis.

NObilis Puellus ætatis annorum X. albi coloris, fructibus, & dulcibus eduliis ferè quotidie usus, etiam jejuno Stomacho, sæpè ventris doloribus vexabatur, & per alvum vermes excrevit; nunc crebris afficitur tremoribus, ac torminibus in ventre, clamoribus in somno, dentium stridore, fœtenti anhelitu, cibi fastidio, capitis gravitate: quocirca Domestici me in consilium vocant, qui sic respondeo.

Puellus iste, qui sæpe Lumbricis tentatus fuit, etiam modò Vermibus afficitur, qui licet in humano corpore ubique reperiri possint, attamen frequentius in Intestinis ut in præsenti casu, habitare videntur; Græcè ἕλμινθες a Medicis vocatur, & frequentius, ut in casu nostro, puellos afficiunt. Teretes Lumbrici dicuntur isti ad differentiam Ascaridum, Latorum, & Cucurbitinorum, qui alii sunt Vermes humana corpora infestantes. Pars affecta præcipuè est Intestinorum cavitas, in qua hæc grassantur animalia; originem autem suam agnoscunt, non ex putredine corruptorum, ut Galenistæ docebant, non ex seminibus cum fructibus deglutitis, sed ex aliis ejusdem generis vermibus semper in corporibus humanis, tanquam in suo centro morantibus; vera enim genesis Lumbricorum humanorum tradita fuit nuperrimè à *Clarissimo D. Antonio Vallisnerio Patavini Archilycæi ornamento*, ac *Amico meo plurimum honorando* in aureo suo opere de *Vermibus humanis*; cùm enim in fœtibus

fœtibus tùm humanis, tùm ferinis vix in lucem editis reperiantur Lumbrici, hinc est quod nobiscum nascantur oportet: Ex talibus itaque Vermibus in magna copia genitis in nostro puello, quorum copiosam generationem, conspurcamenta primarum viarum præbuêre; quæ ob errores in victu facta sunt, causa istius affectionis orta est. Visâ causâ ad Prognosim gradum faciamus; & primò, hic affectus non est contemnendus, quia perniciosa sæpè infert symptomata, nonnunquam enim ori Ventriculi infixi Vermes Lipothymiam inducere valent, tracto in consensum corde; & plures pueros tali morbo denatos me vidisse recordor: citò ergo medicamina offerre conveniet, ut salus acquiratur: Indicationes igitur Medicæ erunt vermes necare, eos expellere, novam eorum productionem prohibere, ac Ventriculum, & Intestina corroborare; quæ ut fiant, ex Pharmaciâ primò sumatur medicina leniens ad Ventriculum, & Intestina deoneranda ab excrementis, in quibus Lumbrici luxuriant; poterit autem pro hac intentione exhiberi *syrupus Aureus solutivus ad uncias tres*; inde proderunt sequentia. *Semen Santonici Saccharo incrustatum*; *Corallina*; *pulvis corticum Malorum aureorum*, *seminis Tanaceti*; *&* *aqua Graminis* in qua agitatus prius sit Mercurius crudus, quo multi gloriantur se curavisse Lumbricis affectos brevissimo temporis spatio absque alio quocunque remedio: nihilominus tamen, si contumaciter perseveraret affectio, *aqua Theriacalis* utilis erit, sicuti *Mercurius dulcis ad grana VI.* *succus Nasturtii*, *&* *decoctum radicis Bryoniæ*, *elixir Proprietatis Paracelsi*, *Theriaca Andromachi*, *Terra Sigillata Magni Ducis*, *&* *oleum nostrum Contra-pestem* vulgò dictum *del Castagna*, tam intus, quam extrà adhibitum. *Pulverem Chinæ Chinæ* in vino generoso contra Vermes optimum esse pluries observavi, quod etiam innuit *D. Franciscus Torti Archiater Mutinensis Celeberrimus in suo egregio Tractatu de China Chinæ* tanta sui gloria evulgato. *Semina Portulacæ* commendat *Arnald. de Villanova*; narrat enim puerum, dum esset in mortis periculo constitutus propter Lumbricorum multitudinem Semi drachmam pulveris seminum Portulacæ cum lacte assumpsisse, atque Vermes multos emisisse, sicque fuisse liberatum. Externè illiniri poterit Abdominis regio oleo, quod præparant Patavii Monachi Cassinenses ex diversis her-

herbis. Emplaſtrum ſequens pariter apponatur. ℞ *Farinæ Lupini*, *pulveris Centaurii minoris*, *pulveris florum ſtœchados*, *ana*, ℥. ß. *Aloës*, *fellis Tauri*, *ana*, ʒ. *ij*. *Miſce* & cum *oleo Abſinthii q. ſ. fiat emplaſtrum S.* A. *Petroleum* etiam utile erit ſi inungatur. Ex Chirurgia nihil, niſi febris accideret, inflammationis nuntia; ex Vermibus enim magna poteſt haberi in Ventriculo, ac Inteſtinis irritatio, unde faciliter inflammatio ſuccederet: in tali itaque caſu leviter Venam ſecare conveniet, quod tamen prudentiæ Medici ſui ordinarii linquendum puto. Clyſteres locum habebunt frequenter, & præſertim confecti ex lacte Vaccino, & Saccharo rubro S. A. Diæta demum inſpicienda eſt, quæ debet eſſe moderata; *juſcula* ſint *Vituli*, & *Caponum*; *vinum* ſit *tenue*; *ova recentia*, & *carnes pullorum* laudo; *ſuccum Limoniorum*, & *Coriandrum* approbo; nonnulli Medici *Acetum*, *Sal*, *Allium*, *Cepas*, & *Agreſtam* exhibent; verùm iſtis, tanquam irritantibus Vermes ipſos, non uterer, nam majore moleſtia tunc poterunt os Ventriculi, & tunicas Inteſtinales commordere, ac graviter lædere, quod non ſine damno Ægroti accideret; quocircà blandioribus alimentis eſſe procedendum puto, ut ſanitas cum facilitate habeatur. Inter cætera verò Deum ſibi Puellus noſter fautorem habeat, ſic namque citò, tutò, & jucundè valebit, ut ſpero.

Eventus.

Adhibitis multis ex propoſitis remediis Puer viſus eſt aliquantiſper ſublevari, & accedente Diarrhœa, multiſque Vermibus excretis ſanitatem recuperavit, & nunc optima valetudine fruitur.

CON-

CONSULTATIO LXXXVI.

De Dolore Iliaco.

Tracitæ mihi fuere literæ tuæ, Excellentiſſime Vir, quibus refers Magnificum Mercatorem morbo peſſimo laborare, ſcilicet paſſione Iliaca; etenim obſtructione alvi tentatur pertinaci, ita ut nihil excernere poſſit. Dolor adeſt in toto Abdomine, cum anxietate inſigni, ita ut in lecto quieſcere haud poſſit; his Vomitus accedit, & Nauſea; primò quidem aſſumpta rejicit, mox varia in Ventriculo, & Inteſtinis contenta; hic autem meum poſcit conſilium.

Dico igitur affectum hunc Volvulum, ſeu torturam Inteſtinorum dici, vulgò *Miſerere mei* ob inſignem, & acutum dolorem; definiri enim, & deſcribi poteſt, quod ſit acerbiſſimus tenuiorum Inteſtinorum dolor cum alvi ſuppreſſione pertinaci, & fæcum per vomitum ejectione: ſic *Braſavolus* noſter, nunquam vidiſſe Ileum abſque vomitu aſſerit. Diſtinguitur à dolore Colico, eò quia in illo afficiuntur craſſa Inteſtina, in hoc vero tenuia; imò ego exiſtimo, & craſſa, & tenuia Inteſtina ſimul affici in hoc ſævo morbo, quia in omnibus convulſio fit, & per conſequens perverti poteſt periſtalticus eorum motus, ex quo oriatur Ileus oportet. Pars igitur communiter affecta à Medicis dicitur regio inteſtinalis, nimirum Inteſtinum tenue omnium longiſſimum viginti palmos æquans: Ego verò tam tenuia, quam craſſa Inteſtina eſſe dixi ſuprà, quia convulſivus motus æquè competit Inteſtinis craſſis, ac tenuibus. Ad felicem autem hujus morbi curationem, cauſam inquirere neceſſarium eſt, quæ eſt ſolutio continui in inteſtinalibus fibris, producta à particulis acutis irritantibus elevatis à materia aliqua, vel à fæcibus ipſis induratis in Inteſtinis ipſis cum metu inflammationis, atque ſphaceli infallibiliter ſequendi, niſi remediis promptè occurratur: puto autem in noſtro caſu nondum eſſe factam inflammationem, ſed tantùm ipſam in fieri eſſe, eò quod in hiſtoria vix de febre verbum habetur, quæ procul dubio adeſſet, ſi inflammatio in Inteſtinis exiſteret: materia verò peccans

in

in nostro casu, qua particulæ irritantes elevantur, est succus glandularum intestinalium à sua naturali crasi degenerans, & in austerum, & sonticum transiens, undè primò Intestina ipsa constringuntur, postmodum acrior redditus mittit particulas suas in porositates fibrarum, & eas perforando spasmodicum dolorem inducunt: Causa verò antecedens externa forsitan fuit error in victus ratione, si benè hæc examinetur. Prognosim quod attinet; hoc malum horrendum est, & periculo plenum, sic *Hippocrates in Aphor.* 10. *Sect. VII.* ait, *ab Ileo vomitus, aut singultus, aut convulsio, vel delirium, malum.* Pariter malum erit, si ventositas inferiùs per crepitum exiens valde fœteat, teste *Foresto*: Vomitus varius, ac niger, & mali odoris exitialis est; si autem frigidus sudor suboriretur, quod tamen Deus avertat, tunc Mors est in limine. Verùm quia non adhuc inflammatio est facta, uti supra innui, & à sola materiei præternaturalis, ac flatûs causa oritur iste affectus, ideò spes aliqua apparet salutis, nec desperandum, audio enim Mercatorem nastrum esse ætatis consistentis, bonæ temperiei, & de rarò ægrotare. Indicationes ergo in nostro casu erunt succum peccantem tollere, vel saltem corrigere, fæces induratas expellere, flatus discutere, & fibris Intestinorum tonum naturalem restituere, atque Intestina corroborare, quibus satisfaciendis ad tres Medicinæ consuetos Fontes nos convertere oportet, ut salus quam citissimè à Mercatore nostro recuperetur. Ex Chirurgia igitur primò Venæ sectio desumenda erit ob metum inflammationis; fricationes pariter convenient, ut & clysteres ad alvum deonerandam, si enim vomitus cessaret, & alvinæ fæces per anum emitterentur, tunc salus Ægri esset in tutò, & mortis timor evanesceret. Ex Pharmacia plura remedia desumi poterunt, videlicet primò ad acredinem excrementorum intestinalium mitigandam sequens mixtura juvabit; ℞ *Aquæ Plantaginis*, ℥. *ij*, *Fœniculi*, ℥. *j*. *Confectionis de Hyacintho*, *Alchermes*, *ana*, ʒ.ß. *Laudani Opiati*, *gr. iij*. *Syrupi Papaveris albi*, ℥. *j*. *Misce*: detur autem cochleatim, & per intervalla: *Globulos plumbleos* non semel expertus fui, & aliquando felici eventu, hi enim deglutiti solo suo pondere materiam induratam propellunt. Clysteribus injiciendis addenda erit *essentia Castorei*, & post clysteres, suadente *Dolæo*, unciam unam *saponis Veneti in sero*

lactis exhibere conveniet, quo remedio multos ab hoc trifti morbo liberatos vidiffe, ait *citatus Author. Jufculum*, in quo bullierit *Malva*, bibendum laudo; imò cùm pertinacia morbi hæc præfidia eluderet, *argentum vivum* ad plures uncias epotandum exhiberem, ut pondere fuo, & fluiditate Inteftina veluti vincta expediret, ac folveret; Volvulum enim hydrargyro propinato pluries curatum fuiffe, fcribit *Georg. Hieron. VVelfchius in Obferv.* Externè proderunt fequentia: Apponatur facculus ex fuillo ftercore in aceto decocto, vel tale fomentum ventri applicetur; ℞ *Foliorum Malvæ, Althææ, Violarum, ana, manip.j. Linariæ, Florum Chamæmeli, Meliloti, Verbafci, ana, manip. femis, feminum Lini, Anifforum, Anethi, ana, ℥. ij. Mifce decoquantur in lacte, vel fi non adfit lac, in aqua communi* Q. S. fiat S. A. fomentum. Convenit & *decoctum Chamomillæ, Sambuci, Anethi, Malvæ calidè ventri apponendum*: ficuti filamenta lini, aut cannabis cocta fecundum nonnullos juvant, fi tepida ventri applicentur. Diæta denique tenuiffima fit, & quoad cibum, & potum Æger fit valdè continens. Conveniet *cremor hordei, jufcula Caponum, Vituli & fimilia.* Potus fit *aqua Hordei*, & *Emulfiones feminum Peponum*; Somnus concilietur. Quæ dicta fint pro falute noftri honoratiffimi Mercatoris. Faxit Deus &c.

Eventus.

Major pars remediorum propofitorum adhibita fuit omni ftudio, ac diligentia, attamen acceffit febris, & pulfus humilior eft factus, fic pejoris conditionis morbus de die in diem evafus, fyncope affectus, & frigido perfufus fudore decima quarta morbi die interiit Mercator nofter honoratiffimus, non fine confanguineorum lachrymis, atque Amicorum fufpiriis.

CONSULTATIO LXXXVII.

De Dolore Colico.

CIvis Ferrarienſis annorum ætatis 49. in rebus omnibus liberè vivens, non tantùm enim magna in quantitate comedit fructus crudos, gelida, & generoſa potavit vina, immodica Venere etiam eſt uſus, & ſæpè iracundia eſt motus; hinc flatus, atque rugitus ventris cœpêre, & appetentia dejecta eſt; Dolor fortis in Abdomine adeſt cum Lymphæ expuitione frequenti, & alvi ſumma ſtypticitate; creſcit immanis cruciatus cum inflatione, rugitu, ac diſtenſione ventris infimi. Nunc inquietus, & valdè à dolore preſſus opem Medicam poſcit.

Ventris hic ſummus, ac acerbus dolor, propriè Colica vocari debet; Colon enim inteſtinum eſt pars affecta: dicitur à Medicis triſtis ſenſatio Inteſtinorum, & præcipuè *Coli* cum fæcum retentione à continui ſolutione oriunda; & hujus talis eſt atrocitas, ut multi à Colica vexati, ſe ob dolorem confoderint, teſte *Thom. Burneto in Theſ. Med.* Oritur iſte dolor in noſtro caſu non tantùm à materia, ſed à flatu; mucilago enim viſcida, & acida agglutinata in inteſtino Colon inſervit pro materiali cauſa, unà cum flatu, qui diſtendit, & quaſi diſrumpit membranas Inteſtini, undè ſpaſmodicus iſte cruciatus habetur cum rugitu, & inflatione; & talis acutiei eſt iſte affectus, ut *Galenus* aſſeruerit, ipſum pali infixi, vel terebræ perforantis ſpeciem exhibere. Quoad Prognoſim malum hoc eſt periculoſum, & aliquandò lethale, ſic quoſdam Coli dolore vexatos animi deliquio extinctos fuiſſe notavit *Joh. Fortis in Cent. 2. ſuar. Conſult. num. 92.* Inſuper perſeverante Colica, Iliacam paſſionem oriri poſſe timendum; undè ut hanc prævertat implorat à re Medica auxilium. Indicationes igitur curativæ ſunt, removere materiam viſcidam, & acidam, nec non flatuoſitatem ab inteſtino Colo, atque roborare Inteſtina ipſa, immò totum reſtaurare corpus, quod vehementer paſſum eſt in tali affectu. Hæc verò, ut aſſequantur, tres Medicinæ fontes aperire convenit, qui ſunt Chirurgia, Pharmacia, ac Diæta; à pri-

ma

ma igitur ſumi poterit, ſuadente *Galeno*, cucurbitula cum multa flamma Umbilico impoſita, quæ, veluti incantamentum, flatus, & materias diſcutiet, & ſic dolorem momento ſedabit, ſi verò ob pertinaciam doloris timor fieret ne inflammatio in ipſis Inteſtinis accideret, tunc Venæ ſectionem inſtituerem in brachio dextro. Clyſteres bonam præſtabunt operam; ſic autem poterunt parari. ℞ *Decocti Malvæ, florum Chamæmeli, Parietariæ, lib. j. Mellis Roſati ſolutivi, Olei Chamæmeli, ana,* ℥. *iij. Vitelli ovorum, num.* 1. *Miſce, fiat Clyſter*; ſi verò opus fuerit, repetatur. E Pharmacia ſumatur ad evacuandam materiam, & flatus diſcutiendos *Spec. Eleſcoph. ad* ℈. *iiij.*: non improbarem etiam *oleum recens Amygdalarum dulcium* ad alvum humectandam: Uſurpentur etiam opiata, ut *Philonium Romanum, Mithridatium ad* ʒ. ß.; proderit etiam confugere ad *Laudanum Nepenthes Quercetani* ad pondus *gran. ij.* cum modico Sacchari roſati ad bolum parvum efformandum, qui ſumi poterit cum aqua totius Citri, & Cinnamomi. *Pulvis inteſtini Lupi* laudatur à multis tanquam ſpecificum remedium. Externè illita proderunt *olea de Baccis Lauri, Abſinthii,* & *Rutæ*; umbilico apponatur *Zibethum cum oleo nucis moſchatæ.* Facile remedium proponit *Riverius*, quod experiri poterit ſtatim, nempe fruſtum Butyri recentis aſſumptum cum modico vini ſuperbibito. *Sal Gemmæ* à proprietate juvat ſi *Petro Foreſto* credamus. *Pulvis teſticulorum Equi,* & *ſperma ceti* cum juſculo, aut vino ſi ſumantur, prodeſſe poterunt. *Decoctum Veronicæ* à proprietate Colico dolori mederi teſtatur *Joh. Crato*, quod experiri poterit in Clyſteribus. Hìc autem obſervandum cum *VVilliſio* calidiora Epithemata dolores exacerbare multoties, potius quam lenire, quare in his caſibus probari poterunt fotus ex aqua pura frigida, vel ex ſolutionibus nitri, vel ſalis Ammoniaci. Specificum denique *Hartmannus* adhibet, quod non ſemel in praxi facienda expertus ſum Ego, quod tale eſt. ℞ *Spiritus Vini,* ʒ. *j. Spiritus Nitri,* ℈. ß., *aquæ fontis,* ℥. *iij.*, inde benè tectus ad ſudorem ſe componat Æger poſtquam mixturam illam aſſumpſerit. Diæta quoque obſervanda eſt; bibat potius vinum generoſum, quam aquoſum. Deus autem illi præſto ſit.

Eventus.

Fuêre adhibita nonnulla ex propositis remedia, & brevi tempore omninò convaluit; nunc sanus vivit.

CONSULTATIO LXXXVIII.

De Retentione Alvi.

ILlustrem, ac Nobilem Virum Siculum ætatis annorum LI. laborare summâ Alvi suppressione certò jam constat, siquidem, ut colligo ex historia eruditè conscripta, ipse ad multos dies nihil per alvum excernit; impositis clysteribus aliquando Alvi excrementa deponit; sed iterum ad solitam stypticitatem redit; nunc autem meam audire sententiam exoptat.

Magnus ille Medicorum Princeps *Hippocrates in Epidem.* ait, ventris torporem omnium esse confusionem, ex summa namque stypticitate derivare possunt febres ardentes, aliique acuti affectus; quos tamen in hoc nostro casu Deus avertat.

Vir igitur Illustris Alvi suppressione afficitur, quæ nihil aliud est, quam excrementorum Ventris, & præcipuè Intestinorum retentio, cujus causa est inertia bilis ob prædominium succi Pancreatici; illius enim particulæ irritare nequeunt Intestina, & per consequens eorum promovere motum, undè fæces retinentur. Pars affecta est Intestinorum tractus. Prognosim quod concernit; affectum hunc non parvi faciendum puto, sutpote quia ex pertinaci Alvi Retentione multa mala oriri possunt, & in praxi facienda non semel ex ingenti Alvi suppressione fæcibus maximè induratis Iliacos affectus ortos fuisse observavi; ideò citissimè ad curationem festinandum erit, ne forte in nostro Patiente prava succedant symptomata. Indicationes itaque sunt in nostro hoc casu, reducere biliosum liquorem ad pristinum statum, fæces alvinas ab Intestinis removere, irritationem in ipsis promovendo, & demum Intestina ipsa corroborare: Quæ ut celeriter fiant ad tres Medicinæ Practicæ fontes deveniendum, ut citò, tutò, & jucundè salus haberi

haberi possit. Chirurgia igitur parùm remedii dabit, præter Clysteres emollientes, ad sollicitandas fibras intestinales, & diluendas fæces. *S*i autem metus alicujus inflammationis in Intestinis ipsis oriatur, tunc tutò Phlebotomia instituatur in brachio sinistro: præter tamen hæc remedia nihil à Chirurgia: Fons nunc Pharmaceuticus aperiatur. Convenit igitur primò *serum lactis*, quod sua acrimonia irritat, aquositate sua diluit, & humectat: Modus verò præscribendi erit talis. ℞ *Lactis Caprilli, lib. j. fiat præcipitatio cum Tamarindis, colaturæ* ℞ *Libr. ß., adde succorum sequentium cochlearia duo.* ℞ *Succi Cichorei, Endiviæ, Fumariæ; adde parum sacchari fini*, & sumatur horis matutinis quotidiè ad plures dies. Potio nostra Magistralis Solutiva Catholica utilis erit; sicuti frequentem usum sub vesperam commendo *pilularum de Aloë succotrina lota in succo Rosarum.* Sit in usu *Aqua vitæ nostra solutiva*, quam pluries in alvi obstructione feliciter adhibui, cujus descriptio talis est. ℞ *Pulveris Jalappæ electæ*, ℥. j., *Cinnamomi electi*, ʒ. *ij. Corticis Citri, quantum satis, Spiritus Vini rectificati, lib.* 1. *Misce, fiat infusio per tres dies cineribus calidis, inde coletur, & servetur ad usum.* Dosis verò sit *uncia una* pro qualibet vice: *Pulverem Cornachini* laxativum contumacem alvi suppressionem curavisse in quodam Reverendo Sacerdote observavi; pulveris verò formula talis est. ℞ *Pulveris Cremoris Tartari, à* ℈. *j. ad* ℈. *ii. Diagrydii sulphurati, à granis viij. ad xij. Antimonii diaphoretici, grana viij. Misce, Fiat pulvis.* Vinum sequens medicatum purgans, descriptum à *Ferd. Carol. VVeinhart. in Medico officioso* summoperè commendo. ℞ *Foliorum Sennæ*, ℥. *ij., Agarici trochiscati* ℥. ß. *Turbith. optimi pulverizati*, ʒ. *ij. Nucis Moschatæ rasæ.* ʒ. *j., herbæ Betonicæ, Cardui benedicti, Agrimoniæ, Absinthii, Borraginis, Anthos, ana, pug. j.*, incisa omnia excipiantur Sindone *pro lib. iiij. Vini generosi*; cujus quotidie jejuno stomacho sumantur *unciæ quinque.* Vespere poterit etiam sumi cochlear unum *conservæ Rosarum solutivæ.* Diæta denium sit rectè instituta, & aureum illud *Hippocratis* præceptum observetur, *non impleri cibis oportet*; ita enim pauca excrementa producuntur: abstineat ab alimentis duris, & glutinosæ substantiæ, ut caro suilla, carnes annosæ omnes, recenter mactatæ, & volucrum aquatilium, utpotè difficilis concoctionis, atque

distributionis; unde semper difficilior evadet excrementorum exitus. Corporis motus est necessarius, nimia namque quiete de facili remorantur faeces, ideò horis matutinis motus est exercendus. Pro potu *vinum dulce* concedatur; somnus, & vigilia sint moderata. Tandem laeto stet animo Ægrotus noster, moderatum enim gaudium spiritus restaurat, ac alacriores reddit. Pauca haec habebam ad confirmationem eorum, quae ut scio à Clarissimis Viris proposita fuêre in praesenti casu.

Eventus.

Multae materiae auxiliorum propositae adhibitae sunt, & instituta convenienti vivendi ratione, ac aëre mutato, & in Nobilissima Urbe Venetiarum per mensem moram faciendo, tandem quotidiè alvo respondente Vir Illustris sanatus est.

CONSULTATIO LXXXIX.

De Alvi Adstrictione.

VIr Illustris aetatis annorum XLVII. post gravem morbum alvo suppressa afficitur ad plures dies; imò transit integra hebdomada, qua nec semel alvus deoneratur: Nunc auxilium petit.

Contumax haec affectio alvi constipatio vocatur, & oriri forsitan potest in nostro Patiente à deficientia humoris biliosi non fluentis ad Intestina, qui valet ea stimulare, & alvum relaxare: in morbo enim ante habito, ut mihi narratum fuit, per frequentem vomitum, & alvi fluxum magna quantitas humoris biliosi excreta fuit, undè exinanita fellis vesicula non potest ad Intestina demittere particulas illas, quae cuspidibus suis vellicare, ac irritare valeant fibras Intestinorum, ex qua irritatione oritur excrementorum projectio per rectum Intestinum facienda. Curari autem debet ista affectio, humectando non solum Intestinorum fibras, sed eas stimulando, ut faecum habeatur exclusio; sic à Chirurgia nihil nisi Clysteres sumendi erunt: Venae sectio enim in hoc casu

casu inutilis, immò noxia est; relaxatio enim alvi tantùm requiritur, & fæcum eductio, quod Pharmacia præstabit. Assumat igitur Æger *oleum Amygdalarum dulcium recenter expressum* cum Saccharo Q. S. Aliqui conficiunt *oleum ex Amygdalis dulcibus*, & *seminibus quatuor frigidis majoribus*, *ana*, *partes æquales* ex quibus permixtis, atque contusis exprimitur oleum S. A. quo sæpè Æger utatur; & hoc oleum assiduè cochleatim assumptum, alvum lubricam in aliquibus facere notavi. *Urticam tenellam* oleo, & sale coditam alvum laxare ait *Forestus*. Torreatur mica panis, ait *Borellus in obs.* oleo irroretur, & mane deglutiatur, ita alvus solvetur. Multi nudo pede super humo deambulant, & ita ventrem solvunt, & hujus rei historiam refert *Brasavolus* noster *de Med. purg.* ait enim Borsium Ducem Ferrariensem pertinaci alvi retentione laborantem curatum fuisse à *Savonarola* Medico tunc celebri, obambulatione super pavimento marmoreo, aqua frigida madefacto; quo facto alvus est soluta: verùm *Brasavolus* ipse hoc periculosum auxilium vocat, quia tormina potest inducere; ideòque ad alia pharmaceutica auxilia veniendum. *Essentiam salis Tartari cum spiritu vini* extractam, & ad consistentiam redactam ad gutt. VI. in haustulo vini vesperè horis duabus ante cœnam sumendam ad multas vices, bonam, ait *Joh. Harttmannus in sua Praxi.* Ego sequenti Electuario feliciter usus fui in pluribus stypticitate alvi correptis. ℞ *Electuarii de Prunis cum Manna*, *Cassiæ recenter extractæ*, *Electuarii de Succo Rosarum*, *ana*, ℥. vj. *Specierum Diasennæ* ℥. *iij.*, *pulveris Cinnamomi*, ℥. ß. *Misce cum Syrupo Violaceo solutivo Q. S.* fiat Electuarium S. A. de quo assumi debet unum cochleare quovis mane jejuno stomacho. *Pilulas Gellii*, de *Aloë*, & alias hujusmodi pilulas solventes in usu esse apud multos legi. *Prunas Massilienses*, & *Conservam Rosarum solutivam*, & *flores Persicorum* adhibent alii. Ego frequenter utor *Aqua Vitæ* mea solutiva cujus descriptio habetur in *Prodromo Pharmacopœæ Ferrariensis pag.* 181. & in Consultatione præcedenti.

Cæterùm hæc affectio parùm periculi minatur, siquidem apud *Th. Burnetum in Thesaur. suo Pract.* legitur de Fœmina, quæ nisi vigesimâ die alvinas fæces deponebat, & de Sacerdote, qui post vigesi-

gesimum quartum diem alvum exonerabat, nec quidquam incommodi inde sentiebant: ut etiam accidit in Juvene, de quo historiam scripsi Ego in *Miscell. Acad. Curios. ann. 9. Dec. 11. pag. 78.* Decoctum Ceparum commendat *Samuel Ledelius* ad alvum sollicitandam. Quibus omnibus addatur congrua victus ratio à Viro Excellentissimo adstante præscribenda, cujus prudentiæ omnia committo.

CONSULTATIO XC.

De Lienteria.

HOnestissima Fœmina hyemali tempore post varios in vivendi ratione commissos errores à Domesticis observata est male se habere, & sæpius quam par foret alvum deponere; hinc successit contumax alvi fluxus, tribus horis distans à cibo, quandoque ab eo statim, juxtà esculentorum crasim, dejectionesque sæpius noctu, quam diu fiunt absque tamen intestinorum dolore; adsunt murmura in intestinis, & excreta albicant, spumescunt, & fœtent, ac aliquandò alimenta parum mutata permixta habent. Medicum nunc petit auxilium.

Morbus iste lævitas intestinorum dicitur, à multis Cœliaca passio, ab aliis *Lienteria* seu *Leienteria* quæ est species alvi fluxus præter naturam, in quo cruda chylosa, aut etiam planè non chylificata rejiciuntur; unde, *Galeno* teste, Lienteria vocatur celer esculentorum, potulentorumque exitus, quo talia dejiciuntur, qualia ferè fuêre devorata. Circa hujus morbi causam nonnulli imbecillitatem Ventriculi accusant, ita ut coquere, & retinere cibos nequeat, alii à Venis lacteis obstructis pendere autumant; multi glandulas Mesenterii crassiori Chylo turgidas hunc affectum producere dicunt; nec desunt, qui Lienem, Jecur, ac Pancreas, quatenus malè se habentia inculpant; aliique tandem ex intemperie Ventriculi oriri volunt: Verùm Ego dico ex quacumque causa fieri posse hunc affectum, quæ tamen causa pariat cibi indigestionem, aut privatam distributionem confecti chyli. In hac tamen nostra Muliere causam esse cogito laxitatem ejusdem Ventriculi; rectus enim

enim fibrarum tonus amissus est, & dissolvens succus hebescit, Intestina pariter laxa fiunt, flaccescunt venæ lacteæ, & glandulæ Mesenterii, non sine debilitate Bilis Hepaticæ, ac succi Pancreatici, qui humores debitam non peragunt fermentationem, unde Lienteria nascitur. Visâ causâ, ad Prognosim gradum faciamus. Quanti autem periculi sit iste affectus satis liquet ex eo, quod sensim vires deperduntur, & si chronicus hic morbus evadat mortem minabitur; aliquandò in Hydropem transit; si verò acidus ructus superveniat signum erit salutis, docet enim *Hippocrates in aphor.* 1. *Sect.* IV. bonum esse si in lævitatibus Intestinorum ructus acidus superveniat, qui prius non extiterit; indicat enim inchoari ciborum rectam concoctionem, quam à succo acido proficisci tradunt Doctores. Ut autem recta instituatur curatio, examinandæ sunt indicationes, quæ in nostro casu sunt Ventriculum roborare, fermentationem rectam ciborum promovere, acuere succos hebetes, tonum fibris restituere, venis lacteis, ac glandulis, necnon reddere justam suam crasim bili Hepaticæ, ac Pancreatico succo. Ad quæ habenda primò lenitivum aliquod blandum è Pharmacia assumatur ad removendas saburras in Ventriculo morantes, ac fermentum Stomachi conspurcantes, inde aromata omnia laudo, & potissimum subamara ad corroborandas fibras Ventriculi, ac Intestinorum: *Bolus Armena*, *Terra sigillata*, *Cornu Cervi ustum*, *Corallium*, *Theriaca*, & *succus Cydoniorum* optima sunt. *Diascordium Fracastorii* commendatur à *de le Boë Sylvio*: Ego laudo *confectionem Hyacinthinam*, & *Mithridatium*. Quæstionem movent aliqui Practici, an scilicet evacuatio materiæ peccantis in hoc affectu per superiora, an per inferiora conveniat. *Rhases* enim commendat vomitum, *Hippocrates autem in aphor.* 12. *sect. IV.* contrarium docens, ait in ventris lævitatibus hyeme supra purgare malum: Difficultatem autem solvit *Rolfincius* dicendo, quod si materies peccans contineatur in Intestinis, illa per alvum sit evacuanda; quæ verò in Ventriculo, per vomitum; in nostro porrò casu tantummodo leniente uterer medicamine, ut alvus sollicitetur ad saburras contumaces tollendas; ut etiam innui suprà. Usum *lactis* ab alio Medico commendatum non approbo, quia alvum subducit jam fluidam, & ejus vim refrigerantem suspectam esse in hoc

morbo credo. Alterantia semper sint confecta ex *Absinthio*, *Mentha*, & *Pulegio*, istorumque defectu poterunt substitui eorum salia. Externè confert *emplastrum ex Tacamahaca*, *Mastiche*, & *crusta Panis*; advertendum autem, ut ponatur acetum, vel aliquid tenuium partium, ut penetrare faciant adstringentia, & terrea, quæ sibi aditum præcludunt constringendo, & sæpè ventris fluxum augent, quia constipata cute, & partibus superioribus comprimendo expellunt; quam ob causam laudo additionem *Spicæ*, vel *Cinnamomi* in pauca tamen quantitate, ita ut medicamenta crassiora penetrare valeant, & Ventriculum juvent. Ex Chirurgia nihil, si febris absit; quod si calorem febrilem senserit nostra Patiens, tunc Venam secare conveniet. Diæta demum ritè se habeat, & Ægra nostra cibo minimè gravetur, sed pauca exhibeantur, & grata Ventriculo: liquor expressus ex carnibus assis cum aromatibus, & succo Cydoniorum utilis erit. Sanatum se vidisse Lientericum graviter affectum sumpta *Halece* salita aceto inspersa ait *Lucas Tozzi*. Quibus ritè observatis salus erit speranda.

Eventus.

Proposita Medicamenta omni studio, ac diligentia adhibita fuêre, adjuncta idonea vivendi ratione; & intra paucos dies Deo adjuvante Honesta Mulier sanitatem recuperavit: nunc sana vivit.

CONSULTATIO XCI.

De Lienteria.

NEminem vestrum latet, ò Percelebres Medicinæ Doctores, honestissimum hunc Virum, qui ad pristinam sanitatem sibi restituendam hîc nos convocavit, alvi profluvio, quod Lienteria dicitur, laborare, quæ nihil aliud est, quam alvi fluxus præter naturam, in quo cruda, chylosa, imò etiam planè non chylificata rejiciuntur, proveniens tum a fermenti in Ventriculo nimia aciditate, tum a succo Pancreatis vitiato, quæ irritando fibras Ventriculi,

triculi, & Intestinorum alvi excretionem frequentem inducunt, etiamsi ciborum concoctio nondum sit peracta, unde edulia semiconcocta secernuntur, ut in casu nostro. Hujus causa dependet à vitio fermenti acidi Ventriculi, & à succo Pancreatis ad nimiam acredinem exaltato, unà cum imbecilla ejusdem Ventriculi constitutione, & Chyli imperfecta, malaque distributione. Quod ad Prognosim attinet, quia Æger frequenter animo deficit, præsertim dejecturus, ideò periculo prorsus non vacat & quò tardius, eò difficilius sanabitur; & malum certè non contemnendum, quia universo corpori nutrimentum subtrahit; ast cùm in nostro casu simus in Viro quadragenario, forti, & bono temperamento prædito; ideò speranda venit salus, & maximè quia Medicinæ practicæ obtemperantissimus est. Ad corrigenda porrò fermenta supradicta, ac viscera corroboranda; præstabit primò uti *Syrupo Cydoniorum*, *pulvere Coralliorum rubrorum præparatorum*; & externè juvabit ungere Ventriculi regionem *oleo Mastiches*, *Cydoniorum*, & *Nardi*, uti monet *Felix Platerus*. *Pulverem radicis Tormentillæ* commendant nonnulli: frustula *Rhabarbari* masticata non sine fructu expertus vidi. *Terram Catechu*, *Theriacam*, *balsamum Peruvianum*, ut & *Electuarium Diascordium Fracastorii* cum *Dolæo* laudarem, multùm enim levaminis afferre poterunt. Multi *Chocolatam* exhibent, nec Ego eam improbo: *Serum lactis*, & *Emulsiones ex quatuor seminibus frigidis majoribus* juvabunt. Ex Chirurgia nihil desumendum erit. Victus tenuior esse debet, euchymus, nec corruptu facilis; contrarius quippe non modò talem affectionem generabit, sed etiam genitam augebit. Vinum aromaticum non nocebit, moderatè tamen sumptum. Hæc autem breviter de dignotione, prænotione, & curatione præpositæ affectionis lientericæ dicta sint, in confirmationem eorum, quæ tam sapienter ab Excellentissimis Dominis meis exarata fuerunt, quibus me remitto.

CONSULTATIO XCII.

De Diarrhœa.

GRatissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, Excellentissime Vir, & tantùm abest, ut earum afficiar tædio, ut ansam mihi dari cupiam, qua possit tenuitas mea cedere in emolumentum Illustris illius Civis, de cujus morbo meum petis consilium.

Hic enim, ut audio ex humanissima tua epistola, frequentissimo alvi fluxu tentatur, sine febri; excrementa varia sunt, nunquam tamen cruenta; aliquandò adest dolor Ventris, & aliquando dejectiones frequentes quidem sunt, sed tamen sine doloribus, quod autem opem meam poscit est pertinacia hujus affectus; transacti enim sunt plures dies, & tamen sequitur Alvi fluxus.

Manifestissimum est Civem nostrum Diarrhœa affici, quæ alvi fluxus est, distinctus à Dysenteria, & definiri, ac describi potest, quod sit largior, frequens, & diuturna excretio fluidorum, serosorum, & biliosorum excrementorum cum utilibus permixtorum magis vel minùs acrium, undè modò tormina, modò non, absque febre. Hic autem affectus ex erroribus in victu commissis ortum habuit, ut puto ex cibis mali succi largiter ingestis, & faciliter corruptibilibus. Pars affecta est Ventriculus cum Intestinis: At quia magni momenti est in morbum curatione eorum causas cognoscere; ideò nunc causa istius affectionis est indaganda, quæ meo videri oritur à vitiosa succorum pravorum in Ventriculo, ac Intestinorum effervescentia, ratione bilis acrioris, & salinæ, cujus particulæ fibras illorum viscerum stimulant, undè frequens Alvi fluxus habetur; concedere autem nequeo, istos humores acres à Sanguine separari, & per vasa in Intestina, ac Ventriculum præcipitari; quia, si priùs conspurcata esset sanguinea massa, procul dubio febris adesset, qua mediante, veluti certa, & necessaria quadam fermentatione, & effervescentiâ, prava illa materia separaretur, & ad Intestina devolveret. Nunc ad Prognosim accedamus, hanc enim Medicinæ partem Medico esse necessariam *Hippocrates in procœmio Prognosticorum* suorum asserit: Observandum igitur est, an mutatio excre-

excrementorum se vertat in melius, aut in deterius, quod si primum, bonum erit, & salutare; si verò secundum, periculum portendet: Si excreta fuerint alba, spumosa, & graveolentia, tunc morbus esset non contemnendus. De Salute verò sperandum est, tum quia sumus in ætate consistenti, tum quia corpus Patientis sanum est, & viscera vitium non habent. Indicationes porrò curativæ sunt compescere excrementitiorum succorum effervescentiam, omniaque recrementa funditus eradicare, atque Ventriculum, & Intestina tandem corroborare: Quæ ut assequantur, ad Diætam recurrendum, Chirurgiam, atque Pharmaciam. Ut à prima exordiamur; aër sit temperatus; frigidus enim potius Diarrhœam promovet; cibi sint laudabilis succi, & in modica assumantur quantitate semper aromatizati; horaria, acida, & cruda fugiantur: Fungi nocent, undè meritò *Seneca* eos venena voluptuaria vocat. Legumina omnia nocua sunt, sicut pinguia, & dulcia; hæc enim in se acidum habent occultum, & corrosivum, à quo fibræ Intestinorum faciliter irritantur, undè alvi fluxio insequitur. Potus moderatus sit, & vinum generosum concedatur, vel Granatorum, vel Cydoniorum. Somnus concilietur, iste enim omnes evacuationes compescit, præter sudorem; arceantur animi pathemata, & ad hilaritatem potius componat animum Patiens. Ex Chirurgico fonte, nihil nisi fricationes leves dorso faciendæ sumantur. Pharmacia demum totam implebit paginam, ipsa enim in nostro casu claves curationis habet: Sit ergo primus *Syrupus Aureus Rosatus cum Rhabarbaro torrefacto* ad eliminanda excrementa effervescentia in Ventriculo, ac Intestinis, & Diarrhœam excitantia; hoc autem facto proderit usus mixturæ sequentis. ℞ *Diascordii Fracastorii*, ʒ. j. ß., *Confectionis de Hyacintho*, ʒ.j., *Syrupi Myrthini*, ℥. j., *Aquæ Cinnamomi*, ℥. ß. *atque Plantaginis*, ℥. ij. *Misce*, & cochleatim exhibeatur: hinc ad opiata fideliter recurrendum, *verbi gratia ad Philonium Romanum*, ad *Laudanum opiatum*, ad *Mithridatium*, & *Theriacam*: adstringentia juvabunt, ut sunt *Cornu Cervi ustum*, *Terra Sigillata*, *Bolus Armena*, *Corallium rubrum. semina Plantaginis*, *Gummi Arabicum*, *Masticbes*, Sanguis *Draconis in lachryma*, & *balsamum Peruvianum*: *Ceram albam* malo cydonio inditam, simulque excoctam efficacem esse expertus assero: *Tinc-*

tura Martis optima est, ficuti fequens Cataplafma Ventriculi regioni imponendum, ℞ *Emplaftri de Crufta Panis*, ℥. iij. *Fermenti acerrimi*, ℥. j., *pulveris Menthæ*, *Abfinthii*, *ana*, ℈. ij., *Rofarum rubrarum*, ʒ. ß. *corticum Granatorum*, *Balauftiorum*, *ana*, ℈. j. *Mifce*, & *cum aceto rofato fiat S. A. Cataplafma*: Decoctum *Granorum Juniperi* in vino paratum valdè conferre me legiffe recordor apud *Thefaur. Medic. Pract. Thom. Burneti lib.* 4. Plures commendant *cafeum antiquum*. Quibus ritè adhibitis falus erit fperanda, ut ex corde precor.

Eventus.

Auxilia non omnia, quæ in Confilio leguntur, fed ex parte tantum adhibita fuêre, & Patiens Divino favente Numine, poft decimam quintam diem fanitatem recuperavit.

CONSULTATIO. XCIII.

De Dyfenteria.

NUllam ætatem ab ullo morbo liberam ait in *Confil.* 21. *Frideric. Loffius Medicus fua tempeftate præftantiffimus*, fed omnes cujufcumque ætatis mortales morborum tyrannidi æquè fubjectos effe; videmus fiquidem graviffimas affectiones non tantum adultos, fed tenellos etiam infantes crudeliter vexare. Ita accidit nunc in Puero Nobiliffimo hujufce Civitatis honeftiffimæ familiæ ætatis annorum fex, qui tempore æftivo febri primò correptus fuit cum ardentiffima fiti, mox alvi fluxu afficitur cum aliquali dolore; crefcit Diarrhœa, & mutata facie Dyfenteria apparuit; tormina enim adfunt; alvi frequens excretio, cruenta, cum Tenefmo, & virium proftratione. Domeftici auxilium pofcunt, & meum confilium expectant.

Celfus fub *Torminum* nomine hunc morbum accepit, *Galenus* autem Inteftinorum difficultatem dixit. Dyfenteria verò communiter nuncupatur, peffimus fcilicet ille affectus, qui conjunctam habet effentialiter alvi excretionem præternaturalem, frequentem, cruen-

cruentam, interdum aqueam, interdum ſtrigmentoſam, aut purulentam cum dolore, Teneſmo, aliiſque pravis Symptomatibus unà cum febri, cujus ſedes eſt cavitas Inteſtinorum exulceratorum. Iſtius diræ, & atrocis affectionis cauſam eſſe cogito exulcerationem Inteſtinorum, & vaſculorum eorundem corroſionem propter acrimoniam ſanguinis, bilis, pancreatici ſucci, & lymphæ; quo fit, ut etiam febris excitetur: Cauſæ verò remotæ fuerunt cibi pravi & inſoliti, unà cum magno ætatis calore; ex particulis verò acribus aſſiduè irritantibus fibras craſſorum etiam Inteſtinorum Teneſmus oritur tanquam comes inſeparabilis hujus morbi; quo fit, ut Puellus noſter tam crebrò cogatur deſidere, irrito ſæpè conatu. Circa Prognoſim advertendum, quod ſi adſit cibi faſtidium, malum erit indicium, & pejus erit, ſi veluti carunculæ dejiciantur, & excrementa ſint ramentoſa, maximè quia *Hippocrates* in Senibus, & Pueris hunc affectum eſſe magis pernicioſum ait, quam in Hominibus mediæ ætatis: Si ſudores frigidi apparuerint, mors erit timenda, ſicuti ſi ſuperveniat ſingultus, & mentis alienatio; quæ omnia tamen Deus avertat ad Puelli ſalutem. Indicationes ſunt dulcificare humores, ulcerationes Inteſtinorum ſanare, & vaſcula corroſa reparare, nec non fibras inteſtinales, & glandulas corroborare, quæ ut celeriter aſſequantur ad Medicinam Practicam confugiendum eſt quam citiſſimè, ut ſalus, ſi fieri poſſit, habeatur. A Pharmacia igitur inchoando; alvi fluxum ſtatim non eſſe inhibendum, & ſiſtendum aſſero, ne fortè in pejus ruat Æger: *Tamarindis* ergo cum *Rhabarbaro* torrefacto primò utendum, & clyſteribus ex lacte Vaccino paratis frequenter Inteſtina laventur, ſic enim temperabitur humorum acredo in ipſis Inteſtinis, unde cauciatus fient minores; poſtea *Laudanum liquidum Sydenhamii* propinetur, unà cum *pulveribus Margaritarum præparatarum*, *radicis Contrayervæ*, *Terræ Sigillatæ*, *Cryſtalli Montanæ præparatæ*, *&* *Cornu Cervi uſti*; Emulſio ſequens utilis erit, ℞. *Seminum quatuor frigidorum Majorum, ana*, ʒ. *ij*. *Papaveris albi*, ʒ. *iij*. *Plantaginis* ʒ. *j*. *Amygdalarum dulcium* ʒ. *ij*. *aquæ Plantaginis*, *lib*. *i*. *Miſce fiat S. A. Emulſio*; *cui adde pulveris Terræ Sigillatæ*, *Cornu Cervi uſti*, *ana*, ℈. *ij*. *Aquæ Cinnamomi*, ℥. *j*. *Julep. Gemm. parùm*; *Miſce*, pro aliquot vici-

vicibus. *Tincturam* Catechu laudat *Dolæus*; & radicem *Ypecacuanha* dictam, proponunt alii; verùm quia sumus in Puello, hoc remedium, nisi in modica dosi exhiberem, quia sæpe vomitum movet acerbum. Quod si urgeat semper magis Tenesmus, fiat suffimentum de Verbasco juxtà descriptionem *Dolæi.* Proderit quoque unguentum ex Butyro non salito cum Alcohol lapidis scissilis, quo pars Recti intestini Puello nostro illinatur, atque sæpè foveatur calido lacte Vaccino. Ex Chirurgia modicum Sanguinis hauriatur à Vena Salvatella manus dextræ; præter hoc autem nihil. Diæta demum nunc visitanda, quamobrem aër cubiculi primò sit ~~moderatus,~~ nec enim debet esse nimis frigidus, nec nimis calidus, uterque enim nocet; imò cubiculi aër debet purgari: Cibus rectè instituatur, & esse poterit *Ptisana Hordei*, *Ova*, *Oryza*, *caro Vitulina*; Potus sit *aqua Hordei Chalybeata*, in qua semper stet infusum *Cornu Cervi raspatum*; fugiendum est Vinum, ab hoc enim majores fierent fermentationes, & augerentur effervescentiæ. Observandum tamen cum *VValdschmidio* in hoc morbo multum, non multa, à Medico esse præscribenda. Quæ omnia, ut sint proficua Puello nostro Dysenterico Deum tanquam supremum Medicum precor.

Eventus.

Ferè omnia proposita auxilia fuerunt adhibita neque morbus potuit debellari, imò crescentibus Symptomatibus pravis, id est Singultu, & Convulsione, atque pertinaciter durante alvi fluxu cruento, sudore frigido accedente, die morbi decima octava Puer miserabiliter periit, non sine Parentum lachrymis, & universo Familiæ dolore.

CONSULTATIO XCIV.

De Fuxu Hepatico.

PErgratæ mihi fuerunt literæ tuæ, *Excellentissime Domine*, ac tantùm abest, ut earum afficiar tædio, quin potius ansam dari mihi cupio, quo possit, tenuis licet, opera mea cedere in tuum emolumentum, si fieri possit, uberrimum. Audio igitur te meum petere consilium super casu sequenti.

Reverendus Religiosus temperamenti sanguinei, boni corporis habitûs, ætatis annorum 47. vernali tempore, post æquinoctium variis commissis in victu erroribus, sæva animi pathemata passus est, & præsertim forti agitatus fuit bile, & iracundia vexatus, de repente incidit in febrem cum dolore in regione hypochondriorum dextrâ valdè acuto, cui accessit nausea, & summa virium debilitas cum alvi fluxu primò bilioso, mox liquido dilutè rubro instar loturæ carnis: ope remediorum febris mitigata est, & cætera symptomata penè cessaverunt, præter tamen alvi fluxum ferè saniosum, & sanguinolentum, qualis appareret aqua, in qua nuper mactata caro abluta esset; nunc vigesimum enumerat diem Reverendus Ægrotans, & Medicam flagitat opem.

Hanc affectionem esse Hepaticum Fluxum asserere auderem licet dubitent plures Doctores, talem dari morbum & *Sylvius* præcisè ait, se nunquam talem affectum vidisse; attamen non semel in praxi Medica facienda, & præsertim in Xenodochio S. Mariæ Novellæ Ferrariæ, meæ curæ commisso, talem curavi passionem; idcircò quid de hoc Ægro sentio candidè exponam; Fluxus igitur iste Hepaticus nuncupatur, & est dejectio indolens humoris cruenti ichorosi, & fœtidi ab Hepatis vitio ortum habens: Pars autem affecta primò est Jecur, indè Intestina ipsa: Causa proxima in ipso Hepate perquirenda est; aluit verò Hepar Sanguis arteriosus, qui per arteriæ Cœliacæ ramum dextrum affluit, aliunde autem uti Venæ Portarum surculi concava Jecoris irrigent, ita Venæ Cavæ radices ejus concava perreptant; accedunt insuper animales spiritus,

quos per nervulos singulares à plexu costalium accipit illud viscus. Cruor ergo hîc filtratur, & transcolatur ad Cavæ truncum ascendentem. Bilis etiam ab Hepate derivat in Duodenum, & Lymphæ receptaculum commune huc confluit. Verosimile igitur est vasa omnia in Jecore relaxari, ut & glandulas Intestinorum, & vasa lymphatica, quæ extillant lympham non bene à Sanguine secretam, adeòque rubore suffusam in cavitatem Intestinorum; insuper per arterias Cœliacas, è quibus Splenicæ, & Mesentericæ deducuntur, Sanguis ipse multa lympha saturatus in crassa Intestina defertur, qui mox per alvum exiens carnium loturam æmulatur: Causæ autem remotæ fuêre animi gravia pathemata, & errores in victûs ratione; ista enim disponunt humores nostri humani corporis ad vitiosam crasim, unde effœtus redditus, & suo glutine orbatus cruor, similia, & graviora mala producit. Prognosim nunc, id est Morbi exitum, adeamus; hæc enim pars Consultationis, est illa, quam magis optant Domestici, Ægrorumque Amici, optantes ferè semper exitum fortunatum; quæ tamen pars videtur Medico difficilior, utpotè super rem venturam versans, de futuro enim non datur veritas determinata; attamen modò aliquid de morbi eventu asserere convenit, ut plena sit Consultationis pagina: non illicò igitur de salute erit desperandum, maximè si citò curationem admoveamus; periculo autem non caret hic morbus cùm pars affecta sit princeps; & cùm neglectus fuerit iste affectus, de facili potest transire in Hydropem, & Cachexiam &c. quod tamen Deus avertat. Quocirca Jecoris Venarum obstructiones tollendæ sunt, glandulæ, vasa lymphatica accommodanda; Hepatis robur restituendus: humores ad debitam crasim reducendi, & concoctiones juvandæ: quæ ut habeantur; conveniet primò medicamen, quod habeat vim aperiendi non sine modica adstrictione, ut est *conserva Rosarum antiquarum cum corallio rubro præparato & Cornu Cervi usto*; *Species Diarrhodon Abbatis*, *Elixir Proprietatis Paracelsi*, *succus Absinthii*, & *Aloes* utiliter adhiberi poterunt: *Hepar Lupi* aliqui Medici extollunt, illudque præparatum exhibent: Aromata, quocunque modo exhibeantur, utilia erunt, ut *Cinnamomum*, *Galanga*, *Piper & similia*. *Vinum Absinthii* exhibeatur unà cum *Electuario è baccis Juniperi*. Diuretica, & sudorifica, quæ alkali pluri-

plurimo constant, optimi erunt usus; Narcotica, si fuerint moderata, & mixta roborantibus, juvabunt; sicuti nocebunt cathartica valentiora, à quibus ferè semper abstinerem; potest tamen dari semidrachma *Rhei pulverisati* in modum pilulæ cum *Syrupo de Rosis siccis.* Externè porrò ad Hepatis regionem, & Intestinorum applicatum proderit sequens linimentum: ℞ *Olei Absinthii, Cydoniorum, Amygdalarum amararum, ana,* ℥. *j.* ß.; *florum Chamæmeli, summitatum Absinthii, Agrimoniæ, ana, pug. j. Masticis, Nucis Moschatæ, Caryophyllorum, ana,* ʒ. *j.*; *aquæ Absinthii, Aceti, ana, Q. S. fiat decoctio, & coletur pro linimento*: si autem timeatur de Jecoris inflammatione, tunc instituenda erit Venæ sectio, habito tamen respectu ad vires Ægroti, si enim nimis debilis foret, omittenda. Omnibus istis addatur congrua victus ratio; parcius enim, sed optimis alimentis vescatur, & moderatè bibat; *aqua Nucerina* optima erit, quatenus quodammodo adstringens: Quæ omnia sint à me scripta ad confirmationem eorum, quæ ab aliis Viris doctissimis tum administrata fuerunt, tum administranda in posterum erunt pro Patientis nostri salute. Faxit Deus &c.

Eventus.

Plurima ex præscriptis remediis adhibita sunt, & tamen Rever. Religiosus semper in pejus ruebat; alius Medicus Decoctum Ligni Guaiaci, & Salsæparillæ exhibuit, sed incassum; Cachecticus enim factus, & postmodum Hydropicus, post duos menses vitam cum morte commutavit.

CONSULTATIO XCV.

De Tenesmo.

Ex nimia antecedente comestione fructuum, & nimia incalescentiâ, incidit primò in turpem Diarrhœam, inde in Tenesmum Nobilis Juvenis ætatis annorum XXVIII. qui ut à tali liberetur molestia nunc auxilium Medicum postulat.

Eſt autem Teneſmus, ſive ut alii legunt Teineſmos, nihil aliud, quam aſſiduum ferè per alvum excernendi deſiderium urgens, cum dolore præſertim in extrema Ani parte, cum pauca excretione mucoſa, ſubcruenta; cujus immediata cauſa ſunt reliquiæ acrium vitioſarum portionum intra Inteſtinum Rectum, & ad Sphincterem inhærentes, & exulcerantes; & iſtæ productæ fuerunt à Diarrhœâ tranſactâ non omninò expurgatâ. Cauſa verò remota fuit calor nimius, ſicut fructuum nimia comeſtio: ex corruptione enim talium alimentorum vitioſi acres ſucci geniti ſunt, qui ad Inteſtina præcipitati Diarrhœam produxêre; inde adhærentes tunicis Inteſtini Recti, Teneſmum excitare valuerunt: Natura ſiquidem videtur ſuperiora Inteſtina in Inteſtinum Rectum exonerare, quod ob ſpirituum inopiam, & tonum labefactatum, illud, quod moleſtum eſt, foras eliminare nequit, undè irritatio ſequitur, & Teneſmus inducitur, qui Recti Inteſtini Dyſenteria dicitur à *Joh. Forti in Conſ. Cent. II.* Quoad Prognoſim, *Hippocrates* lethalem non eſſe ait, & *Celſus* ſemper hunc affectum parvi fecit: attamen citò curandus, nec diutius eſt negligendus, quia poterit in Fiſtulam incurabilem terminare, vel ſaltem fibris corroſis in involuntariam fæcum dejectionem degenerare. Detergere ergo oportet, & eliminare mucoſas illas acres materias inhærentes Recto Inteſtino, dolores mulcere, ac Inteſtinum ipſum roborare. Quæ ut aſſequantur, devenire opus erit ad Chirurgiam, Pharmaciam, & Diætam. Et ut à prima exordiar, utilem judico aperire Venam brachii dextri ad minuendum calorem, & impediendam inflammationem, quæ ex particulis acribus poſſet excitari in Inteſtino Recto, licèt *Galenus* in cura hujus affectus nullam mentionem fecerit de Sanguinis miſſione; quia inquit *Lælius à Fonte*, argumentum à parte negativa deſumptum nihil concludit; nec obſtat pariter, quod fluente alvo Vena non ſit ſecanda, quia tunc intelligitur cùm alvus vehementer fluit, non quando adeſt vehemens ſtimulus, & parva excretio, ut in Teneſmo. Certum tamen eſt, majora remedia deſumi à Pharmacia: & primò exhibeantur *Tamarindi cum aqua Tetucciana ad Dies quatuor primo ad lib. V., ſecundo ad VI. tertio ad VII., & quarto ad VIII.*, quo remedio feliciter uſus fuit *Joh. Fortis in Conſult.* *Succus* depuratus *Cichorei* ad plures

dies

dies utilis erit: injiciatur in anum *ſuccus Plantaginis* cum decoctione *Tapſi barbati* in vino facta. Fomentum ex decoctione *Verbaſci*, & *Plantaginis* commendant aliqui; ſicut *aquam fabrorum*. Analeptica verò ſunt præſcribenda, quia creſcentibus viribus deſiderium cacandi decreſcit, & advertatur, quod omnia illa externa, quæ Ano induntur, plus irritant, ut teſtatur *VValdſchmidius in ſuis Monit. Med.* Ideòque accedat idonea vivendi ratio, morbo, & ejus cauſæ adverſa præſcribenda à Doctiſſ. Curante.

Eventus.

Penè omnia propoſita auxilia adhibita fuêre, & vigeſima die Æger perfectè ſaluti fuit reſtitutus.

CONSULTATIO XCVI.

De Ani Prolapſu.

PUellus annorum ætatis quatuor, poſt multum eſum Uvarum recentium, incidit in Diarrhœam, indè in Teneſmum, mox in Ani procidentiam pertinacem; terminatâ enim Diarrhœâ, & Teneſmo, adhuc prolapſus Ani perdurat; quæ affectio nihil aliud eſt, quàm extremæ partis Inteſtini recti foras facta prominentia, aut prolapſus unà cum muſculo ſphinctere, qui eſt morbus in ſitu, quia Inteſtinum rectum, quod deberet intùs latere, foras progreditur. Iſtius affectus cauſa in hoc Infante fuit Diarrhœa, & Teneſmus; irritatis enim, & relaxatis fibris, Ani prolapſus factus eſt; malum, quod præſertim accidit pueris, ut notat *Galenus 9. ſecund. Loc. & Mercurialis lib. 1. de Morb. Puer. Cap. X.* Locus affectus eſt muſculus ille factus à natura ad Inteſtinum rectum retinendum. Bonum autem pro hoc Puello eſt, inteſtinum non eſſe inflammatum, & quia recens eſt hic prolapſus, ideoque facilis curationis, ut notavit *Avicenna cum Mercuriali.* Indicatio curativa conſiſtit in reductione Inteſtini ad proprium locum, & in retentione, ne rurſus cadat: quod aſſequi poteſt fovendo primò Inteſtinum prolap-

ſum *decocto Malvæ* adjecto *butyro*, inde *vino calido generoſo rubro*, & *chalybeato*. Aliqui laudant decoctionem *radicis Prunellæ ſylveſtris in aqua*. Repoſitione autem facta, adſtringentibus eſt utendum, ne iterùm recidat; & poterit ſequens adhiberi remedium præſcriptum à Clariſſimo *Ersfeld* in ſuo *lib. de morb. infant. cap.* 62. ℞ *Roſarum rubrarum*, *Balauſtiorum*, *nucis Cupreſſi*, *corticis Granatorum*, *ana*, ℥. ß. *Sumach. Thuris*, *Maſtiches*, *ana*, ʒ. ij. coquantur in vino auſtero, & ſpongia madida anus ſubcalidè foveatur, & abſoluta fomentatione ſequens pulvis goſſypio exceptus ano imponatur. ℞ *Florum Roſarum rubrarum*, *Balauſtiorum*, *ana*, ʒ. ß. *Thuris*, *Maſtiches*, *Myrrhæ*, *ana*, ℈. *i*. *M*. fiat pulvis, vel ex tali pulvere fiat ſuffitus. Proderunt etiam aquæ chalybeatæ, ut illa fabrorum in quibus bullita ſint *folia quercus*, *plantaginis*, *burſæ paſtorum*, *conſolidæ*, *balauſtiorum*, *millefolii* & *flores acaciæ*. Laudantur etiam fumus *Geniſtæ* cumbuſtæ, ſi ano excipiatur, *crocus Martis adſtringens*, *Cornu Cervi uſtum*, *plumbum uſtum*: ſunt qui oſſi ſacro imponunt *Emplaſtrum Sagapeni* & *Opoponacis*: decoctum *radicis prunellæ ſylveſtris* in aqua exhibet *Burnetus*. Pulverem *ſcarabæi* in ſtercore equino nati commendat in ſua Praxi *Hartmannus*: & alii *ſanguinem Draconis in lachrymis*, *Terram ſigillatam Magni Ducis*, *Corallium rubrum præparatum*, ac *terram nucerinam*. Si autem timor inflammationis accidat, tunc Venæ ſectione in brachio utendum. Curandum eſt, ut Puer dormiat ſupinus, & cruribus, ac coxis elevatis. Cibi ſint ſicci, & abſtinendum à fructibus, & herbis, & ab omnibus alvum ſolventibus, quapropter ſolutiva purgatio minimè convenit: In omnibus porrò remediis faciendis, obtemperet Puer Medico aſſiſtenti, cujus prudentiæ cuncta à me ſuperiùs præſcripta committo.

Eventus.

Pluribus ex remediis præſcriptis lege Artis adhibitis, brevi temporis intervallo Puellus ſaluti fuit reſtitutus, nec amplius procidentiam Inteſtini recti paſſus.

CON-

CONSULTATIO XCVII.

De Fluxu Hæmorrhoïdum.

TAmetsi hoc tempore negotiis variis implicitus sim, nihilominus tibi, Vir Excellentiss. quem magno prosequor amore, satisfacere brevi consultatione decrevi: Quocirca quid de Hæmorrhoïdali fluxu Reverendi Sacerdotis Amici tui ætatis annorum LV. sentiam, & quæ remedia præscriberem, exarare decerno.

Manifestò igitur patet hic morbus, & ex erudita tua epistola colligitur, Ægrum nostrum vexari Hæmorrhoïdum fluxu, singulis enim diebus libram modò minorem, modò majorem sanguinis profundit, non sine magno virium detrimento. Pars affecta ex se jam liquet, Hæmorrhoidales quippe Venæ locus morbi sunt. Causa verò immediata est anastomosis istorum vasorum, quatenus aperta liberum dant exitum cruori, qui cùm sit serosior, & acris, irritando oscula vasorum Hæmorrhoïdalium aperturam eorum inducit, quæ licet tenuis sit, attamen, quia subtilis, ac serosior sanguis existit, foras emittitur non sine patientis incommodo ac salutis detrimento. Pars affecta per se jam liquet, est enim massa cruoris, & vasa Hæmorrhoïdalia. Indicationes sunt incrassare, ac dulcificare cruorem, necnon claudere orificia vasorum dictorum, atque oscula ipsa corroborare. Antequam verò remedia proponam aliquid circa Prognosim dicam; timendum itaque, si morbus iste diu perseveret, ne Ægrotus incidat in Tabem, aut Hydropem, *Hippocrates* enim tale infortunium prædicit; & licet ipse Magister doceat, Fluxum Hæmorrhoïdum à multis morbis liberare, id tamen intelligi debet, si morbis illis superveniat, & juxtà naturæ limites procedat; cùm verò neque morbis supervenit, imò ipse Fluxus Hæmorrhoïdalis morbus evadit, tunc timendum, ne in Hydropem transeat, ut pluries observavi, & præsertim in Excellentiss. nostro Medico *Hippolito à Monetis*, qui post longum, atque pertinacem Hæmorrhoïdalem Fluxum, tandem in malum corporis habitum, & exinde in Hydropem incidit, à

quo

quo morbo necatus eſt. Ne igitur aliquid majoris momenti noſtro Ægroto accidat, opportunè occurrendum erit, ut ſalus habeatur; quapropter ſuaderem, aperiri Venam brachii dextri ad uncias ſex ſanguinis educendas revulſionis gratia: Cucurbitulas Hypochondriis applicatas laudat *Joh. Fortis*; & lotiones manuum frequentes aqua frigida utiles erunt. Præſter iſta à Chirurgico fonte nihil. Pharmacia dabit primò medicamen lenitivum ad communes expiandas vias, puta *oleum Amygdalarum dulcium*, vel *Syrupum Roſatum Auratum ſolutivum*, vel *Flores Caſſiæ recentis*, inde *tria ſemina Genistæ* quotidie mane ſumenda ſuaſu *Reiner. Solenandri. Succum Urticæ* commendo, ſicuti *pulverem Corallii rubri præparati*, *Terræ ſigillatæ*, *Boli Armenæ Orientalis*, ac *pilulas Helvetii* contra quoſlibet ſanguinis fluxus: optimus etiam erit *opii uſti* uſus, & *pulveris Bufonis combuſti* ſuper Hæmorrhoïdas impoſiti; ſequens linimentum juvabit: ℞ *Pulveris radicis Scrophulariæ* ℥.j.ß. *olei Linariæ*, & *ceræ*, *Q. S. fiat* S. A. *linimentum*. Si hoc non proderit cataplaſma ſequens admoveatur partibus affectis: ℞ *Boli Armenæ*, *Aloes*, *Maſtiches*, *Thuris*, *ſanguinis Draconis*, *ana*, ℥. ß. *Myrobalanorum Indorum*, & *Gallarum*, *ana*, ℥. *j. ſubigantur cum albumine ovi*, & *ſucco Plantaginis*, *ac fiat S. A. Cataplaſma*. A Proprietate quadam, *cingulum ex foliis* recentibus *Hellebori nigri* nudo corpori circumdatum plurimum valere tradidit *Hartmannus in Prax*. quod remedii genus feliciter expertam ſe fuiſſe mihi faſſa eſt Honeſta quædam Matrona Ferrarienſis. *Pinguedo Anguillæ* commendatur à multis, & ab aliis *tela Aranei*, *Pulvis pilorum Leporis*, atque Fungus, qui *crepitus Lupi* nominatur; verùm quia in uno ſubjecto optimum eſt unum remedium, quod in alio corpore alterius Ægroti nil valet, imò nocet; ideò multa propoſui, ut non juvante uno, ad aliud tendamus; à juvantibus enim, & lædentibus deſumuntur indicationes. Diæta demum obſervetur accuratè, idcircò Patiens caveat ab aëre frigidiore, alatur ptiſana, probis carnibus, & ovis recentibus; bibat de vino ſequenti: ℞ *Raſuræ Lentiſci*, ℥.*ij. infunde in lib. XII. vini generoſi Ferrarienſis in loco tepido per horas* 24. *inde coletur*, & *ſervetur ad uſum*; poſtea in omnibus aliis rebus nonnaturalibus mediocritatem ſervet, & Deus Optimus Maximus illi præſto ſit.

Eventus

Eventus.

Fuit secta Vena, & multa ex propositis remediis adhibita magnam utilitatem attulerunt, & post dies 17. perfectè convaluit.

CONSULTATIO XCVIII.

De Hæmorrhoïdum Fluxu.

PErillustris Civis affectio, ut, ex his quæ retulit Dominatio tua, clarè patet, est fluxio Sanguinis præternaturalis ex Hæmorrhoïdibus; cruoris enim fit diuturna profusio, & maximè in egerendi conatu; cui accedit virium prostratio, & malus corporis habitus. Ex quibus colligitur Virum Illustrem Fluxu Hæmorrhoïdali laborare, ut signa manifestant sequentia, nimirum Sanguinis cum fæcibus, vel ante, vel post excretionem earum, exitus; virium lapsus, crurum languor, cachecticus Corporis color inclinans ad subviridem colorem, quæ omnia sunt signa propria Hæmorrhoïdalis Fluxionis, ut præcisè monet *Joh. Christ. Frommannus in suo Tractatu de Hæmorrhoidibus.* Cùm igitur Sanguis nimia serositate scateat, atque, ut ita dicam, aquosus, & lymphaticus factus sit, hinc evenit, quod per anastomoses Venarum Hæmorrhoïdalium exeat, sicque hanc excitet affectionem. Licet autem aliqui putent fluxionem Hæmorrhoïdalem à multis morbis immunes nos facere, tamen Ego morbum esse periculosum assero, utpote qui si pertinaciter vexet, in Cachexiam, ac Hydropem degenerare potest; unde mors certa, quemadmodùm observavi pluries accidisse in praxi facienda. Verùm quia sumus in consistente ætate, & vires Ægri sunt validæ, ideò de salute non desperandum, imò, quantò citius possit, curatio erit instituenda, ne fluxus iste Hæmorrhoïdalis confirmetur. Primò igitur ad communem corporis expiationem, purgatio levis est instituenda, vel *potione ex Manna clarificata*, vel *Syrupo Aureo Solutivo Rosato.* Alterantia erunt *juscula Pulli*, in quibus bullierint *folia Cichorei, Beto-*

nicæ, & *Plantaginis*, addito *pulvere Cornu Cervi usti ad* ʒ.*j*. Ex Pharmaceutico fonte pariter desumenda erunt adstringentia, & specifica remedia ab Auctoribus Medicinæ proposita, & præcipuè *pulvis Croci Martis adstringentis*, *Terræ sigillatæ Magni Ducis*, *Corallii rubri*; *Succus Urticæ urentis*, *Succus Plantaginis*, *cortices Pomorum Granatorum*, *semina Genistæ* commendata à *Reinero Solenandro in suis Consiliis Sect*. 4. & *Burneto lib*. 8. Infra diem uti poterit decoctione sequenti, id est, ℞ *Decocti radicis Consolidæ*, *Bistortæ*, *Tormentillæ*, *Scrophulariæ*, *cui adde modicum Diascordii Fracastorii*, *parùm Camphoræ*, & *syrupum Coralliorum*. Ante cibum per horam sequentem pulverem exhibuit non sine fructu D. *Pompeius Sacchus Archiater Parmensis*: ℞ *Terræ Sigillatæ*, ℈.ß. *Corallii præparati*, ℈. *j*. *lapid. Hæmatidis præparati*, ʒ. ß. *misce* & assumatur cum *aqua Plantaginis*, & *Portulacæ*. Fiat fotus cum vino adstringenti, in quo ebullierint *folia Tapsi barbati*, *Myrthi*, *Sumach.*, *Balaustia*, & *radices Scrophulariæ*, & *Consolidæ contusæ*. Suffumigium ex *Sulphure*, *Masticе*, & *Rosis rubris* juvare poterit, vel saltem non nocere. *Philonium Persicum* assumptum cum *succo Plantaginis* commendat *Donzellus in Theat. Pharmaceutico*. Ex Chirurgico fonte Venæ Sectio etiam repetita juvabit ex utroque brachio. Injectiones per syringam in anum fieri possunt ex *succo Plantaginis*, & modico *pilularum Helvetii* ad fluxum Sanguinis cohibendum, vel *aqua ferrata*. His omnibus accedat bona victus ratio, & vinum sit album, ac tenue; juscula sint gelatinosa ad incrassandum cruorem. Hæc est mea sententia, quam libenter submitto Dominationis tuæ Excellentissimæ judicio.

CONSULTATIO XCIX.

De Dolore Hæmorrhoïdum.

RElligiosus pius, ac venerandus, ætatis annorum XLVI., boni corporis habitus, frequenter corripitur dolore Hæmorrhoïdum acerbo cum tumore insigni, ac inflammatione, à quo frequenti incommodo, & cruciatu liberari desiderans medicam opem implorat. Hæc affectio dicitur tristis sensatio in Venis Hæmorrhoïdalibus, quæ tument cum magno dolore; hic autem tumor fit à majori Sanguinis fluxu, quantitate, & qualitate peccantis, qui si exitum non inveniat, & Venarum dictarum extremitates aperire nequeat, in eisdem congeritur, easque replendo tumorem excitat cum inflammatione, & dolore, qui acerbitate sua Ægrum torquet, ut in casu nostro. Signa diagnostica per se aperta sunt, siquidem ex tumore in ani extremitatibus apparente cum dolore, & rubore cognoscitur: Verùm quod ad Prognosim attinet; illæ ut plurimùm non sunt periculosæ; aliquandò tamen tam gravem inflammationem concipiunt, ut Gangrænæ periculum portendere possint: Quod si Hæmorrhoïdes suppurentur, metus erit de fistulâ curatu difficili ob partis mollitiem, & summam humiditatem; & difficulter curantur, quando affectio est confirmata; nihilominus auxilium Ægris nunquam est denegandum, & idcircò nonnulla erunt agenda à me aliàs non inutiliter experta, & infrascripto ordine executioni mandanda. Primò igitur primæ viæ liberandæ erunt à communibus, & universalibus excrementis: secundò humorum quantitas minuenda, & eorum acrimonia demulcenda: tertiò demum tumentes Hæmorrhoïdes resecandæ, ac reprimendæ, & partes affectæ corroborandæ. Ad primam itaque intentionem poterit exhiberi lenitivum ad alvum deonerandam, vel *potio Solutiva Magistralis* nostra, vel *flores Cassiæ recenter extractæ*, vel *Manna Electa* superbidendo *serum Vaccinum*, prout naturaliter à lacte separatur, colatum solummodo, non verò depuratum, vel destillatum. Pro alteranti assumat Æger *decoctum foliorum Cichorei*,

rei, *Borraginis*, *Malvæ*; & inter omnia curandum, ut alvus semper lubrica servetur ob minorem doloris acerbitatem. Vena secetur non semel tantùm, sed bis ad Sanguinem minuendum. Ad topica verò quod spectat, *Forestus* laudat *oleum Vitelli Ovorum*. *Ego adipem Ranarum*, & *Butyrum lotum in aqua Malvæ*, *Unguentum Populeonis*; *Rodericus à Fonseca balsamum Sulphuris* laudat: *Joh. Fortis* sequens unguentum commendat: ℞ *Unguenti albi*, ℥.j., *Populeonis*, ℥.ij. *Olei Nenupharini*, ℥. ß., *Violacei*, ʒ.ij., *Opii*, *Camphoræ*, *ana*, ℈.iij. *Lithargyrii*, ʒ.i. *Misce* in mortario plumbeo, & fiat unguentum. Cataplasma etiam ex medulla Panis albi in lacte cocti, addendo *oleum Rosatum*, & *Vitellum Ovorum* utile erit. Herbam *Linariam*, & *Scrophulariam* miris laudibus extollunt nonnulli; & Ego radicem Scrophulariæ pro amuleto appositam dorso non semel juvasse observavi: Si verò experiri velit Ægrotus noster meum Ungentum, quo feliciter usus sum in praxi facienda, sequens erit. ℞ *Cepæ sub cineribus coctæ*, ℥.ij. *Unquenti Populeonis*, ℥.j., *Olei Lini* ℥. ß. *Vitelli Ovorum*, ʒ. ij., *salis Saturni pulverisati*, ʒ. j. *extracti Opij*, ʒ. j. *adipis Ranarum*, ʒ.iij. *Misce*: fiat linimentum S. A., & bene misceatur, in mortario plumbeo. *VVolffgangus Hoeferus* sequens remedium præscribit. ℞ *Millepedum q. s. Misce cum pulpa Pomorum coctorum*, & applicetur bis in die cum linteo mane, & vespere. *Portulaca* contusa, & applicita dolorem mitigat; sicuti *mucilago seminis Psyllii cum oleo Violaceo*. Dictis verò addatur congrua victus ratio, abstinendo ab acribus, acidis, & salsis, ab aromatibus, vino generoso, à nimio motu tum corporis, tum animi, & præ cæteris alvus lubrica servetur cibis humectantibus, & utendo ante cœnam *conserva Florum Cassiæ ad* ℥.j. quæ omnia ut proficua sint Deum enixè precor.

Eventus.

Multa ex præscriptis usurpata fuêre remedia, & Deo adjuvante sanitatem recuperavit, nisi quod semel, aut bis in anno aliquem Hæmorrhoïdum dolorem, tamen mitem, sentit.

CON-

CONSULTATIO C.

De Ascite.

NUper accepi epistolam tuam, *Excellentissime Domine*, ex qua tuam erga me benevolentiam colligo, unà cum historia morbi magni cujusdam Civis, & Amici tui, super qua meam flágitas sententiam.

Ut ergo tibi, quem ex corde diligo, morem geram, & tuæ voluntati promptè satisfaciam, brevissimè quid sentiam de tali affectione exarabo, & ut ordinatè procedam, methodum consultationis sequar, ut sic nihil deseram in hujus morbi consideratione. Apertissimè igitur patet, ex doctissima morbi historia, affectum, quo detinetur Civis iste ætatis annorum 62., esse Hydropem Ascitem; adest enim intumescentia ventris inferioris, crurum, & scroti, aliis partibus penè emaciatis cum siti intensa, ac respirandi difficultate, ita ut, nisi sedens extra cubile, quietem vix habeat, quæ omnia Ascitem indicant. Hydrops igitur à Latinis aqua intercus dicitur, cum totus venter, instar utris pleni, turgeat, & definitur; Abdominis tumor à lymphatico humore in infimi ventris capacitate collecto ortum trahens, cui & femorum, & pedum, ac scroti, ut in casu nostro, tumor accedit. Partem autem affectam esse totam Abdominis regionem, de facili conjicitur, utpote in hac parte causa efficiens, & materialis habetur. Causa hujus morbi immediata est humor aquosus à propriis ductibus prodiens, & se in Abdominis cavitatem effundens, certè enim lymphatici ductus in culpa sunt, ob ipsorum vel rarefactionem, vel rupturam, & profectò aiebat Clarissimus Dominus meus *Anton. Dominicus Gotti Medicus Florentinus in sua Exercit. de Hydrope egregiè quidem conscripta*; ab hujus modi ductibus vel rarefactis, vel ruptis Hydropem excitari posse nemo est, qui in dubium revocet, tunc enim lympha in illis contenta, vel exsudans, vel diffluens in Abdominis cavitatem ruit, eamque immaniter implet. Accedunt viscerum obstructiones, ut

Lienis, & Hepatis, ex quibus pars etiam Sanguinis exſudat aquoſa, unde augetur Hydrops; & hinc eſt, quod *Hippocrates de loc. affect.* ait, *quibuſdam Spleneticis progreſſu temporis in Hydropem morbus degenerat*; ſiquidem indureſcente Liene ex congeſtione craſſiorum humorum, vaſa lymphatica comprimuntur, ac propterea humorem ſuum continere non valent, ac tandem diſrupta copiosè lympham eructant, quæ in Abdominis cavum ſecedens Hydropem inducit. Ad Prognoſim morbi iſtius quod concernit, notandum, quia, ut ex epiſtola colligo, Tuſſis jam acceſſit, morbum jam penè eſſe incurabilem, indicat enim humorum acredinem ſalſam, quod etiam innuere videtur ſitis aſſidua, ac moleſtiſſima, quæ Ægrum noſtrum miſerabiliter torquet, ac vexat; & tantò magis periculoſus eſt præſens Hydrops, quia, ut audio, rubicundus eſt urinæ color, pulſus citatus, corpus emaciatum, virium adeſt lapſus, ſigna enim iſta lethalia eſſe docuit *inſignis Dolæus*; verùm quia melius eſt anceps experiri remedium, quam nullum, & ſortem noſtram tentare convenit; idcircò ad curationem properandum, nè ſoli tantum Prognoſtico relinquamus Ægrotum. Indicationes igitur ſunt in noſtro caſu, viſcerum tonum reſtituere, vaſa lymphatica claudere, & materiam extravaſatam evacuare, ac demum viſcera, præſertim infimi ventris, corroborare, quæ ut habeantur ad tres conſuetos Medicinæ fontes recurrendum erit; & primò quoad Diætam, cibi ſint facilis coctionis; aſſa præferantur elixis, vitentur acida, ſalſa, & glutinoſa, quæ obſtructiones augere valent; & fugiantur omnia legumina; potus ſit modicus, & ſit vinum generoſum foliis Abſinthii medicatum; procul ſit autem ſpiritus vini; parciſſimus autem ſit cibus, & potus; obſervationes enim teſtantur plurimæ, Hydropicos multos ſola potûs abſtinentia priſtinæ ſanitati fuiſſe reſtitutos; & Ego juſtè fateri poſſum, Dom. Joh. Baptiſtam Gatelli Medicum Argentanum, meum diſcipulum, ſolâ potus abſtinentiâ, & uſu *pilularum ex Gummi Ammoniaco aceto ſoluto* ab Hydrope liberatum fuiſſe. Somnus ſit moderatus, & nocturnus. Animi paſſiones vitandæ ſunt, & abſit mœror; ait enim *Helmontius*, ſe Hydropem ex longo mœrore derivatum obſervaſſe. Excreta porrò, ac retenta ſint naturæ convenientia, & in Deo tantum ponat Ægrotus noſter ſpem ſuam, ab eo enim omnis medela,

Ex Chirurgia nihil. A Pharmacia multa desumi possunt remedia; & primò, ut communes evacuentur viæ, Clysteres opportuni erunt, & externè cataplasmata ex *stercore columbino*, *vaccino*, *caprino*, *sulphure*, *Cymino cùm oleo Anethi*, *&* *Rosarum S. A.* confecta utilia erunt. Diuretica laudantur, sicuti potus Urinæ pueri sani quovis mane jejuno stomacho, *Elixir Proprietatis* boni erit usus, sicut *spiritus salis Ammoniaci*, & *spiritus Tartari* in jusculo aperitivo assumendi. *Pulverem Millepedum* commendo, & paracenthesim improbo, cùm enim per me morbus sit confirmatus, viscera vitiata, ac vasa lymphatica sint disrupta, hinc est, quod materialis causa tantum per illam operationem tolleretur; at fons, & origo Morbi nequaquam, undè Æger citius periret, quæ omnia currenti calamo exaravi, ut tibi, Excellentissime Domine, satisfacerem. Faxit Deus, ut omnia cedant in Patientis nostri utilitatem. Tu interim Vale.

Eventus.

Multa ex præscriptis remediis diligentissimè fuerunt administrata, verùm semper crescente morbo, cruribusque apertis è quibus aliqua portio lymphaticæ materiæ exivit sine ullo levamine, tandem accedente respirandi magna difficultate Æger vitam cum morte commutavit. Aperto cadavere ex Abdomine effluxit magna quantitas aquæ viridis fœtidæ; Omentum erat putrefactum, Peritonæum absumptum; Jecur durum, & pustulis plenum: in Vesicula fellis penè nihil; Lien ferè ad nihilum redactus; Pulmones maculis nigris deturpati; Cor autem, & reliqua non erant malè constituta.

CON-

CONSULTATIO CI.

De Tympanitide.

LIcèt non accurata ad me pervenerit hiſtoria morbi Illuſtris Civis Mantuani ætatis annorum XXXIX. attamen pro eo, quod ego conjectari poſſum, morbum ipſum, ejuſque cauſas indagare cogar, ac ejuſdem curationem inſtituam.

Affectio igitur, qua opprimitur Nobilis noſter Patiens eſt, meo videri, Tympanitis, quæ ſpecies eſt Hydropis ſicca; in qua flatus totam abdominis regionem tumentem facit: impropriè autem dicitur Hydrops, quia nulla peccat aqua, ſed tantùm flatus. Definiri ergo poteſt, cum *VVilliſio*, abdominis tumor fixus, durus, conſtans, à pulſatione ſonitum reddens, à partium, & viſcerum membranaceorum inflatione ortus; cujus cauſam non flatum eſſe voluit citatus *VVilliſius*, ſed oriri ex ſpiritibus animalibus ſpaſmodico motu agitatis, & in fibras abdominis copiâ nimiâ redactis, ibidemque ſucci nervei obſtruentis vitio à receſſu impeditis, cui affectioni conſequenter flatuum à locis vicinis aggeſtio velut complementum accedit: flatus autem utplurimùm inter Meſenterii, & Inteſtinorum tunicas ſtabulat propter calorem debilem: cauſam verò remotam accuſo Hypochondriorum affectiones, quibus à duobus annis Patiens noſter obnoxius fuit: accedit enim, docente *Joh. Forti*, ut quibus Ventriculi, & Hypochondriorum dolores fiunt, qui nec medicinis, nec aliter ſolvuntur, in ſiccum hydropem firmentur, undè hypochondriacus affectus, flatulentus à *Galeno* vocatur, & ſemper ructus, ac crepitus Ventris erumpit, borborygmi, & rugitus obmurmurant. Licèt *VValdſchmidius* velit Tympanitidem nunquam inveniri ſine Aſcite, quia nunquam flatus reperiuntur ſine lympha, & ſero, adeòque diſtenſio in muſculis abdominis eſt major, & ipſi magis rigeſcunt, quia magis diſtenduntur. Facies tamen in Tympanitide, ut in noſtro Ægrotante, non valdè recedit à ſtatu naturali, nec eſt tam exſucca, & deformis, ut in Aſcite; ſed reſpira-

piratio est difficilis, crebra, & anhelosa, quatenus Diaphragma in suo motu impeditur. Verùm quia Ægrotus noster est robustus, & abest febris, aderit spes salutis, quæ ut assequatur opus est recurrere ad Diætam, Pharmaciam, & Chirurgiam. Et ut ab hac postremâ exordiar, non est, quod de missione Sanguinis cogitemus, licèt *Avicenna* in omni Hydrope illam concedat, quod tamen ego non approbo. Omnia igitur speranda sunt à Pharmaciâ; & primò expiandæ sunt primæ viæ aliquo leni medicamento, postea quovis mane exhiberi poterunt unciæ duæ *Syrupi Ferneliani* cùm uno cyatho vini albi generosi; mox ad *aquas Tetuccianas* deveniendum erit per septem dies incipiendo à lib. IV. & progrediendo usque ad lib. vij. cum vehiculo *Syrupi Aurei solutivi. Sal Absinthii, Syrupum de choreo cum Rhabarbaro VVillisius* laudat: & observandum, spirituosa, ac volatilia summoperè in Tympanitidis curatione valere. *Lixivium ex vino albo generoso, & cineribus Genistæ* expertus propono. Inter externa conveniunt frictiones, linimenta, fotus, & balnea tum sicca, tum humida. *Pilulas de Gummi Ammoniaco Dolæus* laudat; alii *tincturam Martis*; *Elixir Proprietatis Paracelsi, emplastrum de baccis Lauri, & pueri urinam cum sale Prunellæ Harttmannus* extollit laudibus. Hinc observandum cum *VVillisio* debere uti moderatè discutientibus, alioquin graviter lædunt; & *aquam Theriacalem* magni facit *Joh. Fortis.* Perforat abdomen ad flatus extrahendos *Franc. Sylvius de le Boë*, quod ad eruditionem sit dictum, non quod ego tale remedium approbem. Quod spectat ad Diætam ambiens frigidum damnatur, victusque sit calefaciens, attenuans, exsiccans, & medius inter crassum, ac tenuem: panis sit biscoctus, vinum sit paucum, ac antiquum; ambulatio non nocebit. Et hæc in casu præsenti sufficiant.

Eventus.

Universa ferè proposita auxilia incassum adhibita sunt; immò in singulos dies succrescente morbo, tandem post tres menses interiit.

CONSULTATIO CII.

De Anasarca.

ABundè fatis de morbo, quo detinetur Perilluftris Patiens, in Confultatione Medici fui ordinarii actum eft, ita ut mihi nihil dicendum fit, fed tantum filentio confirmare quæ ab illo dicta fuêre; verùm quia interrogatus, ad Domefticorum fatisfactionem refpondere aliquid mihi convenit; idcircò pauca hæc ad confirmationem eorum, quæ dicta ab alio Medicinæ Celeberrimo Profeffore funt, breviffimè exarabo. Ex quo igitur à multo tempore intumefcentia univerfali detinetur Ægrotus nofter cum læfione actionum, ideò Leucophlegmaticus confirmatus Anafarca laborat, qui morbus Hydropis fpecies eft, & definitur: intumefcentia in toto corpore, veftigium impreffi digiti retinens, cum refpiratione difficili, aliifque fymptomatibus Cachexiam comitantibus: *Amalth. Caft. Brun.* Originem habet à fucci nutritii, & lymphæ aquofa impuritate excedente, & ftagnante; & id tanquam à caufa antecedenti provenit ab obftructionibus vifcerum infimi ventris, ut Lienis, Hepatis, & Glandularum; non defæcatis enim humoribus, impuritates illæ emergunt, quæ velut caufa materialis hanc Hydropis fpeciem inducunt. Morbus ifte, quia confirmatus, difficilis eft curationis; attamen quia melius eft anceps remedium experiri, quam nullum, aliquid de ejus curatione exarabo. Sic indicationes erunt, concoctiones reftituere, vifcerum obftructiones tollere, impuritates aqueas abfumere, & evacuare, tonum vifceribus naturalem donare, ac corpus univerfum corroborare; quæ ut fiant ad tres Medicinæ fontes devenire convenit. Ex Chirurgia nihil prorfus affumendum puto, ne debilitatis viribus, ac depauperatis fpiritibus vitalibus caufa morbi cum majori vigore procedat cum Patientis detrimento. Pharmacia igitur conferet omnia, à quibus erit fperanda falus; & fic, quia audio, multa jam adhibita effe præfidia pharmaceutica; ideò nonnulla proponam ad Ægri noftri levamen. *Pulverem Millepedum præparatorum* commendo quovis

mane

mane jejuno ſtomacho aſſumendum cum juſculo aperitivo, in quo fuerit aliqua portio *ſyrupi de Althæa Fernelii*, ad urinæ vias aperiendas, ut deoneretur ab ichore aqueo extravaſato natura. In uſu pariter eſſe poterunt *Pilulæ ex Ammoniaco*, & *Syrupus Cachecticus Fernelii*, ſicuti *urina Puelli ſani ad uncias quinque* quovis mane duabus horis ante cibum, cui additæ ſint nonnullæ guttulæ *Elixiris Proprietatis Paracelſi*. *Sal Abſinthii* commendatur à multis, & *ſpiritus ſalis dulcis*; Clyſter ex urina conflatus, & vinum in quo infuſa ſint ſequentia, *radicis Ireos Florentinæ*, *radicum Salſæparillæ*, *Chinæ*, *ana*, *partes æquales.* Diæta tandem illa ipſa continuetur, quæ præſcripta eſt à Doctiſſ. Dom. Medico ſuo Ordinario. Faxit Deus &c.

Eventus.

Licet omni diligentia fuiſſent penè omnia prædicta remedia in uſum ducta; tamen ſemper de malo in pejus ruebat Ægrotus; ita ut labentibus viribus, ſudore frigido correptus, & pulſu penè deperdito, tandem interiit.

CONSULTATIO CIII.

De Ictero.

QUod Perilluſtris Dominus N. N. Civis Anconitanus annorum ætatis 52. detineatur Icteritia flava non eſt difficile cognitu, quia oculo apertè color ejus cutis aureus apparet, qui morbus poſt dolorem ventris, ac febrem ortus fuit; de cujus affectûs curatione nunc meum petitur Conſilium.

Eſt igitur hæc affectio Icterus, vel Icteritia flava, quæ à multis dicitur morbus Regius, & eſt in toto ambitu corporis externo coloris nativi in flavum mutatio, proveniens à retentæ Bilis flavæ diffuſione facta ex obſtructione vaſorum ipſius Bilis. Pars igitur affecta eſt Jecur cum tota Sanguinis Maſſa, ac totius corporis cute. Iſtius porrò morbi cauſa probabilis eſt obſtructio facta in porulis glandularum Jecoris, unà cum obſtructione vaſorum

Bilis, undè hæc Sanguini mixta, aliorum viſcerum fermenta conſpurcat, & mediante circulo cruoris totum tingit cutem, & fœdum inducit colorem, quia verò Bilis neceſſaria eſt ad perficiendam primam concoctionem, hinc eſt quod hac deficiente, debita alimentorum attritio, Chyli dulcificatio, ac excrementorum præcipitatio non ſuccedunt, undè inquinatus poſtea Chyloſus ſuccus, cruorem contaminat, & per conſequens reliquos humores, ex quo oriri poſſunt febres, aliique majores morbi: Et Ego juſtè fateri poſſum ex longa, & contumaci Icteritia ortum fuiſſe Hydropem in fœmina conſiſtentis ætatis. Ad Prognoſim quod concernit, dico, quia iſta Icteritia poſt febrem, ac dolorem accidit, & nunc eſt ſine febre, de facili poſſe curari; docebat enim *Riverius* curatu faciliorem eſſe Icterum ab obſtructione, quam ab inflammatione, vel Hepatis Scirrho, quæ mala in noſtro caſu certè non ſunt. Speret igitur Æger noſter ſalutem, quæ citò adminiſtratis remediis præſcribendis adveniet. Indicationes occurrunt tollendi obſtructiones, juvandi Bilis motum ad Inteſtina, cruorem depurandi, & roborandi viſcerum tonum, & fermenta; quibus ſatisfacere debemus recurrendo primò ad Pharmaciam; ad communes enim expiandas vias pro leniente uſurpari poterit *Potio ex Caſſia*, vel *Manna clarificata*. Clyſteres etiam parati ex urina ad modum præſcriptum à *Malpighio in Conſult.* laudantur. Bibantur *juſcula* alterata *radicibus Petroſelini*, *Aſparagi*, & *Chalybe* cum *Sale Abſinthii*, & inſuper addi poterunt guttulæ aliquot *Spiritus Salis Ammoniaci*, & hoc ad plures dies manè jejuno ſtomacho. Poſt hoc uti poterit *ſuccis Cichorei*, *Borraginis*; *Abſinthii*, *ana*, ℥. j. pro vice, quibus addi poterit *bolus confectus ex Croco Martis aperitivo*, & *ſyrupo de duabus radicibus*; *Extractum Rhabarbari* proderit, ſicuti comeſtio quotidiana pugilli unius Abſinthii. *Syrupum Marrubii* commendant multi; Ego verò nunquam tale remedium expertus fui. *Urinam pueri ſani* ad uncias iiij. epotam mane, Ventriculo jejuno, adverſus Icterum plurimùm valere legi apud *Th. Burnetum Theſaur. Med. Pract.* Si pertinaciter hic affectus perduraret, & propoſita eluderet remedia, tunc confugerem ad pulverem ſequentem diutius aſſumendum; ſcilicet ℞ *Rhei optimi*, ʒ. j. *Albi græci*, ʒ. ij. *Lumbricorum terreſtrium ſiccatorum*, ℈. ß. *Specierum Diarrhodon*: ʒ.

j. ß.

j. ß. *Cinnamomi electi*, ℈. *ij.* *Sacchari fini*, ℥. *ij.* *Misce*, *fiat Pulvis S. A.*: dosis sit ʒ. j. Sequentes porrò tabellæ utiles erunt. ℞ *Salis Absinthii*, *Cardui Benedicti*, *Antimonii Diaphoretici*, *Cornu Cervi usti*, *Oculorum Cancri præparatorum*, *ana*, *partes æquales*. *Misce fiat Pulvis*, irroretur *Spiritu Salis Ammoniaci Q. S.* inde cum *Saccharo*, *&* *aqua Cichorei Q. S. fiat* S. *A. rotulæ assumendæ interdiu.* Ex Chirurgia nihil; dum tamen febris absit; si verò febres oriantur, tunc licebit Venam secare, ad mitigandam cruoris effervescentiam. Ad Diætam demum quod attinet, cum cibo Æger utatur *rasura Eboris*, & cibaria *Croco*, & *Cinnamomo* condita sint, sicuti juscula, & carnes *Sale Absinthii*. *Chalybs*, & *coma Absinthii* communis seu *Romani* infundantur vino; & si febris accidat, tunc utendum erit *aquâ alteratâ Chalybe*, vel extinctione lapidum, quibus ignis elicitur, in qua tamen prius bullierint *Liquiritia*, & *Fragaria*. Cibus sit facilis coctionis, attenuans; abstineat ab austeris, ac acidis; læto stet animo, & salutem optatam speret, ac pro certa habeat. Pauca ista scribebam pro salute Perillustris nostri Ægrotantis in confirmationem omnium eorum, quæ dicta, & facta, ac facienda sunt à Sapientissimo ejus Clinico, cujus prudentiæ me totum remitto. Faxit Deus &c.

Eventus.

Nonnulla ex præscriptis remediis fuere adhibita, & Æger noster melius se habere incepit, & sensibiliter meliorem accipere colorem, tandemque sequuta Diarrhœa quatuor dierum spatio perdurante omninò sanitari restitutus, nuncque sanus æterno favente Numine vivit.

CONSULTATIO CIV.

De Lienis Tumore.

LAborat Civis noster Ferrarienſis intumeſcentiâ Lienis cum levi tumore non admodum duro, hoc enim dignoſcitur ratione gravitatis in ſiniſtro Hypochondrio cum dolore gravativo, præſertim à longa ambulatione, & colore faciei livido. Pars igitur affecta eſt Lien, quatenus obſtructione laborans præſentem affectionem parit; quæ ideò accidit, quia cruor ab arteria propulſus in Splenis Cellulis ſtagnans, amiſſa fluiditate, faciliter non reportatur per Venam Splenicam, ſed ibi morando molem ejus viſceris auget, membranoſas Cellulas diſtendendo, & idcircò involucra continentia reddit tenſa, ac elevata; Siſtitur autem faciliter Sanguis in Liene magis, quam in aliis viſceribus, per hoc, quod Lien conſtat carneis fibris, & lacertis, ſicuti in auriculis cordis, ut receptus cruor à loco laxiore extruſus, & in arctam Venam Splenicam expreſſus, ſuum iter de facili progrediatur: Etenim docebat *Malpighius*, impulſum ab arteria communicatum Sanguini in lato ſinu recepto, extingui; undè neceſſarius eſt novus motus expreſſivus ope fibrarum celebratus, & quaſi cordis additamentum, ut circularis motus perpetuetur. Tonicus igitur motus lacertorum in caſu noſtro impeditur, propria vitiata ſtructura ob copiam ichoris imbibiti, ſicque Sanguis non exprimitur, undè fixatio, ac intumeſcentia oritur; idemque maximè accidit immutatâ Sanguinis naturâ; deficientibus enim volatilibus particulis, & luxuriantibus ichoribus acidis, ex mora partes ſibi intimè hærentes fluiditate orbantur, & ſic in ipſis cellulis ejuſdem Lienis intumeſcentiam pariunt. Viſâ cauſâ, ad Prognoſim gradum faciamus. Dico igitur, debere, citius ac fieri poſſit, curationem inſtitui; ſi enim pertinax fieret hæc affectio, periculum eſſet, ne progreſſu temporis in Scirrhum degeneraret, ſolet enim obſtructio Lienis prodromus eſſe Cachexiæ, Icteritiæ nigræ, & Hydropis; hinc aiebat *Hippocrates*, obſtructiones Lienis periculo non vacare; immò advertit *Joh. Fortis*; hunc mor-

morbum semper longum esse, nisi fortè superveniat Dysenteria, qua Splenici liberantur, quemadmodum innuit *Hippocrates in Epidem.* Medicæ porrò indicationes sunt, tollere vitium humorum, deobstruere Lienis cellulas, facilitare motum ipsis cruoris, & partem ipsam affectam corroborare. Curatio igitur instituatur per tres consuetos Medicinæ fontes: & ut exordiar à Chirurgia, nullam nisi unicam tantum, & levem instituerem Venæ sectionem, neque eam repeterem nisi in casu inflammationis ejusdem visceris affecti, vel febris alicujus vehementis, quæ succederet uti observavi nuperrimè in quodam Lienoso, cui derepente ardens febris successit, à qua occisus fuit parvo temporis spatio. Ex Pharmamacia primò leniens medicamen blandum exhibeatur, verbi gratiâ, *Oleum Amygdalarum dulcium recenter expressum*, vel *Pillulæ Gellii*, vel *Cassia* ipsa; inde uti poterit *jusculo* in quo bullierint *radices Graminis*, *Asparagi*, & *folia Absinthii*, ac *Chalybe*, unâ cum bolo antecedenti conflato ex *sale Tamarisci*, *Croco Martis aperienti*, & *Tartaro Vitriolato cum Syrupo de duabus radicibus* ad conficiendum S. A. bolum auratum sumendum quovis mane jejuno stomacho per XII. dies. Postea per multos dies utendum erit remedio urinam movente, suadente *Celso*, videlicet *Therebentina lota in aqua Malvæ* ʒ. *ß. cum gran. vij. salis Ammoniaci*, & *tantundem Tartari Vitriolati* ad conficiendum bolum auratum S. A. quovis mané assumendum jejuno Stomacho, superbibendo jusculum alteratum *foliis Malvæ*, *Capillorum Veneris*, & *quatuor Radicibus aperientibus*. Externè proderit *oleum Capparidis*, vel *unguentum de Bryonia*, aut *emplastrum de Cicuta*, vel *ceratum de Ammoniaco aceto dissoluto*. Victus ratio sit attenuans; acetaria omnia commendat *Joh. Fortis.* Capparum usu mulierem sanatam à Lienis tumore ait *Forestus. Aqua Fabrorum* utilis solet esse. Vinum sit Chalybeatum; Somnus meridianus fugiatur; Motus, & exercitatio juvabit; alvus sit lubrica, absit tristitia, & mœror, & hilariter vivat: quæ omnia administrata à prudente ejus Clinico, finem optatum in nostro Cive consequi poterunt.

Eventus.

Multa ex propositis remediis summo studio, ac diligentia adhibita

bita fuerunt, & accedente aëris mutatione, Venetias enim petiit Civis noster, ubi per plures menses moratus perfectè convaluit; nunc reversus in Patriam sanus vivit.

CONSULTATIO CV.

De Scirrhoso Lienis Tumore.

MErcator quidam ad me confugit conquerens de Lienis Tumore, quem multo tempore gestat, ipsumque non exiguæ molis, & durum manu mea deprehendi, undè Tumescentia Scirrhosa judicata fuit; pro qua curanda sic loquor.

Certum est Scirrhum hunc esse Lienis Tumorem durum, indolentem, in illius visceris glandulis obortum, provenientem à succi lymphatici atrabilaris acido-austeri subsidentiâ, & collectione; undè liquet essentia, & causa morbi. Cùm enim Sanguis per arteriam Splenicam in Lienis cellulas perpetuò eructetur; ibique alterationem, ut verbis utar *Clariss. Malpighii*, & fortè attritionem recipiat ab effuso à propriis glandulis lienari succo, ut refluus in Jecur, & inde in universum corpus, bilis, & reliquorum fermentorum separationem non parùm adjuvet. Labefactato igitur Lienis fermento, & ejusdem motu interceptis ichoribus sanguis stagnat, & hujus visceris spatia distendit. Morbus iste periculo non vacat, quia ad Hydropem viam sternit, & Cachexiam inducit. Indicationes porro in tali affectu curando sunt, tollere coagulationem jam factam, emolliendo, & attenuando, & viscera corroborando. Pro quibus implendis, à levi corporis communi expiatione incipiendum est, primò *Syrupo Magistrali Solutivo*; inde pro alterantibus utendum jusculis *Chalybe* alteratis, & *foliis Fumariæ*, *Malvæ*, & *Syrupo de V. radicibus*, addito modico *Salis Prunellæ*. *Succi depurati Cichorei*, & *Absinthii Romani* laudantur à *Malpighio*. *Syrupum de Althæa Fernelii* commendat *Joh. Fortis*. Ego *pilulas de Ammoniaco Quercetani* feliciter expertus sum. Ex Chirurgia unicam tantùm venæ sectionem in manu sinistra proponerem. *Emplastrum de Cicuta* externæ parti applicitum commendarem, sicuti *unguentum de Bryonia*:

nia: Ceratum pro Splene, nec non falia fequentia inrernè adhibeantur: ℞ *Salis Tartari*, *Abfinthii*, *Ceterach*; & alia hujufmodi. Ulterius victus ratio fit congrua, vitet carnes fuillas, leporinas, & anferes, pifces cænofos, brafficas, legumina: vinum alteretur Chalybe, & fummitatibus Abfinthii pontici, & jufcula ipfa fale Abfinthii condiantur: uno verbo fint facilis coctionis, id eft, pullorum, hœdorum, vituli, & fimilium. Abftineat Æger nofter ab acidis, & aufteris; hæc enim morbum augere poffunt. Motum localem laudo, & ipfi falutem opto.

CONSULTATIO CVI.

De Lienis Scirrho.

UT accepi ex Epiftola elegantiffima Excellentiff. D. Medici Ordinarii, facilè liquet conjectari naturam morbi, quo detinetur Reverendus Ægrotans, Scirrho fcilicet Lienis; infignis enim hujus Vifceris tumor adeft, durus, & indolens, cum manifefta actionum læfione, adeò ut timeat Æger, ne in peffimum incidat Hydropem, quod fanè timendum. Aft quia meum confilium requiritur, idcircò pauca hæc exaravi.

Cùm per fe manifefta fit hæc affectio, ideò non immorabor in idea morbi inveftiganda, folummodò autem in ejus generatione nonnulla differam, ut ita melius Confultationis methodus fervetur. Ex fixato igitur, ac coagulato fanguine in cellulis Splenis, hanc ortam fuiffe affectionem affero; cùm enim indefinenter cruor per arteriam Splenicam in cellulas ipfius Lienis tranfmittatur, & ibi alterationem, feu attritionem quandam, tefte *Malpighio*, recipiat à glandularum Lienarium fucco; undè refluus Sanguis in Jecur, & exinde in corpus univerfum, fellis, & aliorum corporis humani fermentorum feparationem non parùm adjuvet; hinc eft, ut in noftro cafu, labefactato Splenis fucco, & ejus tonico motu retardato, Sanguis non tam facili extra demittitur, unde reftagnat, atque diftendit interftitia partis, ficque impedita tranfcolatione totum compatitur corpus, & præfertim durus habetur, contumax, ac indo-

indolens Lienis tumor, qui à Medicis Scirrhus vocatur. Antequam autem indicationes examinemus, aliquid circa Prognosim addere mihi liceat, cùm hæc sit illa Consultationis pars magis grata desiderio Ægroti, & Consanguineorum. Dico igitur meo consueto candore, & naturali loquendi libertate, prout Medicis convenit, cum *Galeno*, Scirrhum insensibilem curationem non recipere, & maximè quando est inveteratus, tunc enim periculum est, ne in Hydropem incidat Æger, ut etiam timuit *Riverius*; ideòque affectum hunc valdè timendum esse pnto, de raro enim sanatos tales vidi Ægrotos. Pro tollendo autem morbo, indicationes curativæ erunt, tollere coagulationem, & congestionem humorum in Liene jam factam, ideòque emollire, ac attenuare conveniet, sanguineam massam edulcorare, ac viscus affectum, nempè Lienem, corroborare atque firmare; quæ ut assequantur, ad consuetos Practicæ Medicinæ fontes devenire oportet; & ut à Pharmaciâ incipiam, primò sumenda levis corporis expurgatio, quæ haberi poterit *simplici uncia florum Cassiæ* cum *modico Cremoris Tartari* ad bolos conficiendos, superbibendo *jusculum Pulli chalybeatum*, & tepidum; vel si bolos respuat, *potio Magistralis Solutiva* substituatur; inde per multos dies usurpari poterunt aperitiva, ut *Pilulæ de Ammoniaco aceto soluto*, superbibendo *jusculum* in quo bullierint *radices Aspargi*, *Fœniculi*, & *Petroselini*, additis aliquot guttulis *tincturæ Martis*, & modico *syrupo de quinque Radicibus aperitivis*, & *Sale Prunellæ*. Sequens opiata laudatur à *Riverio*, cujus cochleare unum ante cœnam poterit assumi. ℞ *Gummi Ammoniaci*, *Opoponacis*, *&* *Bdellii*, *ana*, ʒ.ij. dissolvantur in vino albo, colentur, & coquantur; deinde adde *confectionis Hamech*, *&* *Diaphœnici*, *ana*, ʒ. ij. *pilularum fœtid.*, ʒ. j. ß. *Misce*, fiat opiata, cui addantur *viginti grana Mercurii dulcis*, & tandem cum *conservæ Absinthii*, *unc.* v. *misceatur*. Sunt aliqui, qui usum *succorum Cichorei*, *Absinthii*, & aliarum herbarum commendant; verùm quia modò sumus in Autumno tale remedium non approbo. Externè proderit *Emplastrum de Cicuta*, & *Nicotiana unà cum spiritu D. Geylfusii* secundum descriptionem factam à *VValdschmidio*, quæ talis est. ♃ *Spiritus Granorum Juniperi*, *lib.* ij. *Nasturtii contusi*, *man.* iij. *infunde die*, *ac nocte*; *inde des-*

tilla; *Spiritui destillato infunde radicum Consolidæ majoris*, *part*.ij. *Scrophulariæ*, *part*.j., *& tertia vice destilla*. Unguentum nostrum ab *Amato Lusitano* laudatum usurpari poterit, quod sic paratur. ♃ *Olei Communis*, *lib*. iij., *Medullæ Crurum Bovis*, *lib*. j., *Butyri recentis* ℥. vj., *Succi Bryoniæ*, *& Cyclaminis*, *ana*, *lib*. j. bulliant omnia simul lento igne ferè ad consumptionem succorum; colaturæ adde *Ceræ citrinæ*, ℥. vij. *Ceterach*, *Corticum Capparidis*, *Tamarisci*, *seminis Agni Casti*, *ana*, ʒ.iij. *Misce fiat S. A.* Unguentum. Apponi etiam utiliter poterit Ceratum pro Splene in penè omnibus Antidotariis descriptum. E Chirurgia, nisi fortè febris accederet, nihil sumendum puto. Venæ sectio enim in Scirrhosis affectibus potius nocet, quam prodest, quatenus educit Sanguinem bonum, ac tenuem, causam verò morbi in affecta parte relinquit. Ad Diætam denique quod attinet; cibi sint facilis coctionis, sic *Pulli*, *Vituli caro*, Columbi, & similium animalium optimi erit usus. Vitentur Anates, Pavones, Pisces, & Suilla caro: obstineat Æger noster ab acidis, & austeris; à studio, & curis; ac motu locali utatur, valdè enim prodest ad tollendas obstructiones omnes. Pauca verò hæc currenti calamo scribebam, quæ ut cedant in levamen Patientis enixè Deum rogo, sine cujus auxilio nihil.

Eventus.

Omnia supradicta remedia diligentissimè usurpata fuêre præter alia etiam ab aliis Medicis proposita; verùm incassum omnia, nam semper in pejus ruebat Ægrotans, tandemque in Hydropem incidit, quo confirmato, ultimum clausit diem, vitam cum morte commutando.

CONSULTATIO CVII.

De Affectione Hypochondriaca.

ADeò doctè, ac exactè casum Nobilissimi Viri, literis tuis ad me datis exarasti, Excellentissime Domine, ut apertissimè colligatur, eum laborare Hypochondriacâ Affectione cum nonnullis obstructionibus in visceribus infimi ventris: Ventris enim adsunt distensiones, & anxietates, Hypochondriorum rugitus, frequens vomitus, & spuitio, timor adest morbi majoris, metus sine causa, & præsertim salutis, tremor, & animi consternatio, cum obstructionibus in Abdomine, & aliquando cum febre: Quia verò postulas meam de hoc affectu audire sententiam; ideò sequens Consilium tibi festinanter trado.

Hujus morbi, jam ex signis prædictis, patet idea; est enim Hypochondriacus Affectus, variis stipatus symptomatibus; enervato quippe tono Ventriculi ut cum *Clariss. Malpighio* loquar, mutatisque fermentis à glandulis Oris, Ventriculi, ac Intestinorum eructatis, primæ coctiones vitiantur, cujus errata non emendantur in sequentibus, undè vitiato chylo, sanguis pariter, lympha, aliique humores contaminantur, ex quo prava nutritio, obstructiones glandularum, febres, anxietates, vomitus, flatusque oriuntur; & quia ex prædictis conspurcata est massa sanguinis, idcircò sæpè ejusdem immodica fermentatio, quæ formaliter febris est, accenditur. Pars itaque affecta Ventriculus est, ut antiquitus voluit *Diocles*, & recenter *Highmorus*, quippe ingesti cibi debito calore foveri, fermento comminui, & ad Intestina propelli vix possunt ob fibrarum nimiam debilitatem. Prognosim quod concernit dico, hunc morbum difficilis esse curationis, & *Clariss. Mangetus in Biblioth. Medic.* scripsit: *Ab Hypochondriacis libera nos Domine.* Speranda tamen hujus affectionis, utpotè non inveteratæ, salus, si Patiens Medicis præceptis obtemperabit, nec liberiori vivendi norma morbum fovebit. Tentanda igitur curatio à nobis erit, ad quam rectè instituendam prius indicationes

erunt

erunt considerandæ, quæ, meo videri, sunt, evacuare materias in Ventriculo peccantes, viscerum tollere obstructiones, fibras corroborare, glandulas ad statum naturalem reducere, ac Ventriculum ipsum firmare; quæ ut habeantur materiam Medicam suggerent usitati illi fontes, Chirurgicus nempe, Pharmaceuticus, ac Diæteticus; ex quorum primo, nisi forte Patiens noster esset plethoricus, aut calor, & febris vehementer urgeret, Venæ sectio vix locum habebit; pro hac verò poterit usum Hirudinum sedalibus venis Medicus assistens experiri, quod remedii genus optimum esse multi Medicorum asseverant; de Frictionibus, ac Fonticulis nihil; Clysteres si alvus adstricta fuerit adhibeantur. Pharmaceuticus fons primò exhibebit mite aliquod lenitivum, puta *Oleum Amygdalarum dulcium sine igne*, vel *Cassia*, vel *Manna*, aut *Electuarium lenitivum cum modico Cremoris Tartari*, & hoc ad Ventriculum deonerandum ab illis recrementis, quæ primam concoctiotionem vitiant: Indè præstabit usus *succorum Endiviæ*, *Borraginis* ad plures dies ad uncias tres quovis mane, superbibendo jusculum pullorum, in quo bullierint *folia Borraginis*, *Cichorei*, *Petroselini*, & *modicum Rhabarbari*. Abstinendum autem erit à Saccharatis, ac Mellitis, sicut & à valde acidis, cùm illa inflent viscera, humorum fermentationem majorem inducant, atque fermenta semper majus conspurcent, & glandulas infarciant, cujus opinionis quoque fuit *Joh. Fortis Cent.* 3. *cons.* 7. Utiles erunt *Pulveres Cremoris Tartari Vitriolati*, *Antimonii Diaphoretici*, *ac croci Martis aperitivi* propriis dosibus exhibiti, ut verbi gratia, scrup. ij. pro vice. *Serum Caprinum* depuratum commendo cum *pulvere Oculorum Cancri præparatorum* ad plures dies mane jejuno stomacho ad unc. VIII. respectu seri, & ℥. j. respectu pulveris. *Tinctura Martis* bonum præstabit effectum sicuti etiam *Specificum stomachicum Poterii*. Externè proderit *Oleum de Absinthio*, *&* *de Mentha* regioni Ventriculi applicitum. Vinum medicetur *Chalybe*, & *Absinthio*, cujus *sale* jus̀cula, & carnes condiantur; cæterum victus ratio rectè instituenda erit à te, *Excellentiss. Vir*, cujus prudentiæ me remitto; hoc tantum monendo, conditúram, & varietatem ciborum esse vitandam; laudo tamen localem motum, ut sic facilius transpiratio excitetur, quæ summoperè proderit, & ut etiam bona digestio per-

 ficiatur,

ficiatur, quæ tantoperè in hac affectione est necessaria. Et hæc sunt, quæ currenti calamo ad salutem Nobilissimi Viri scribebam. Faxit Deus &c.

Eventus.

Fuerunt penè omnia proposita remedia summa vigilantia, atque diligentia Excellent. D. Curantis adhibita; imò balneum aquæ currentis per plures dies administratum, sicque demum accedente aëris mutatione post longum tempus pristinam recuperavit Ægrotus noster sanitatem.

CONSULTATIO CVIII.

De Affectione Hypochondriaca.

VExatur Nobilis Patiens, ut ex his, quæ non minus eleganter, quàm eruditè scripsit Dominatio tua Excellentissima, cognoscere potui, Hypochondriacâ Affectione; timor enim adest, mœstitia insolita, fuscus faciei color, & tensio in Hypochondrio dextro, cum metu mortis, tanquam si ad Inferos Æger fuisset cœnaturus; modò se Pleuriticum putat, modò febricitare se judicat; nunc pertinaciter alimenta ipsa respuit, nunc edulia etsi nociva postulat; nunc alget, nunc uritur, nunc luget, modò ridet; omnia signa Hypochondriacæ Affectionis, super quam Ægritudinem quod sentio liberè, & ut meum est, exponam.

In primis igitur hæc Affectio morbus est complicatus dependens ut plurimùm ex vitio imaginationis, & obstructione glandularum, & vasculorum in Hypochondriis, cum copiosa flatulentia, murmure, ructibus, spuitione frequenti, ex quibus colligitur fermenta primarum viarum esse vitiata, & cruorem, ac succum nervorum impuritate laborare; sequitur delirium leve, quatenus spiritus animales non lucidi, & agiles, sed tenebrosi, ac tardi producuntur: accedit quod inquinatus succus nerveus, ut verbis

utar

utar *Cl. Malpighii* ſcatens acidis ſalibus, non omnimoda volatilitate gaudet, ex quo ſupradicta ſymptomata oriuntur; acida porrò inquinamenta, & mediante chylo cruori communicata, & per arterias corticalibus glandulis ſubminiſtrata, earum porulos plus juſto aperientia eſſentialem in ipſis labem conſtituunt. Ante Indicationes Prognoſim videamus, & quid ſperandum, vel timendum de hac Melancholica Affectione dicamus. *Joh. Fortis in ſuis Conſultat.* ait Melancholicos facili negotio fieri Epilepticos, & Ego illos faciliter Maniacos evadere poſſe puto. *Clariſſ.* tamen *Franc. Redi in* 4. *tomo ſuorum operum pag.* 306. loquendo de Hypochondriaca, ſic ait: *laſci imperverſar quanto ſa, non le dia retta, ei non può mica ammazzarla; non l, ha ammazzata ſin'ora, non lo farà nè anco per l'auvenire; ſi diffenda col corraggio, & emendi la fantaſia &c. Dolæus* autem chronicum morbum eſſe Melancholiam ait, & curatu difficilem, & meritò vocari flagellum, & opprobium Medicorum. Medicæ Indicationes ſunt depurare humores ab acidis ſalibus, tollere irritamenta in Cerebro, ſpiritus animales lucidos reddere, & viſcera corroborare: Quæ ut aſſequantur, & curatio ritè inſtituatur; primò lenienda eſt alvus *Syrupo Aureo ſolutivo*, vel *floribus Caſſiæ*; & fugiendum à Catharticis, quia hæc magis lædunt, quam proſint. Clyſteres emollientes uſurpandi erunt, quatenus iſti (ſunt verba *Clariſſ. Redi*) *ſpazzano la Stalla, ſenza ſcomporre la culina.* Uſum *ſuccorum* depuratorum *Endiviæ, Cichorei, Fumaria* & ſimilium quovis mane ad dies decem commendo, quibus addatur *Tinctura Martis. Serum Caprinum* depuratum, ad menſem multæ erit utilitatis. De Venæ ſectione nihil. *Vinum* alteretur infuſione *Chalybis. Potus Thee* utilis erit. Frictiones ad totum corpus utiles erunt, ſuadente *Malpighio.* Uſum *lactis Aſinini* cum *modico Sacchari* pulveriſati quovis mane ad menſem commendo, expertus in variis tali morbo affectis; ut & balneum aquæ dulcis, & præſertim in noſtro Pado diebus canicularibus, quando ſol *aſſas coquit meſſes* juxtà *Martialem.* Vacet à curis, & ſtudio. Victus ratio ſit illa propoſita à Dom. tua Excellentiſſima quam approbo, ſicuti localem motum, & aëris mutationem. Quæ pauca ſint à me dicta ad confirmatio-

tionem omnium, quæ eruditè in tua epiſtola exaraſti: tibique me, & meum ſubmitto conſilium.

Eventus.

Ex parte propoſita auxilia adminiſtrata fuerunt, & præſertim lac, & balneum, quibus factis Venetias profectus, & illac jucundè, & hilariter cum ſociis genialibus vivens, omninò priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit.

CONSULTATIO CIX.

De Flatu Dolorifico.

REverendus Sacerdos, ætatis annorum LVII. temperie phlegmatico-melancholica præditus, ſæpè conqueritur de anxietate, cordis palpitatione, aliqua vertigine, cum dolore in Abdomine vago, ac cruciatu in tibiâ dextrâ per ſemihoram, inde hic aſcendit ad dorſum prorependo, mox tranſit in brachium, nunc in humerò affligit, & hinc inde velut de loco in locum ſedem mutat; cibi adeſt faſtidium, alvus tarda. Auxilium petit.

Benè conſideratis ſignis, quæ in hiſtoriâ referuntur, conjicitur morbum hunc eſſe flatulentum affectum, & definiri poteſt: inflatio cum dolore orta à vaporibus extravaſatis in partibus corporis oberrantibus; unde patet eſſe congeriem halituum vel vaporum veluti quadam membrana incluſorum, modò in una, modò in alia corporis parte infeſtantium, ut in noſtro hoc caſu; & producitur, dum alimenta in viſceribus ſubacta, & digeſta a fermentis, & calore ipſorum diſſolvuntur, effluvia inde quam plurima elevantur, quæ ſi ſpatium liberum obtinerent, in auras evaneſcerent; verùm, ut ait *VVillisius*, ea in membranâ concluſa, & ſimul aggeſta, vaporum congeriem, quaſi ventum, conſtituunt, unde hac illac flatus evagatur, ac varias corporis partes cruciat; quare ponitur hic morbus in claſſe ſolutionis continui. Quoad ſigna

ſigna Prognoſtica, quia ſumus in caſu, in quo morbus altas nondum egit radices, & non eſt ætas in gravi ſenectute poſita, ideò ſpes apparet ſalutis. Quapropter præſidia ex triplici auxiliorum penu depromantur, nempe Chirurgico, Diætetico, ac Pharmaceutico; & ut ab iſto exordiar, debent deſumi remedia cauſam morbi debellantia, ut ſunt humores vitioſos evacuantia, obſtructiones reſerantia, vapores, & flatus diſcutientia, & vires reſtaurantia. Ad alvum exonerandam, & primas vias detergendas bonum erit exhibere *potionis Magiſtralis ſolutivæ*, ℥. vj. *addendo in infuſione Rhabarbari electi*, ʒ. j. Pro alterantibus utendum erit *decocto Fumariæ*, *Petroſelini*, & *Betonicæ* cum *radicibus Aſparagi*, *Graminis*, *Fœniculi*, additis *ſeminibus Citri contuſis*, & *aliquot guttulis Elixiris Proprietatis Paracelſi.* Si Alvus ritè non reſpondeat Clyſteres in uſum ducendi, & præſertim carminativi, ac diſcutientes: poterit etiam uti ſequenti aqua cujus cochlearia frequenter ſumenda ℞ *Aquæ Meliſſæ*, *Totius Citri*, *ana*, ℥.v., *aquæ Cinnamomi*, ℥.ij. *ſpiritus Chalcanthi*, ℈.j., *Syrupi de Corticibus Citri*, *quantum ſatis ad gratum ſaporem. Species Diamargariti*, & *rotulæ Diarrhodon Abbatis* utiles erunt. Partes affectæ inungi poterunt *oleo Abſinthii*, & *Laurino.* Chirurgia nihil, meo videri, præſtare poterit, cùm non videam, quid ex Venæ ſectionis uſu in caſu noſtro ſperari poſſit; idemque dicendum de aliis Chirurgicis operationibus. His omnibus accedat vivendi ratio accommodata, adverſa ipſi morbo, & cauſæ morbificæ; & ita Deo favente, melius in dies ſe habebit, ut ſpero.

Eventus.

Optima vivendi ratione ſervata, & omnibus præſcriptis remediis exactè admotis XXX. dierum ſpatio convaluit; nunc mutato Cœlo ſanus vivit, & Deo benedicit.

CONSULTATIO CX.

De Noſtalgia.

Adoleſcens Neapolitanus, poſtquam Ferrariam delatus fuit à ſuis Parentibus, triſtitia penè aſſidua correptus, morbo ſequenti afficitur; tentatur enim magna præcordiorum anxietate, nunc cum frigore, modò cum præternaturali calore, & dejecta appetentia, cum frequenti vigilia, ac virium deperditione. Ego in auxilium vocatus, Patientem gementem invenio, & de magna cordis anxietate dolentem, non ſine febre: Peto à Parentibus cauſam: iſti deſiderare ipſum Patriam ſuam reſpondent; ſæpè interrogatum de amicis, atque Virgine amata, ſuſpiria profundere, & ſummo de iiſdem deſiderio teneri; & hæc omnia cum læſione actionum.

Morbus hic à celeberrimis *Hardero*, *&* *Valentino* Νοστάλγια *Noſtalgia* nuncupatur; hæc enim ſymptomata oriuntur à deſiderio redeundi in Patriam. Noſtalgia ſiquidem definitur, intenſus præcordiorum dolor cum marcore, debilitate, & ſummo in patriam redeundi deſiderio, cum febre à turbulento motu ſpirituum, plexuumque nervoſorum tenſione proveniens cum actionum læſione. Subjectum iſtius morbi, ſeu pars affecta eſt ipſum Cerebrum, & præſertim albi corporum ſtriatorum tractus, & tubuli centri ovalis, non ſine ore Ventriculi ratione nervorum; ex quo Noſtalgiam ſpeciem eſſe Cardialgiæ volunt nonnulli; in hoc enim morbo inſigniter affici os Ventriculi apparet, undè anxietates præcordiorum, & proſtratio appetitus oriuntur; fit enim in hoc affectu magnus ſpirituum tumultus in cerebro, & pyloro, unde inſequitur Spaſmodia immanis, quæ in illa anxietate præſentitur. Cauſa proxima eſt turbulentus animalium ſpirituum motus, & tenſio plexuum nerveorum Stomachi; chylificatio autem minus perfectè peracta ob aſſiduam meditationem loco chyli laudabilis, humores acidos, & viſcidos exhibuit, qui non tantum febrem, ſed vellicando nervoſos plexus cauſam materialem conſtituunt, ex qua omnes

nes emergunt nostri affectus passiones, & omnia enarrata in casu symptomata: Elapsæ autem cruditates in primis viis, & intestina, & plexum mesenterii magnum, & fibrarum crispaturam vellicando, horripilationem, & frigus producunt; per Meseraïca porrò vasa, & ipsum quoque Thoracicum ductum, in Sanguinem delatæ ipsæ crudæ materiæ, ob particularum inæqualitatem motum præternaturalem, & per consequens febrem producunt, quia teste *Michaele Bernardo Valentini in Nosocom. Academ.*, id quod in prima coctione non legitimè fit, neque in secunda, neque in tertia corrigitur. Quod jam Prognosim concernit, morbus iste, nec magni faciendus quidem, sed nec risu excipiendus; multi enim, ut ex historiis habetur, denegato in Patriam reditu, lethales affectus contraxere: Curandus ergo quam citò est hic Æger, antequam morbus magis progrediatur. Indicationes autem erunt spirituum animalium motum perturbatum emendare; tollere humores præternaturales in primis viis genitos, ac vitiosè stabulantes, undè & febribus, & molestioribus symptomatibus occurratur, quibus ut satisfaciamus ad Pharmaciam, Chirurgiam, ac Diætam deveniendum: è quarum prima leniens medicamentum desumi poterit ad communes expurgandas vias à vitiosa materia ibi stagnante, atque concoctiones vitiante; nihil autem refert, si hoc fuerit, *Manna*, vel *Cassia*, *Oleum Amygdalarum dulcium*, vel simplex *Cremoris Tartari Pulvis* ad *unc. unam* sumendus in *aqua Borraginis* mane jejuno stomacho: indè pro alterantibus, ac refrigerantibus uti poterit Æger noster *jusculis Caponum*, in quibus bullierint *folia Cichorei*, *Endiviæ*, *Malvæ*, *Acetosæ*, *&* *Borraginis*, *additis guttulis aliquot Spiritus Salis Ammoniaci*, & hoc ad plures dies: *pulveres* etiam *oculorum Cancri præparatorum* utiles erunt, ut & *Antimonium diaphoreticum*, & *Confectio de Hyacintho sine Moscho.* Ad vigilias nimias tollendas juvabunt *Emulsiones Papaverinæ*: Usum *seri Vaccini destillati cum Cichoreaceis* multum posse prodesse sum arbitratus. Ex Chirurgia sumantur Clysteres ex lacte, & saccharo rubro confecti ad alvum sollicitandam: utilis erit Phlebotomia in brachio lævo; atque hirudines sedalibus venis appositæ aliquid levaminis esse poterunt: Frictiones, atque cucurbitulæ scarificatæ, quatenus morbus pertinaciter sequatur, adhibendæ sunt cum spe boni even-

tus. Diæta demum ſit tenuis, cibi ſint boni ſucci, & facilis coctionis; abſtineatur à vino, & potus ſit aqua Nucerina; Corpus, ſi vires ferant, blandis exerceatur deambulationibus, & lætis confabulationibus Æger detineatur; immò ſi poterit ad patrios lares remittatur; Patriæ enim, Amicorum, & amatæ Virginis reſtitutio erit certa ſalus noſtri Patientis; dummodò tamen vires permittant itineris labores: Atque hæc omnia à me ruditer exarata Medici præſentis prudentiæ remitto.

Eventus.

Nonnulla ex propoſitis remediis fuere adhibita, febre remittente, & ſymptomatum acutie mitigata ad Patriam reverſus, citò convaluit.

CONSULTATIO CXI.

De Scorbuto.

ARdua ſanè provincia eſt, ac difficultatibus involuta diſtincta cognitio, atque perfecta curatio morbi, quo afficitur Nobilis Vir annorum ætatis 49.: Hic enim, ut audio, ab Excellentiſſ. Medico, pravo victu utens, de obtuſo Hypochondrii dolore conqueritur, ſuccedente totius corporis laſſitudine ferè ſpontanea; accedunt Odontalgia, dolor capitis, & cutis coloris mutatio ad atrum, & fuſcum, hinc Dentes vacillant, Gingivæ ſanguinem fundunt; imò ipſæ in parte putredinoſæ, ac ulceratæ apparent: Ptyaliſmus penè continuus cum ructu, ac crurum, & pedum intumeſcentia: Pulſus eſt parvus, & inæqualis, reſpiratio non perennis, & facilis: Tuſſis frequens cum excretione viſcidæ, ac tenacis materiæ odoris ingrati: Maculæ lividæ huc illuc diſperſæ in ambitu corporis conſpiciuntur: Proſtratio appetitus, Lypothymia frequens, & incipiens Atrophia; omnia hæc conſtituunt compoſitum morbi, quo afficitur Nobilis noſter Patiens, pro cujus ſalute meum optatur Conſilium.

Cùm

Cùm verò nominis disquisitio, juxta *divinum Platonem*, sit doctrinæ principium, ideò nomen affectionis hujus prius examinare conveniet, antequam ad causam, prognosim, & curationem deveniamus, ut certa methodo procedamus. Hunc morbum Scorbutum dici pro certò habeo, quem novam esse affectionem nonnulli Medicorum tradunt; licet Ego Scorbutum etiam *Hippocrati* innotuisse credam, cujus sub nomine *magni lienis* meminit; nec ab affectu procul abfuit morbus ille, qui in exercitu Romano, cui pro Cæsare Augusto præerat Ælius Gallus, in Arabiam tunc temporis grassabatur, quem *Strabo in Geograph. lib. 6. describit.* Morbus iste Septentrionalis dicitur, quia Populis, & Maris Baltici accolis familiaris, & ferè Endemius; at nunc adeo latè se diffundit, ut apud nos Italos etiam non infrequenter appareat: Describitur autem quod sit congeries plurium symptomatum omnis generis, proveniens à morbo complicato cum obstructione viscerum, vasorum, & glandularum, & vitio humorum. *Amalth. Cast. Brun.* Morbum hunc contagiosum esse apertè liquet, cùm è parentibus aliquandò liberis tradatur cum semine, ac lacte; tacitè quoque serpit ejus insidiosum virus, vel medio poculorum, lecti, sudoris, salivæ, & contactûs; aliquandò verò ex vitio viscerum, & humorum oriri potest ex intrinseco, ut in nostro hoc casu. Causa externa, sive remotior hujus affectûs fuit vitium in cibo, & potu; ex alimentis enim crassis, viscidis, & terrestribus, quæ nec facilè digeri, nec ad statum summæ fluxilitatis citò perduci queunt, vitiantur fluida, & solida quoque; acida quippe esitata Chylum, & Sanguinem acore sylvestri imbuunt, unde obstructio viscerum, & vasorum, & lymphæ corruptio, & acrimonia enascitur; ex quibus ulcuscula, intumescentiæ, maculæ in cute, Lypothymia, aliaque cum febre symptomata oriuntur, quæ in morbi hujus historia fuerunt enarrata. Prognosim nunc videamus; si ergo recens sit hæc affectio, facilis erit curatio, si autem confirmata, & altas egerit radices, tunc penè incurabilis erit morbus; maximè, quia adsunt lividæ maculæ, quæ semper mali ominis sunt: nihilominus tamen Ægrotum nostum bene sperare volumus, eò quia huic morbo convenientia præscribentur, adeòque si non in totum juvari, saltem ad longius tempus remediis, ac diæta conveniente sustentari

posse spero. Indicationes igitur erunt, humores omnes depravatos accommodare, & à salibus acidis erodentibus eos liberare, exulcerationes in gingivis sanare, obstructiones reserare, symptomata mitigare, totumque corpus roborare. Remedia porrò istis indicationibus subordinata desumuntur ex triplici fonte, Diætetico nempe, Chirurgico, & Pharmaceutico, ad quorum primum pertinent res nonnaturales, ut sunt aër, cibus, potus, somnus, vigilia, motus, quies, excreta, retenta, & animi pathemata: Et ut exordia à primo, aër sit purus, tenuis, & temperatus, 2°. vitentur cibi crudi, crassi, & viscidi, difficilis concoctionis; edantur *carnes Gallinæ*, *Caponis*, *Vituli* &c. Carnes sale conditæ, & fumo exsiccatæ, ut & pisces, arceantur; potus sit *vinum tenue* bene defæcatum *Absinthio conditum*. Exulent aquæ crudæ, stagnantes, putridæ, ad præparanda juscula, quibus uti debet Æger noster. 3°. Vigiliæ immodicæ nocebunt, & fugiatur somnus statim à pastu 4°. Motus juvabit moderatus, otium enim ignavum calorem nativum, & languidum reddit, undè concoctiones fiunt deteriores. 5°. Alvus sit libera, & nisi spontè solvatur, arte subducatur. 6°. Animi pathemata, hoc est, ira, timor, anxietas, cane pejus, & angue fugiantur. Ex Chirurgia Venæ sectio sumatur administranda in brachio dextro, si vires ferant; in modica verò quantitate Sanguis erit educendus, ne fortè vires deperdantur; Cucurbitulæ quoque leviter scarificatæ proderunt; & si alvus erit tentanda, clysmata convenient. Pharmacia tandem pro salute hujus nostri Patientis exhibere poterit, primò tenue lenitivum ad primas deonerandas vias ab inquinamentis, ut sic concoctio ciborum melius, atque jucundius incedat; tale autem remedium poterit esse, vel *Electuarium Lenitivum*, vel *Cassia*, vel *Manna* ipsa, aut *oleum Amygdalarum dulcium recenter expressum ad unc. quinque*; mox pro præparantibus uti poterit jusculis, in quibus bullierint *radices Cichorei*, *Petroselini*, *Fœniculi*, *Cortices Capparidis*, & *Tamarisci*; sumantur autem mane jejuno stomacho cum *syrupi de Cochlearia uncia una*. *Seri* præterea *Asinini* usum commendo ad viginti dies unà cum *succo* depurato *Urticæ*, *Farfaræ*, *Cochleariæ*, *&* *pulvere Oculorum Cancri præparatorum* ad edulcorandos humores: laudo insuper *Martis tincturam*, & *Antimonium Diaphoreticum ad scrup. j.*; sub vesperam *Pilulas tar-*

tareas

tareas Quercetani exhibent nonnulli cum *vino antiscorbutico Mynsicthi*. Externè illiniri poterit Ventriculi regio *oleo expresso Nucis moschatæ*, imò totum abdomen inungi poterit *oleo de Absinthio*. Duo denique remedia propono, quibus bis ego feliciter usus fui in curatione scorbuti recentis; unum erit vinum antiscorbuticum sequentis formulæ: ℞ *Foliorum Cochleariæ*, *Man.* IV. *Rasuræ Raphani Sylvestris*, ℥. IV. *Ponantur in vase idoneo cumvini albi generosi lib.* xj., vas inde obturatum servetur in loco frigido, & vinum effundatur clarum, quoties opus erit. Alterum remedium est aqua antiscorbutica *Sennerti*, quæ talis est: ℞ *Corticum Tamarisci*, *Fraxini*, *radicis Capparidis*, *Polypodii*, *Radicum quinque aperientium*, *ana*, ℥.*j*. *Gentianæ*, ʒ. VI., *Helenii*, *Corticis Citri*, *ana*, ʒ. *iiij*. *Chamædrios*, *Chamæpytios*, *Cardui benedicti*, *ana*, *Man.* j. *Trochiscorum de Absinthio*, *de Capparide*, *ana*, ℥. j. *Seminis erucæ*, ℥. ß. contundantur, & adde *radicis Raphani Sylvestris lib.* j. ß. *Nasturtii aquatici*, *Cochleariæ*, *Beccabungæ*, *Fumariæ*, *ana*, *lib. iij*., & cum prioribus contundendo misceantur, & *S*. A. digerantur, & *affuso Vini generosi*, *aquæ cuscutæ*, *cardui Sancti*, *ana*, *Q*. *S*. Destillentur, & servetur ad usum aqua, quæ exit. Pauca hæc sint à me dicta pro confirmatione eorum, quæ à Doctioribus Viris, ad curationem istius morbi dicentur, quorum judicio me in totum remitto. Faxit Deus, ut omnia cedant in Ægroti nostri salutem, & utilitatem.

Eventus.

Proposita auxilia penè omnia fuerunt adhibita, nec affectus potuit debellari, imò semper de malo in pejus ruendo, tandem Hydropicus factus periit.

CONSULTATIO CXII.

De Nephritide.

EX his, quæ de adversa Illustris Viri valetudine dicta sunt ab Excellentissimis Viris, ingenio, & conjectura assequi facile licet,

licet, Patientem noſtrum Nephritide laborare, ſiquidem modò gravativo, modò tenſivo, ac modò lancinante dolore circa Renum regionem cum frequenti rubri ſabuli excretione cum lotio vexatur; præterea notatur cruris dextri, in quo latere præſertim dolor ſentitur, ſtupor dolorificus cum nauſea, & totius corporis laſſitudine. Definitur autem iſte morbus, ſenſus triſtis, & moleſtus Renum, partiumque illis adjacentium, proveniens à ſolutione continui partium nervoſarum, facta à materia ſcabra, & aſpera, ſabulo nimirum, & calculis, & exinde facta doloroſa criſpatione fribrillarum Renum, & Ureterum; quod aliquandò verò provenit, ut etiam in noſtro caſu, à lympha acriore nerveas partes vellicante. Partes affectæ ſunt Renes, Urethra, Ureteres, & ipſa Veſica, in iſtis enim partibus ſolutio continui accidit, unde atrociſſimus inſurgit dolor. Cauſa eſt lympha acida acris, & modò coagulans, quæ dum in Renibus, & aliis partibus vicinis continetur, Renes contrahuntur ſpaſmodicè; huic cauſæ anſam dedit hæreditaria diſpoſitio, quatenus ejus genitor Nephritide ſæpè tentabatur, ex quo morbo deceſſit. Ad Prognoſim quod attinet, notandum primò cum *Dolæo*, gravem hunc morbum eſſe, maximè quando hæreditarius eſt, inprimis verò in Sene, ut ait *Hippocrates in Aphoriſm.*: Bonum autem ſignum erit, ſi urina ab initiò mingatur tenuis, & alba; poſtea verò craſſa, & in fundo matulæ arenulæ appareant; indicat enim calculoſas concretiones ſolutas eſſe, & ſic ſalutem ſperari poſſe, ſaltem in morbo præſenti, quia tale ſignum apparet, ut ex relatione Excellentiſſ. Virorum conſtat. Curativæ porrò indicationes erunt corrigere acido-acrem lympham, educere materias tartareas peccantes, & partes affectas corroborare, ut recidiva impediatur; Quæ ut fiant, ad Diætam, Chirurgiam, & Pharmaciam confugere convenit, tanquam ad Artis noſtræ principalia inſtrumenta. Aër ergo ſit temperatus, & lucidus; Cibi ſint boni ſucci, & facilis digeſtionis; laudantur *carnes Caponum*, *Gallinarum*, *Agnorum*, & *Bovum juniorum*, *ova recentia*; Caſeus vitandus eſt, ſicuti & carnes Leporis, & ſuillæ ſale præſertim conditæ, ac fumo induratæ, aves aquaticæ, Anſeres, & Anates, Anguillæ &c. Potus ſit *Vinum tenue*, & *alteratum foliis Veronicæ*, & *ligno Nephritico*. Motus corporis ſit mediocris; Somnus vitetur meri-

meridianus; alvus sit laxa, & aperta, & si talis non existeret arte sollicitanda erit; omnes autem animi motus vitentur, ut sunt Ira, Melancholia, Timor, imò studium ipsum vitetur, ait enim Clariss. *Joh. Michaelis*, *Lucubrationes esse communes vitæ humanæ insidiatores.* Cane igitur pejus, & angue supradicta vitari debent in præsenti affectione. E Chirurgia sumenda erit Phlebotomia, celebranda in pede, & si febris accederet, iteranda, ut & si dolor urgeret, ob metum inflammationis. Pharmaciam quod attinet, primò ad saburras in primis viis existentes eliminandas *potione ex Cassia clarificata* utendum erit; inde quovis mane exhibeatur jusculum, in quo bullierint *radices Cichorei*, *Hordeum*, *radices Petroselini*, *Asparagi*, *flores Alkekengi*, & *semina Peponis incisa*, hoc autem assumatur cum sequentibus pulveribus: ℞ *Rasuræ Eboris*, *Oculorum Cancri præparatorum*, *ana*, ℈.*ij*. sequendo ad plures dies. *Emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum* utiles erunt; *succus inspissatus Portulacæ* ad modum pilularum assumptus laudatur à multis, quod remedii genus commendavit etiam *Crato trium Imperatorum Medicus insignis*, & *sua tempestate Clarissimus*: *oleum Amygdalarum dulcium recenter expressum* assiduè usurpatum, & assumptum mirificè prodest, sicuti *syrupus de Althæa Fernelii*, *aqua Linariæ*, *Alkekengi*, *Hederæ arboreæ*, *florum Malvæ*, & *Anonidis*, necnon *spiritus Vitrioli*, & *Tartarus Vitriolatus*: Conserva etiam sequens addi poterit ad cochleare unum quovis vespere ad multos dies: ℞ *Conservæ Rosarum*, *Malvæ*, *Nymphææ*, *Borraginis*, *ana*, ℥.*ij*. Externè etiam proderit cataplasma sequens. ℞ *Radicum Althææ*, *Liliorum alborum*, *ana*, ℥.v., *coque in aquæ Malvæ quantitate sufficienti*: in pultem redactis adde *farinæ Hordei*, ℥.*ij*. *Vitellorum ovorum*, *num.* *V*. *Croci orientalis* ʒ. *j*. *Olei Chamomillæ quantum satis*. *Misce*; fiat Cataplasma parti dolenti applicandum. Et hæc sunt, quæ dicenda erant pro salute Patientis nostri Illustris Nephritide affecti. Utinam omnia cedant ad ejus salutem, sicuti ex corde precor Deum Omnipotentem, ut longitudine dierum repleat illum.

Eventus.

Multa ex præſcriptis remediis uſurpata fuêre, & tandem ad potum aquæ Brandulæ in Mutinenſi ditione Æger remiſſus eſt, unde ſalutem recuperavit; nunc ſanus vivit, & Deo gratias agit.

CONSULTATIO. CXIII.

De Calculo Renum.

HOneſtus quidàm Civis annorum ætatis LI. temperie calidâ, & ſiccâ donatus, dolorem fixum circa lumborum regionem patitur cum urinâ tenui, aquosâ, & paucâ; arenularum autem copiam cum lotio antea excrevit; cibi faſtidium adeſt cum ſtupore dextri cruris, & aliquandò dolor vehemens, ac pungitivus invadit patientem, ut ſe penè mori ſentiat, cum alvi ſtypticitate; ex quibus colligo, hunc Virum Illuſtrem Renum Calculo laborare; apertè enim hoc docent ſigna prædicta.

Morbus hic definitur à Doctoribus: ſolutio continui in Renum ſubſtantia ab inhærente materia aſpera, & ſcabra, unde dolorofa habetur criſpatio fibrillarum Renum, & Ureterum. Pars igitur affecta in præſenti morbo ſunt Renes, ab harum enim partium ſenſibilium continui ſolutione oritur dolor ille violentus, ac vehemens ſupradictus. Licet autem Galenici velint hujus morbi cauſam eſſe humorem craſſum, & lentum à calore in lapidem exſiccatum; attamen Ego puto eſſe acidum coagulans in Renibus hoſpitans, ex quo lapilli conficiuntur, ſiquidem, ſuadente *Ettmullero*, hoc acidum vitioſum in urina occurrit ſibi obvio alkali volatili, quocum coagulatur mutuò in concrementum arenoſum, ſiquidem ſimul levem terreſtrem ſubſtantiam urinæ permixtam arripit; atque ſic in durum ſilicem invicem abeunt; quod autem ab acido fiat calculus, patet, inquit *Luc. Tozzi*, cùm experiamur quotidie, liquores fere univerſos acidam participantes conditionem in res craſſiuſculas, mucoſaſque inſtillatos momento ferè temporis præcipi-

cipitare compactiores illarum partes in arenulas, aut sabulum, id quod in oleo Tartari, Mercurii, vel Terebinthi potissimum licet videre, si fortè superaffundatur spiritus Vitrioli, aut alius acidus liquor; & eò magis hoc constabit, si, teste *Helmontio*, in urina sanorum latet quidpiam analogum spiritui Vini, quod promovet concretionem lapideam in Renibus; immò à chylo, & à cibo ipso, quo vescimur, terream amurcam, seu tartarum relinqui, undè Calculi in Renibus enascantur. Iste autem affectus periculosus est, tum ob dolores, tum ob vitiatam urinæ secretionem, & inflammationis metum; quod si accidant sudores frigidi in extremitatibus corporis, dum dolor calculi urget, mortem minantur. Indicationes curativæ in hoc morbo sunt, calculos infringere, & ad exitum promovere, dolores sedare, præcavere ne amplius lapilli generentur, vel si gignantur, citò, ne majores fiant, secernantur: Ut autem his indicationibus satisfiat, duplex cura instituatur, una nempè in paroxysmo, altera extra illum: in prima cavendum ne diuretica sint validiora, sed moderata ob metum irritationis, & per consequens inflammationis, ideóque egregiè scripsit Ettmullerus, *quo gravior dolor in paroxysmo est, eo mitiora sunt adhibenda diuretica, ne partes exasperentur*: Sic poterunt exhiberi remedia ex Althæa, oleum Amygdalarum dulcium recenter expressum, & similia, non tantum quia laxant vias, sed etiam quia acredinem tollunt, & inde natos dolores leniunt. Si urgeant febris, & dolor, ob metum inflammationis, Venæ sectionem in pede partis affectæ commendo, & clysterem emollientem, unà cum emollienti fomento ad Renes; & quia præsente Calculo, & dolore nephritico urgente, urina acrior solet secerni, ex qua dolores exacerbantur; inde erunt adhibenda remedia urinæ acrimoniam retundentia, & consequenter dolorem minuentia, ut verbi gratia *Emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum factæ in aqua Malvæ addito pulvere oculorum Cancri præparatorum cum modico Sacchari*. Extra verò paroxysmum utendum est remediis, quæ acidum urinarum, & primarum viarum corrigant, absorbeant, & evacuent; quo circà primò exhiberi poterit *florum Cassiæ noviter extract.* ℥. j. *cum pulveris Cremoris Tartari* ʒ. iij, *& pulvere Liquiritiæ Q. S.* Sicque alvo soluta, *Therebentina Veneta* exhibeatur, quæ omnem movebit lapidem, & omnibus penè indicationibus ipsa sola occur-
 ret.

ret. Utilia erunt ad conterendum Calculum, *Adianthum*, *Chærefolium*; *Hedera terrestris*, *Saxifragia*, *Milium Solis*, *Petroselinum*, *Raphanus*, *Cepa*, dummodo ex his parentur decoctiones frequenter usurpandæ. Nonnulli laudant *Spiritum Salis Ammoniaci*, *Spiritum Urinæ*, *pulverem radicis Ononidis*, *Testas Ovorum calcinatas*, quæ omnia experiri poterunt. *Aquam Nicotianæ viridis* in potu exhibitam commendat *Zacutus Lusitanus Prax. admirand. obs. 66. Hircinum sanguinem* frangere, ac educere lapillos è Renibus docuit *Julius Cæsar Scaliger exerc.* 344. Consulo comedendas jejuno stomacho quovis mane decem Amygdalas Persicorum, vel *pulverem Calami Aromatici ad pondus drachmæ unius*. Externè illiniri poterit Renum regio sequenti unguento: ℞ *Olei Violacei*, *Rosati*, *ana*, ℥. j., *mulcilaginis Althææ extract. in aqua Lactucæ, & Parietariæ*, ℥. vj., *Ceræ albæ Q. S.* fiat S. A. Linimentum, immò *Dominus Panarolus observ.* 2. *Pentec.* 2., jubet inungi partem prædictam *oleo Petrolei* naturali, quod nobis è Mutinensi regione venit. Tandem usum *pulveris Millepedum* commendo ad plures dies, sicuti *aquam Tetuccianam*; quibus omnibus congrua addatur vivendi ratio; quare nec multis, nec variis cibis utatur Æger, & tempus horarum novem inter prandium, & cœnam intercedat, quæ tamen semper sit parca, & levis. A cibis verò crassi succi abstinendum, ut sunt Carnes Suillæ, Bubulæ, ac Anguillæ, Tinchæ, Ostrea, Legumina, Caseus. Vinum sit nigrum, non acidum, & substantiæ tenuis; Vitandus erit decubitus supinus; alvus lubrica servetur; arceantur animi pathemata, ac lætè vivat Æger. Quæ omnia à D. O. M. Patienti nostro salutaria precamur; & hæc dicta pro ejus salute sufficiant.

CONSULTATIO CXIV.

De Incontinentia Urinæ.

NObilis quidam Civis ætatis annorum LXV, temperiei melancholicæ, habitûs corporis macilenti, fusci coloris, gulæ deliciis deditus, & somno indulgens longiori, Urinæ effluvium retinere

tinere non potest, ita ut sæpè involuntariè mingat. Nunc auxilium petit.

Morbus quo afficitur Nobilis iste Civis dicitur mictio involuntaria, seu Urinæ incontinentia, & symptoma est Vesicæ, sive excretionis Urinæ læsæ, quæ invito patiente, seu præter voluntatem effluit. Provenit ergo hic affectus è Sphincteris Vesicæ tali læsione, sub qua orificium Vesicæ claudi, clausumque teneri minimè potest; istiusque causa esse poterit Urina acris, à cujus particulis fibræ sphincteris irritantur, & continuam mingendi stimulationem pariunt ope spiculorum, sive cuspidum ipsas Urinæ acris particulas componentium. In hoc nostro igitur Viro habetur stimulatio ad frequenter mingendum à nimia acredine Urinæ, undè crebrius illam emittere cogitur. Circa Prognosim dico, quia vitium est in fluido, & non in solido, puta in sphinctere; ideo posse sanari judico sola correctione lixivialis Urinæ humoris. Ad quod peragendum, prius leniter expurgatis primis viis, & sanguine è vena brachii detracto ad pondus unciarum x. ad dulcificantia, & specifica deveniendum; ideoque laudo *pulverem Oculorum Cancri præparatorum*, *&* *emulsiones quatuor seminum frigidorum majorum* cum *Crystallo montana præparata*: Tanquam specificum commendatur *pulvis Erinaceorum combustorum*, *Mastiches*; *Tunica interna Ventriculi Gallinæ*; *Balsamum de Copaiba* laudantur à *Zvvingero in sua praxi*, ut & Peruvianum: *aquas Thermales* commendant alii, sicuti *mures elixos* in cibo datos, teste *Joh. Georg. Sommero in Miscell. Acad. Curios. Decur.* II. *Ann.* 2. Hæc, si cum debita diligentia, & recta victus ratione fuerint adhibita, morbus removeri poterit. Ferrariæ 14. Octobris 1728.

Eventus.

Licet nonnulla tantùm ex præscriptis remediis fuerint adhibita, Æger omninò convaluit.

CONSULTATIO CXV.

De Ischuria.

VIr Nobilissimus, ætatis annorum LXIX. boni temperamenti, in rebus autem nonnaturalibus frequenter peccans, pronus de sua naturâ ad Arthritidem, qua non semel in anno afficitur ad plures dies, Anno 1727. mense Maio, die nona, repentè corripitur urinæ suppressione, cum dolore gravativo ad lumborum regionem, parvâ, & exiguâ comitante febre, nullus vomitus, pauca sitis. In consilium vocatus Medicus fomenta emollientia præscribit cum nonnullis diureticis remediis, Vena secatur ad arcendam inflammationem, tandem ad usum catheteris, quo urina retenta educitur, devenitur; Verùm tale tormenti, & periculi genus incassum adhibitum fuit; nam nihil urinæ in Vesica inventum, & frustrà facta fuit hæc periculosa operatio: Auxilium petit.

Cùm duplex igitur sit Ischuria, alia nimirum Vesicæ, alia Renalis; &, ut dicunt Practici, alia Notha, alia Legitima; primò considerandum, quænam sit nostri Illustris Patientis urinæ suppressio; & quia adest gravativus dolor in situ renali, & cùm non adsit tumescentia in Vesicæ regione, immò cùm nullus urinæ exitus per catheterem habeatur, dicendum est, morbum præsentem Ischuriam renalem esse; quæ definitur symptoma, in quo prorsus urina supprimitur ob obstructas ab humore viscido, & crasso arterias emulgentes, atque etiam ureteres; undè impeditur quominùs ad vesicam urina descendat. Probabile igitur est, inquinamenta totius corporis, quæ sæpè in Nobilissimo nostro Patiente per alvum exonerabantur, sylvestribus salibus, & vitriolatis particulis turgida, glandularum renum minimos meatus intercipere, & stagnare, undè urinæ separatio impeditur, imò ipsa viscida recrementa ureteres, & arterias etiam emulgentes infarciunt; sic lotii exitus tollitur, undè oritur Ischuria Renalis in casu nostro. Causæ remotæ istius affectionis sunt errores in rebus nonnaturalibus,

bus, in frigidissimis potionibus, vigiliis nimiis &c.; juvat enim hanc affectionem crudorum humorum copia, qui naturâ vigente per laxos alvi meatus jam excernebantur, sicque retardato sanguinis motu coctiones viscerum non perficiuntur, excrementa non exeunt; undè nihil mirum, si reflui & ad urinæ vias delati, in glandulis Renum & vicinis vasculis intercipiantur, & stagnent, & sic Ischuria fiat. Additur etiam quod pauca urina à sanguine secernitur, & ad vesicam non defertur propter deficientiam spirituum, qui in partes urinæ excretioni destinatas influunt; Sumus enim in ætate gravi, ac senili, & advertendum cum *VValdschmidio*, malum hoc sæpè radicaliter ex ventriculo provenire ab erroribus in diæta commissis, ut in nostro Illustri Patiente. Quoad prognosim, quia in casu nostro Ischuria provenit à viscidis humoribus obstruentibus urinarios meatus, ideò benè sperandum erit; si autem, quod Deus avertat, huic affectui superveniret, vel Tenesmus, vel è naribus emitteretur odor fœtidus urinosus, tunc de morte timendum, ut docuit *Dolæus*: cæterum suppressio urinæ semper est timenda; narrat enim *Ettmullerus in sua Praxi*, Romæ vidisse mortuum Principem ex nimia urinæ suppressione quam neque catheter, neque ulla alia res prolicere poterat; post cujus necem, aperto cadavere, inventus est tumor prostatæ glandulosæ ad radicem penis sitæ: sicuti à filamentis crassis lethalem Ischuriam se vidisse, ait *Zacutus Lusitanus in pract. admir. lib. obs. 64.* Indicationes medicæ in casu nostro sunt, auferre fixationes humorum, cruditates, & inquinamenta luxuriantia, undè viarum urinæ facta libertate, lotii excretio ex naturæ legibus accidat. Ut istis rebus itaque satisfiat, ad tres consuetos Practicæ Medicinæ fontes, quantò citius fieri possit, deveniendum, ut curatio feliciter habeatur. Ex Chirurgiâ ergo desumatur Venæ sectio, quæ necessaria omninò putatur à Clariss. *VValdschmidio*, præsertim ubi vasorum distentio timetur, & ad arcendam inflammationem; institui verò commodè poterit in pede ad uncias decem sanguinis educendas. Clysteres emollientes multùm præstabunt utilitatis; ut & balnea hîc quoque suam præbebunt opem, vel saltem fomenta. Nullum in casu nostro levamen expectandum venit ab usu catheteris; imò obstupesco, Medicum assistentem curationi istius Viri Illustris, absque

que ulla consideratione, inconsultò, & non ritè examinatis signis; quibus scilicet indicaretur urina in vesica, ægrotantem in periculo posuisse, cui subjacet syringæ usus; docet enim *Panarolus*, partes illas sæpè tactas, facile lædi, undè mors infertur; in retentione quippe urinæ syringa minùs dextrè immissa gravia inducit symptomata, convulsionem, inflammationem &c. ut legitur in *Mercur. Compit. Boneti. lib.* IX. Ab istius igitur instrumenti usu omninò abstinendum. A Pharmaciâ desumantur specifica, & diuretica semper mitiora, & suadente *Malpighio*, alvus leniatur ope *Conservæ florum Cassiæ*, bibantur jufcula alterata *foliis Urticæ*, *Malvæ*, *Pilosellæ*, *Agrimoniæ*, *radicibus Graminis*, & *Althææ*, additis aliquot guttis *spiritus Salis Ammoniaci*, & id ad plures dies jejuno stomacho. Exhiberi poterit *pulvis Oculorum Cancri præparatorum*, *Emulsiones seminum quatuor frigidorum Majorum ex aqua Malvæ. Spiritum Therebinthinæ in aqua Anonidis* commendant alii: *Samuel Formius cerebrum Picæ* exsiccatum, & propinatum cum vino albo, tanquam specificum laudat. *Vinum Alkekengi* probat *Arnaldus Villanovanus*; *succum Limoniorum Amatus Lusitanus*; modicum *pulveris Cantharidum Epiphanius Ferdinandus*; undè postea *Bartholinus cent.* 5. infusum *Cantharidum* Ischuriæ remedium ponit, cujus felicem successum non semel vidit; *Cantharidum* nempe *Scrup.* j. *redactus in pulvere*, *infusus in vini generosi unc.* iij. stet in infusione per dies, inde per chartam bibulam filtretur, & ex colato liquore cochlear unum sumatur. *Sal volatile Succini* commendatur à *Sylvio de le Boë*. Sequens fotus tanquam validissimus commendatur à *Donzello*, quem pluries ego feliciter adhibui in urinæ suppressione curanda, ℞ *Menthæ aquaticæ*, *corticis radicis Raphani*, *Parietariæ*, *Mercurialis*, *Betæ*, *ana*, *man.* j. *seminum Malvæ*, *Althææ*, *Fœnugræci*, *baccarum Juniperi*, *ana*, ℥. j. *aquæ communis Q. S.*. Porrò cùm potus Caffè acidum quodvis, & austerum egregiè compescat, & corrigat, parem quoque inter prophylactica sibi vendicat locum teste *VValdschmidio in Prax. Med.* His autem omnibus addenda erit congrua victus ratio ab Excellentissimo Adstante præscribenda, cui omnia, non tantùm executioni mandanda, verùm & corrigenda relinquo. Deus interim vota secundet, & Illust. Viro optatam salutem concedat.

CON-

CONSULTATIO CXVI.

De Stranguria.

MErcator Ferrarienfis annorum ætatis LX. laute vivens, ac fedentariam vitam agens, frequenter corripitur Urinæ ftillicidio, ita ut guttatim urinam cum aliquo dolore, ac pruritu & ftimulo emittat. Ut ab hac ægritudine liberetur meum petit confilium.

Affectus ifte Stranguria dicitur, & definitur, Stillicidium urinæ, quando guttatim urina deftillat, cum frequenti, & dolorifico ad excernendum lotium ftimulo, ut in hoc noftro cafu. Hujus affectionis caufa eft aciditas feri vellicantibus fcatentis particulis, acuminibus quarum cùm feriantur fibrillæ Veficæ, & ejus partium, triftis illa oritur fenfatio, & continuum meiendi defiderium, quod fummoperè moleftat Ægrotantem noftrum. Eft autem morbus ferè fimilis Tenefmo, nam ut hic fe habet in podice, ejufque fphinctere, ita fe habet Stranguria in Vefica, ejufque mufculo conftrictore; cùm enim fucci corporis impuri ad Renes, & Veficam confluunt ferum urinarium depravant, & Stranguriam excitant; hæc enim fit, fuadente *Luca Tozzio in comm. Aphor. Hipp. lib.* 3. *num.* 31. ab acidis acribus fuccis, ut fupra etiam Ego quoque dicebam, qui urinam ipfam acriorem reddunt, & mictui non levem afferunt moleftiam, & tantò magis crefcit hæc affectio, cùm fenilis ætatis adeft imbecillitas. Visâ causâ ad Prognofim accedamus; quapropter dico cum *Dolæo* Stranguriam illam difficulter curari, quæ provenit a nimia feri, & fanguinis acrimonia; attamen, quia eft fine ulcere, fperandum, ope remediorum falutem poffe recuperari. Quæ ut acquiratur corrigenda, & evacuanda erit illa acido-acris materia fanguinem, ac ferum vitians; inde partes Veficæ erunt corroborandæ: quibus indicationibus ut fatisfaciamus ad tres Medicinæ Practicæ fontes eft deveniendum; & primò à Pharmacia communium viarum fiat expiatio ope *Florum Caffiæ cum Cremore Tartari*, ac *pulvere Liqui-*

ritiæ ad dofim confuetam. Pro alterantibus fumatur *decoctum Malvæ* cum *fyrupo Violato fimplici*, *decoctio Braffica rubræ facta cum jure Vervecis*, *&* *Emulfiones quatuor feminum frigidorum majorum*, *vel* ℞ *Syrupi Violati*, *Jujubini*, *ana*, ℥.ß. *fpiritus Therebinthinæ*, *gutt.* v. *aquæ Parietariæ*, *Anonidis*, *Malvæ*, *ana*, ℥.j.ß. *Mifce* & erit præcifè ad mitigandum dolorem. Externè vero fequenti utatur fomento: ℞ *Florum Malvæ*, *Verbafci*, *Violarum*, *Althææ*, *ana*, *manip. j. Seminum Lini*, *Fœnugræci*, *ana*, ℥.*j. Farinæ Fabarum*, ℥.*ij. coque in lacte q. f. fiat Fotus.* Sequens Apozema commendatur a *Dolæo*: ℞ *Rafuræ Ligni Guaiaci*, *Saffafras*, *ana*, ℥.*ij. Salfæparillæ*, ℥.*j. Liquiritiæ*, ʒ.vi. *Florum Verbafci*, *Chamomillæ*, *ana*, *man. femis*, *fructuum Alkekenghi* ʒ.*j. coque in aquæ fontis* quantitate fufficienti: in colatura diffolve *Syrupi Jujubini*, ℥.j. *Mifce*, fiat apozema. E Chirurgico fonte Venæ fectio accipiatur celebranda in pede dextro ad educendas uncias novem fanguinis, & ad alvum follicitandam Clyfteribus ex lacte utendum. Quod verò ad Diætam, cibi fint facilis digeftionis, ut *caro Vituli*, *Agni*, *Pulli gallinacei*, & *avicularum montanarum*, *ova recentia*; convenient *Afparagi*, *Lupuli*, & quantitate modici, lubricantes, & boni fucci. Nocent autem legumina, pifces aceto conditi, muriæ, & falfamenta. Potus fit vinum tenue; & hîc notandum, referente *Burneto in Thef. med. lib.* 16. vinum aliquando ftranguriæ fuiffe remedium. Adfit animi quies, & hæc erant dicenda in cafu propofito, quæ ut fint proficua D. O. M. precor.

Eventus.

Nonnullis ex præfcriptis remediis adhibitis Æger convaluit; nunc fanus vivit, & Deo benedicit.

CON-

CONSULTATIO CXVII.

De Diabete.

SAcerdos ætatis annorum LII. temperiei calidæ, & ſiccæ, poſtquam longo tempore Scabie laboraſſet, & larga vini potione uſus, incidit in copioſam urinam, ſæpè enim mingere cepit, ita ut in die multas excederet lotium libras, & ſuperaret in quantitate potum, quamvis iſte fuerit excedens ratione ſitis intenſæ, quæ Ægrum etiam nunc torquet; Adeſt totius corporis emaciatio, unà cum virium proſtratione, & ſummâ debilitate; febricula adeſt, aliquando capitis dolor, borborygmus in infimo ventre, vigilia, Vertigo per intervalla recurrens, ſudatiunculæ ad veſperam, & aliquando tremores in cruribus. Petit auxilium.

Morbus iſte Diabetes dicitur, & eſt Urinæ profluvium (Hydrops ad matulam ab aliis vocatur, vel Hydrops matulæ, Dipſacos, Diarrhœa in urina) cum continuo, & exuberanti per urinam redditu ejus non ſolum, quod bibitur, verùm plus quam potatur; & eſt paſſio talis, qualis circa alvum Lienteria; propterea *Aretæus* arbitratur hunc morbum eſſe carnium, & membrorum in urinam colliquationem, ob quam ſumma totius corporis macies fit, & copioſior multò urina redditur, quam potus eſt, & ſi modico tempore à meiendo abſtinuerit Æger, tumentque Lumbi, Scrotum, & Ilia: rarus quidem morbus, & à *Galeno* bis tantùm viſus; nunc autem magis familiaris, nam ſæpè à me viſus in Praxi facienda. Signa hujus morbi pathognomonica, ſunt, aſſidua ſiccitas, urinæ copioſum profluvium, corporis extenuatio, viſcerum ardor &c. ut in caſu noſtro; undè clarè patet, Ægrotantem noſtrum affectum eſſe ſymptomate in excretis urinoſis, ſecundùm quantitatem, naturalem excretionem excedentem. Licet autem *Paracelſus* cauſam hujus affectus ponat in ſale reſoluto, & ſciſſo, per ingreſſum acuti ſalis; attamen Ego pro cauſa proxima ſtatuo ſanguinis deliquium, ſive nimiam ſeroſitatem

colliquativam, ac ejusdem compagem dissolutam, procedentem à sale sanguinem in serum præcipitante. Partes affectæ immediatæ sunt Renes, & Vesica cum utriusque intermediis, quatenus mutant cruorem in lotium lacteum cum furore Renum, ut ait *Dolæus*: à sale igitur volatili, & acri insito in humorum massa, ut colligitur à scabie antecedente, & à nimia vini assumptione, præsentem affectionem provenire puto; siquidem in me etiam experior si vinum acidulum assumo, tunc plus urinæ reddo, quàm aliàs. Circà Prognosim dico, hunc morbum in principio de facili sanari; inveteratum autem, & in Senibus raro, & difficulter curari, transit enim in Hecticam, indè in mortem, quam in casu nostro Deus avertat; immò ad consolationem nostri Patientis, multoties iste morbus suadente *Dolæo*, Diæta mutata, sponte cessare solet. Indicationes erunt, Sanguinis fusionem inhibere, fusionem jam factam tollere, viscera corroborare, uno verbo, Sanguinem ad bonam crasim reducere: Quibus ut satisfiat, primò è Chirurgia Venæ sectio sumatur, quam in brachio dextro instituerem, & aliquos clysteres imponerem, si alvus esset adstricta; præter hæc è Chirurgico fonte nihil aliud acciperem, omnis enim spes salutis in Pharmacia, ac Diæta consistit. Quoad primam igitur, *tincturam Smaragdi* commendat *Harttmannus*, & alii *essentiam Croci Martis* à *Crollio* descriptam: Narcotica laudo ut sunt *Syrupus de Papavere*, *Laudanum liquidum Sydenhamii*, aliaque hujusmodi, prudenter enim hæc usurpari ait *Laz. Riverius in Praxi*, undè somnum solito longiorem cum *Foresto* præscripsit *Thom. Burnet in Thes. Med.* Sequens opiata utilis erit: ℞ *Pulpæ Cotoneorum*, *Conservæ Consolidæ majoris*, *Rosarum veterum*, *ana*, ℥.*j.*, *Mucilaginis Tragacanthi*, & *seminis cotoneorum cum aqua Rosarum parati*, *ana*, ℥.ß., *Boli Armenæ*, *Terræ sigillatæ*, *ana*, ʒ.*j.*, *Amyli* ʒ.*iij.* *cum Syrupi Myrthini*, & *Papaveris*, *ana*, *quantum*, *satis fiat*: *opiata*, de qua assumat Æger bis in die, & semel in nocte. Usum *lactis Asinini*, *Gelatinæ Cornu Cervi*, & *Emulsionum quatuor seminum frigidorum majorum* factarum in *aqua Borraginis* pro usu quotidiano commendo, ac propono. *Cæsalpinus* inungit partes renum *Unguento Rosato*. *Pompeus Sacchus aquam calcis* proponit ad unc. V. in die ter sumendam quæ efficiacia sui Salis valeat resolvere salia sylvestria sanguinis,

ut

ut experimur in extrinſecis ulceribus, & ſcabie, quæ extirpantur ab hujuſmodi medicamento; ad cujus exemplum alkalia volatilia, ſed oleoſa erunt etiam proficua, ut ſunt *Oleum Cornu Cervi*, *Carabes*, & ſimilia, cùm videamus aquas fortes alkalibus demulceri. Ego autem hoc remedium nondum expertus ſum, & ex mente *Dom. Sacchi* tantùm propono. Mirabilis ſolet eſſe *tinctura Martis*, ſi *Joh. Forti* credendum in *tom.* 2. *Conſ. cent.* 3. *num.* 79. Cæterùm *ſucci Cichorei*, & *Sonchi depurati* requiſitam Sanguinis texturam conciliabunt, & ſalium erodentium activitatem imminuent. *Pulpam Tamarindi* una cum *ptiſanâ Hordeaceâ* bis, aut ter in hebdomada convenire ait *Malpighius*, quoniam fortaſſe aliquem ichorem per alvum dejiciet, ſimulque corroborabit. Balneum aquæ dulcis convenire poteſt teſte *Saxonia*, & *tinctura Coralliorum* ſuadente *Franc. Sylvio de le Boë*. Sequens remedium præſcriberem, quod ſummè laudat *Gul. Fabritius Hildanus*: ℞ *Radicis Tormentillæ*, *Biſtortæ*, *Symphiti Majoris*, *Plantaginis*, *ana*, ʒ. *ij.*, *foliorum Agrimoniæ*, *Veronicæ*, *Roſarum rubrarum*, *ana*, *Man. ſemis* coquantur in aqua ad tertiæ partis conſumptionem, in colaturæ ℥. ij. diſſolve *Syrupi de Roſis ſiccis* ʒ.*ij.* *Cornu Cervi uſti*, *Corallii rubri præparati*, *trochiſcorum de Spodio*, *ana*, ℈.*j.* Miſce fiat potio. Sudorem provocandum cum aqua tepida laudat *Platerus*. Tandem abſtineat à vino, ejuſque loco potare poterit *aquam Nucerinam Chalybeatam*, *ova ſorbilia*, *olera refrigerantia*. *Celſus* æſtate frigidam potionem, hyeme calidam laudare videtur. Hæc autem habebam pro ſalute Reverendi Sacerdotis noſtri Patientis, pro cujus ſalute Deum rogo.

Eventus.

Licet multa ex prædictis remediis, præter alia à Medico Ordinario propoſita, adhibita fuerint, creſcente tamen ſemper corporis macie, tandem Sacerdos obiit.

CONSULTATIO CXVIII.

De Ulcere Vesicæ.

HOnesta Veneta Mulier ætatis annorum 33. bonæ temperiei, post multas febres, dolores articulares, abortum, stomachi passiones, aliaque prava symptomata, de repentè tumore ad aurem sinistram afficitur cum dolore, ità ut Chirurgus parotidem citò suppurandam judicaverit; verùm contrarium accidit; nam nocte sequenti subortâ magnâ, ac turbidâ urinæ excretione evanuit tumor, & paucis elapsis diebus, dolor in parte inferiori abdominis subortus est, unà cum febri violentiori; post quam sequuta est saniei fœtentis cum urina excretio; ex quo in vesica ulcus; siquidem *Hippocrates in aphor.* 81. *Sect. IV.* ait, si quis sanguinem, aut pus minxerit, aut squammulas, & odor gravis adsit, vesicæ exulcerationem significat: de quo affectu inquit Claris. *Joh. Fortis in Consult.* febres, dolores, vigiliæ, colliquationes, & ni rectè curetur, interitus succedere solet. Itaque ulceri quantò citiùs poterit incumbendum, ne altiores agat radices, & detergentibus, ac simul leviter cicatrizantibus utendum erit, & hoc non solùm in remediis assumendis verùm etiam in vesicam injiciendis; quocircà *Terebinthum* laudo *ad* ʒ.j. quovis manè jejuno stomacho sumendum cum potu *aquæ Hordei*, in qua prius bullierint *Salsæparillæ*, *Chinæ radix*, & *Liquiritia*, ad multos dies; Injiciatur autem *aqua Tetuccii*, vel si ista ad manus non sit, aqua in qua bullierint *flores Hyperici*, *Malvæ*, *Acaciæ*, & *Hypocistidis*, addito modico *balsami de Copaiba*: Nonnulli commendant usum aquæ Brandulæ, quæ est in Mutinensi ditione; Victus ratio congruens sit, media inter humectantem, & exsiccantem, præscribenda à Medicis Venetis præsentibus, atque assistentibus, quibus Excellentissimis Viris Dominis meis præstantissimis pauca hæc à me dicta corrigenda lubens committo.

CON-

CONSULTATIO CXIX.

De Pollutione Nocturna.

CIvis ætatis annorum XXVI. temperie calida, & ficca prædi-tus, fufci coloris, gulæ deliciis deditus, fomno indulgens lar-giori, & tabaco, ac fpiritu vini abutens, imprimis infomnia ve-nerea paffus, & alto fepultus fomno, notat involuntariè femen fe-cerni bis, vel ter in hebdomada; oculi aliquandò caligant; mœf-titia corripitur; ac memoria aliquantisper vacillat: cùm verò pe-jora timeat confilium petit.

Morbus ifte à Græcis Ἐξονείρωσις vocatur; Pollutio verò noctur-na à Latinis, five feminis in fomno excretio, & eft fpecies Gonor-rhœæ, ut placet *Brunoni in Lex. Med.* Definiri autem poteft ex-cretio feminis cum voluptate dormienti, & fomnianti eveniens, cujus figna pathognomica funt fomnia Venerea cum feminis ex-cretione. Jaculatio autem ifta feminis fit imprimis, fi Æger in dorfo decumbat cum Virium imminutione, & juxtà *Bened. Syl-vaticum* vocatur *Oneirogonia*, & eft fymptoma in exeretis ratione & malæ qualitatis feminalis materiei, & ratione copiæ, adeft enim feminalis liquoris turgefcentia, fermentatio, & ad excretionem pa-rata facilitas fimul ac calor motor acceflerit, & agitatio, quæ omnia maximè foventur ab ætate Juvenili; quinimò fomnus longior accedit, & decumbendi modus fupinus; hic enim vafa fanguinea majora incalefcere facit, præcipuè poft mediam noctem peracta concoctione. Animus autem in noftro Patiente eft mœftus ob de-bilitatos, ac perturbatos animales fpiritus, ab his enim naturaliter conftitutis toti corpori alacritas, ac promptitudo conciliatur. Cau-fa igitur iftius affectionis confiftit in nimia aperitione, & relaxatione porofitatum glandularum poftatarum, & teftium & veficularum fe-minalium verfus urethram, per quas hiantes porofitates feminalis ma-teria facilè labitur; & poteft etiam dari, femen effe nimis fluidum, ut per apertas porofitates facilè exeat cum aliquali titillatione ob particulas falino-volatiles ejufdem feminalis materiei. Nunc, ut

foli-

ſolitam obſervemus methodum conſultatoriam, ad Prognoſim gradum faciamus. Dico igitur, Pollutionem nocturnam ex ſe non admodum periculoſam eſſe, & ſpeciatim in noſtro Juvene innoxiam Ego fore prænuncio. Indicatio curatoria ſuadet, roborare vaſa, & poroſitates ſtringere, ſeminis copiam minuere, ejuſque acrimoniam cicurare, & particulas ſalino-volatiles retundere, atque ut ita dicam edulcorare. Quæ ut habeantur ad Chirurgiam, Pharmaciam, ac Diætam confugere conveniet: & ut à prima exordiar, miſſionem ſanguinis in brachio inſtituendam ſuadeo ad uncias decem cruoris hauriendas; & ſi alvus adſtricta ſit clyſteribus humectantibus utendum erit. Cucurbitulæ ſcarificatæ prodeſſe poſſunt, quæ leviter ventilabunt, & ferventem cruorem temperabunt; nec ullus aderit timor, nam ſumus in ætate juvenili, & in viribus ſatis conſtantibus. Ex Pharmacia primò lenienti remedio utendum ad primas expurgandas vias, ut poterunt eſſe *flores Caſſiæ*, & *pulpa Tamarindorum.* In numero præparantium erunt juſcula alterata *foliis Malvæ*, *Cichorei*, & *Endiviæ* unà cum *pulvere Oculorum Cancri præparatorum*; *Emulſiones quatuor ſeminum frigidorum majorum* utiles erunt. Uſus *lactis Caprini* juvabit, ut & potus *aquæ Brandulæ*, quæ eſt in ditione Mutinenſi, cùm tamen tempus proprium erit. Adhiberi inſuper poterunt omnia ea, quæ intrinſecè, & extrinſecè ſemen extinguunt, præſertim veſperè ante cœnam; primi ordinis ſunt *Agnus Caſtus*, *Ruta*, *Ireos*, *ſemen Cannabis*, *Carabe*, *Lactuca*, *Portulaca &c.* Secundæ claſſis ſunt *Unguentum Roſatum Meſves*, *Santalinum*, *Populeonis*, *ſucci ſempervivi*: Lumbis alligatam laminam plumbeam optimam eſſe ait *Joh. Michaël. Prax. ſpec.* Nec præteriri debet, ſuadente *Simon. Paulli Quad. Dotan. fragaria* in vino rubro cocta, & pectini, & pubi impoſita; efficax enim eſt contra nocturnam Pollutionem; quin & *Smaragdum* in annullis geſtatum bonum eſſe aiunt nonnulli. His omnibus tandem congrua victus ratio erit addenda, quæ tamen rectè corpus valeat nutrire. Abſtineat Æger à potu vini generoſi, nam *ſine Baccho friget Venus*: fugiat acria, ſalſa, flatulenta, decubitum ſupinum. Alvus lubrica ſit, alacriter vivat; abſtineat à venereis confabulationibus. Pro potu, vel aqua, vel tenui vino utatur. Somnus ſit moderatus, evitet quietem nimiam; motus autem

autem modum non excedat. Amor, & libido exulet, & castitati sermones, cogitationes, oculi, & aures consacrentur. Cogitet demum Juvenis noster de conjugio legitimo, ex quo certè evadet à Pollutione nocturna immunis. Et hoc erit conveniens remedium. Summus autem Deus omnia præscripta salutaria faciat.

Eventus.

Multa ex præscriptis remediis fuêre usurpata, & viginti dierum spatio pristinæ sanitati restitutus fuit Æger.

CONSULTATIO CXX.

De Gonnorrhœa.

ADolescens annorum 21. re habita cum meretrice, paucos post dies sensit calorem in pene, & exinde materia penè seminalis involuntariò exibat cum virium prostratione, oculis concavis, & corporis macie; ex quibus indiciis manifestè constat Adolescentem hunc Gonorrhœâ virulentâ laborare, cùm adsint omnia hujus morbi signa diagnostica; interrogatus enim Æger, respondet se frequenti meiendi libidine torqueri cum exitu materiei coloris flavi, & subviridis, ex quo dolor in canali urinario excitatur, atrociùs sæviens in mictione ipsa, & in penis erectione. Causa hujus morbi delitescit in partibus seminis asservationi dicatis, quatenus laxitatem, & continui solutionem patiuntur; Gonorrhœa enim dependet à Gallico fermento hausto per coïtum cum infecta muliere, quæ in vagina ulcera habet. Subjectum autem hujus affectionis sunt prostatæ; observavere siquidem Doctores in Gonorrhœâ virulenta denatis prostatas glandulosas ulceratas, & quasi excoriatas, cùm enim in coïtu incalescunt partes genitales, tunc acria, ac venerea miasmata exhalant ab ulceribus vaginæ uterinæ, & se insinuant in urethram, penetrando in prostatas, hinc mediante fermentatione inquinant lympham dictorum locorum, quæ consspurcata acescit, & ob virulentiam valdè à naturali statu recedit,

& ſic a tali venereo ichore liquor ferè ſeminalis corruptus pedetentim effluens, urethram, & præputium inquinat, ex quo ſymptomata ſuperiùs dicta oriuntur. Ad Prognoſim quod attinet, dico malum hoc in principio leve eſſe, ſed in progreſſu temporis, exulcerationes augendo, poteſt glandulas ipſas abſumere; immò ſerpere per ipſa vaſa præparantia, & teſtes ipſos inquinare, necnon unà cum ſanguine circulando corpus univerſum contaminare magno cum ſalutis detrimento. Igitur quantò citius poſſit fieri, cura inchoanda eſt, & remedia adhibenda, in tali enim caſu valdè quadrat illud Poëtæ.

Principiis obſta, ſero medicina paratur.
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Indicationes ergo curativæ ſunt, venereum acidum peccans corrigere, partes affectas abſtergere, atque conſolidare; immò maſſam cruoris purificare; quæ ut ritè habeantur ad conſuetos Medicinæ fontes deveniendum; & primò ad Pharmaciam, ex qua valebit ſequentia remedia deſumere; Et primò ad communes expurgandas vias uti oportet *floribus Caſſiæ ad* ℥. j. *cum pulvere Cremoris Tartari, & Liquiritia cum tribus granis Mercurii dulcis optimè præparati*: Pro alteranti utatur Æger *juſculo chalybeato*, in quo bullierint *Cichorei, Malvæ, & Oxalidis folia*, addendo *pulverem Salis Abſinthii & oculorum Cancri præparatorum. Emulſiones quatuor ſeminum frigidorum majorum* factas *in aqua Malvæ* ſæpè aſſumendas commendo ad diluenda ſalia eroſiva, quæ luxuriant in Gallica lue. Sequentem bolum per quinque dies capiendum mane jejuno ſtomacho, expertus in facienda praxi, laudarem, ex quo mitigatas Gonorrhœas pluries vidi: ℞ *Therebinthinæ Venetæ*, ʒ. iij. *Rhei pulveriſati* ʒ. j. *fiat bolus S. A.*, & ſuperbibatur juſculum, in quo bullierint *folia Malvæ, Lactucæ, & Plantaginis.* Rotulas noſtras ad Gonorrhœam uſuales valdè proficuas in tali caſu experientia monuit, quarum deſcriptio in *Miſcell. Curios. Decur. III. ann. 9. pag.* 267. Verùm quia perſeverante morbo, & incluſi in proſtatis humoris turgeſcentia, ſolutio continui fieri debet, cujus rupturæ indicium eſſe flavedinem, qua Gonorrhœa tingitur, aſſerit *Clariſſ. D. Jacob.*

Ver-

Vercellonus Amicus, *& Patronus meus magnus cap.* 3. *de Mentulagra*; Ideò nonnullas guttas *balsami de Copaiba* in liquore aliquo appropriato quovis mane assumendas laudarem. Caffè potum juvare posse asserit *Malpighius*. His addenda erit *aqua Stibiata*, dummodò pertinax morbus consisteret. Quoad Chirurgiam, nisi unicam Venæ sectionem in pede ad sanguinis uncias X. hauriendas, adhiberem. Victus ratio tandem rectè instituenda erit, & cum cibo *pulveres Cancrorum* sumantur ob dulcificationem humorum peccantium. Fugiat Ægrotus noster crapulam, & amet simplicitatem ciborum; abstineat à condimentis, ab acidis, & salsis; poterit tamen uti in cibo *Croci* conditura si *Malpighio* credamus in *sua Consult*. 80. Hilariter vivat, & vinum potandum paretur *foliis Salicis*, *& Santalo rubro*. Quæ omnia Ægro nostro salutaria precor.

Eventus.

Auxilia proposita fere omnia studio, ac diligentia administrata fuere, & post 40. dies pristina salus recuperata fuit; nunc sanus vivit.

CONSULTATIO CXXI.

De Lue Gallica.

VIr annorum 40. Gallicam contraxit Gonorrhœam, cum vagis doloribus totius corporis, & specialiter articulorum, qui dolores præsertim vesperè exacerbabantur, ex quo communiter Lue Gallica affici judicatum est. Auxilium petebat.

Morbus Gallicus, qui duobus abhinc sæculis in nostra Italia strages fecit, introducitur in corpora nostra medio congressus venerei cum infectis, sive masculis, sive fœminis, & in actu concubitus corpori communicatur aura quædam maligna effluviorum acido-acrium, quæ cruorem invadens, ejusdem turbat crasim & ope suæ aciditatis aliquantulum fixando, minuit ejus motum naturalem, non tantum circularem, quantum fermentativum, qui est

motus perfectivus ejusdem, cujus medio Sanguis indesinenter agitando suas partes, semper separat particulas excrementitias, eas disponendo ad segregationem, medio successivæ percolationis, quæ fit in variis emunctoriis à natura in diversis nostri corporis partibus dispositis, & ita circulationis lege colatur, & depuratur cruor; & hæc tam necessaria functio, aut impedita, aut retardata ratione vitii cruoris, id est nimiæ fixationis, partes excrementitias segregandas, ac percolandas retinet in sanguinea massa, undè istæ remanentes semper magis depravant ipsius cruoris consistentiam, quæ depravatio, seu dyscrasia in dies semper crescit, & ita Sanguis semper magis à statu suo naturali deviat, adeò ut habilis amplius non fiat ad Chylum assimilandum. undè oritur Cacochymia, atque ratione fixationis semper majoris, quæ in dies fit, oritur tenuiorum partium, id est seri vitiati secretio mordicantis, & corrosivi, quòd latum ad partes, & maximè ad articulos, vellicatione sua dolores atroces, & contumaces parit, & aliquandò aliqua portio ejusdem fixata ab aura acida, & maligna, quam suprà dixi, apud periostium, inducit tumores, tophos, gummata non sine gravi ægrorum molestia, & interdum sistens in partibus vel carneis, vel glandulosis, eas corrodit, & ulcera pessima inducit. Circa Prognosim notandum, talem affectionem periculo non carere, maximè si altas egerit radices, verum cùm in nostro casu Lues non sit adulta, aliquid boni sperandum erit. Ad talem superandum affectum antiqui Medicinæ Magistri longam remediorum seriem exhibuere, quæ tendit ad tollendam Cacochymiam, curantes dissolvere Sanguinis massam, eamque attenuare, & ad naturalem crasim reducere: id est liberam, & facilem, ac permeabilem illam reddere, ut sic efficere queat duos perennes suos motus, fermentativum scilicet, & circularem. Ad hoc ergo assequendum primò corpus in nostro casu communi expiatione purgandum erit, inde decoctum sudorificum adhibendum, ut scilicet Sanguis hujus ope dissolvatur, fundatur, & liquetur, quòd sanè facilius obtinetur ope sudoris; hinc postea fusus, & fluidizatus cruor facile à se expellit excrementitias particulas, ac virulentas moleculas, undè paulatim ad suam naturalem crasim restituitur & salubrem statum acquirit. Poterit ergo exhiberi *Potio Magistralis Solutiva ad uncias sex*,

sex, inde per dies aliquot jusculis alterantibus uti; pariter Sanguinis missio erit celebranda, quatenus hæc attenuat cruorem, & promptiorem eum reddit ad motum, pariterque massa cruoris per hanc operationem minuitur, ne scilicet per calorem Vaporatorii instituendi nimis in vasis turgesceret, & dilataretur pro sui nimia attenuatione, quæ pericula arcet Venæ sectio. Mox decoctum Salsæparillæ per mensem adhibendum, in cujus medio sudationes arte parandæ erunt per octo dies; inde medicamento purganti utendum, ut verbi gratia *Pulvere Hermodactylata*; quod si talibus non cedat remediis, aquam stibiatam vulgò dictam *del Pomponazio* per mensem assumat absque Vini potu; ex usu enim hujus aquæ plures Lue Venerea affectos sanatos vidi. Diæta rectè observanda erit, quam sicut cætera omnia Excellentissimi Viri Curantis optimæ administrationi committo; ut optatam sanitatem consequi noster Patiens valeat, quam ex corde à D. O. M. precor.

CONSULTATIO CXXII.

De Articulari Dolore.

EX vocali relatione Medici intelligo, D. N. N. Civem nostrum ætatis annorum XLIX. Articulari dolore interdum mitiùs, interdum acerbiùs torqueri, à quo, ut liber, ac immunis evadat, consilium petit. Dolore Articulari Ægrum nostrum corripi certum est juxtà *Hippocratem* à bile, & pituita connato, qui fluida vitiare possunt. Definiri, vel potiùs describi potest juxta *Brunon.* in *Amalth.*, hic morbus, quod sit exquisitus dolor circa partes nervosas articulorum cum vel sine inflammatione, & tumore à solutione continui proveniens per particulas salinas diversi generis, sibique valdè contrarias acidas fluidas succi nervosi, & lixiviosas, tartareasque succi nutritii cum sanguine arterioso delati mixtas, & effervescentes factâ: undè patet idea, & causa mali: probabile autem est, primâ coctione non ritè absolutâ, cruorem tartarea materia, & salibus sylvestribus scatentem non benè volatilizari, & successivè, ut docuit *Clariss. Malpighius* transpiratio-

 nem

nem debita felicitate non subsequi, unde cùm dicta inquinamenta non sufficienter volatilizentur, necessariò in articulis intercepta subsistunt. Cùm Civem nostrum prudentem, ac obedientem habeamus curandum, nec ullus tophus hucusque in articulis coacervatus sit, ideò curatio, & præservatio speranda erit ope remediorum infrà describendorum. Indicationes medicæ sunt, depurandi humores à supradictis recrementis, juvandi concoctiones, firmandi, & roborandi articulos, & prohibendi novas congestiones: Quæ ut assequantur ad Pharmaciam, Chirurgiam, ac Diætam festinandum est: & ut à prima exordiar, opus est ad alvum solvendam *speciebus Hermodactyli ad scrup.* iiij. in jusculo sumptis, quod remedii genus reiterari potest, inde enim magnam utilitatem in Arthritide vidi. *Decoctionem ex ligno Lentisci, Sassafras, radice Chinæ, & Salsæparillæ* summoperè laudo ad multos dies assumptam. *Lac* esse unicum Arthriticorum solatium aiebat *VValdschmidius in Mon. Med.*, undè prodesse etiam poterit *Saccharum Lactis Dom. Testi* Amici mei, dum viveret, suavissimi, Venetiis denati magno Reipublicæ Medicæ damno. *Succi depurati Cichorei, Borraginis, Agrimoniæ ad unc.* iij. per multos dies commendantur à *Joh. Forti.* Articuli foveantur aqua vitæ, & si dolor urgeat, inungantur *oleo ex Vitellis Ovorum*, vel *urinâ Pueri* humectentur. *Serum Caprinum* cum *stibio diaphoretico* per plures dies exhibet *Malpighius in Consult*; qui in dolore acerbissimo apponit sequens remedium: ℞ *Aquæ vitæ in qua dissolvatur Opium ad drachm.* ij. *& Camphoræ, drachm. semis.* Pro roborandis partibus affectis ad vinacea confugiendum, vel ad fotum ex visceribus animalium nuper mactatorum. Totius curæ negotium in diæta consistere putat *VValdschmidius*; ita ut ex Chirurgia vix unam missionem sanguinis tolerarem, licèt sint aliqui, qui doceant, Fonticulos etiam plures convenire. Quibus omnibus addatur commoda victus ratio, multo tempore post remedia continuanda: vitetur ciborum varietas, & nimia repletio: vinum sit album, tenue, non acidum: caveat Æger à carne Agnina, Leporina, Suilla, & avium in locis paludosis degentium, & ab acetariis. Fraga, Cerasa rubra, Persica, Amygdalæ recentes, Peponesque concedi possunt: Caseus omninò prohibeatur: Oryza, & Hordeum utilia sunt, ut ex oleribus Cichoreum, Borrago,

rago, Braſſica, Endivia &c. Cavendum ab Allio, Cepis, & aromatibus. Tandem abſtineat ab applicatione, maximè repleto ventre. Hilari animo vivat.

Eventus.

Licèt propoſita remedia univerſa adhibita ſint, nihilominus Æger ſuis doloribus articularibus tentatur, & præſertim hyemali tempore, ita ut nec minimum levamen ſentiat; & adhuc in eâdem adverſa valetudine reperitur.

CONSULTATIO CXXIII.

De Rheumatiſmo.

Affectus, qui præſentem Virum exercet, quantum conjectura aſſequi potui, nullus alius eſt, quam Rheumatiſmus, qui ex variis erroribus in ſex rebus naturalibus ortum habuit, ut eruditè ex hiſtoria a Dominatione Veſtra Excellentiſſima exarata, & heſterna die mihi tradita, colligitur; ſuper quo affectu meum petitur judicium.

Quamvis igitur latè acceptus Rheumatiſmus pro omni fluxione habeatur, attamen hodie reſtringitur ad certum aliquem affectum mixtum ex Catarrho, & Arthritide,& forte ita deſcribi poteſt; quod ſit dolor partium muſculoſarum, membranarum, glandularum, ac perioſtiorum, cum febre erratica lenta, languore &c: cujus cauſa eſt Cacochymia ſcatens ſalinis particulis in cruore, & ſucco nerveo, & adjunctis flatibus, quæ quartam Catarrhi ſpeciem conſtituunt: eſt autem affectio Arthritidi affinis, in qua non tantum articuli, ſed etiam muſculi, eorumque membranæ atroci torquentur cruciatu, & aliquando etiam Ventriculus, Inteſtina, & aliæ internæ partes condolent. Quod ſpectat ad Prognoſim, affectio hæc rarò, aut nunquam vitæ periculum affert, ſed tantùm infert longam moleſtiam, & ad plures menſes perdurat, maximè ſi ſit ſine febre, ut in caſu noſtro. Si ſupervenirent ſudores, bonum eſſet; ſicuti ſi multæ urinæ, & craſſæ prodirent. Curationem aggre-

grediamur, primò Venæ ſectio inſtituenda in brachio dextro ad uncias decem Sanguinis extrahendas, inde evacuatio per alvum tentanda erit, vel *ſyrupo Aureo* Solutivo, vel *potione ex Manna*, vel *Caſſiâ*. Pro alterantibus autem utendum erit *decocto Borraginis*, *Betonicæ*, *Graminis*, *addito Elixire Proprietatis ad gutt. X.* pro qualibet die: Hinc blanda remedia per epicraſim purgantia non ſine fructu præſcribenda erunt, ut ſunt *Syrupus de Cichoreo cum Rhabarbaro*, *Syrupus Cachecticus Fernelii*, *pilulæ Gelii*, vel *de Aloe*. Sudorifica poſſunt utiliter exhiberi ſub veſperam, ut nocte in ſomno ſudor promoveatur, & hoc poſt debitas purgationes; & eſſe poterit *decoctum Chinæ Chinæ*, *Salſæparillæ*, *Saſſafras &c.* *Tincturam Corallii* laudat *Riverius*. Pro potu ordinario exhibeatur Ptiſana deſcripta à Domina *Foucquet* in ſuis arcanis vel ſequens aqua: ℞ *Aquæ fontis*, *lib.* CC. *Panis albi*, *lib.* viii. *Baccarum Juniperi contuſarum*, *lib. X.* *corticem ſex Limoniorum*, *ligni Quercini inciſi*, ℥. vi. infunde per xx dies, poſt coletur, & pro potu ordinario ſervetur vice vini. *Conſervam Cochleariæ* præſcribit *Thom. Sydenham de morb. curat*; *Et Mangetus in Bibliot. Med. pract. lib.* 15. Hîc autem accedat idonea victus ratio, ex cibis boni ſucci, & juſculis conſummatis, & omnia ſumenda erunt in mediocri quantitate; præſertim verò aëris inclementiam vitet, & ſic curari poſſe noſtrum Nobilem Virum ſpero, quod illi quamprimum concedat D. O. M., ut ex corde precor.

Eventus.

Multa ex præſcriptis remediis experta fuere, & præſertim *decoctum ex Salſaparilla*, *& Chinæ radice*, quibus demum favente Deo ſaluti fuit Æger reſtitutus, nunc Cœlo mutato ſanus vivit.

CON-

CONSULTATIO CXXIV.

De Signo Deflorationis.

CAsum mihi proponis, Vir Illustrissime, super quo requiris quid sentiam: De Puellâ videlicet XI. annos nata, quæ defloratæ Virginitatis proprium Consobrinum accusat; commendo utique Judicem prudentem, qui in tanti criminis veritate indaganda non properet, nec facilè credat, cùm Puellæ instabilitas, ac levitas sit parvi pendenda. In re igitur controversa interrogantur Medici, Chirurgi, & Obstetrices, quæ Puellæ hujus abdita intueantur, contrectent, & ferant judicium. Hinc aliqui Medicorum negant defloratam fuisse, at mulierculæ Obstetrices Puellæ abdita observantes, contrariæ sunt opinionis, & puellam defloratam fuisse volunt. Quæritur igitur, an Medicis, vel Obstetricibus magis sit credendum, ad verè fundandum delictum. Et hîc primò dolendum est, viles fœminas cum Medicinæ Doctoribus audere contendere, imò tanti æstimari illarum testimonium, ut Medicorum assertiones, si non convellere, saltem apud Judices in dubium revocare queat; ut hoc anno 1725. apparuit in muliere carceribus detenta ob adulterii metum, quam non esse gravidam constanter asserebant duæ viles Obstetrices, quarum judicio sistens Judex, non sine abortus periculo in carcere detentam vexabat; at domestici ejusdem me in consilium vocàrunt, qui carcerem intrans eam esse gravidam comprehendi, inde data per parentes ejus fidejussione ad domum propriam deportata, post duos, aut tres menses masculam prolem peperit contra sensum Obstetricum. Mea igitur sententia est, nullam prorsus istis mulierculis dandam esse fidem, & præsertim in nostro casu. Signa enim deflorationis sunt incerta, & fallacia, ita ut si aliquis ad virginitatem dignoscendam quid certi promitteret, temeritatis notam incurreret. Signum enim præcipuum Virginitatis dicunt esse Hymen, membranam scilicet, quæ in medio cervicis uteri reperitur; quam non dari certum est, ut oculatiores Anatomici observarunt. Sciant ergo

go Judices, ait *Vincent. Alsar. Crucius in cent. 4. suar. Epistol.*, hujusmodi signum nullius esse roboris, quoniam hæc membrana inter aniles fabulas est reponenda; immò referente *Graafio* si reperiretur talis membrana in aliquibus virginibus, esset contra naturam, & incisione opus esset, ad hoc ut actus generationis sine difficultate haberetur; ideòque Hymenis membranam imaginariam tantum esse scripsit *Petr. Dionis in sua Anatom.*; quod si aliquis dicat, indicare hanc membranam Sanguinis effusionem, quæ in primo virginis congressu venereo erit, respondebo, dolorem, & Sanguinem haberi, quia penis angustam uteri vaginam extendit, & vasa per eam diramata lacerat, undè prosilit cruor, de qua re *Claudianus*

Et vestes Tyrio sanguine fulgidas
Alter virgineus nobilitet cruor.
Tunc victor madido prosiliat thoro
Nocturni referens vulnera prælii.

Si ergo Obstetrices ad hymenis membranam sua dirigunt judicia, colligere facile erit, vana, ac futilia esse, cùm melioris notæ Anatomici nunquam talem membranam vidisse fateantur. Rectè igitur *Melch. Sebizius* docuit, nullius momenti in hac re esse Obstetricum testimonia, quia rerum anatomicarum sunt ignaræ, & nihil aliud sciunt, quam fœtum excipere gremio, umbilicum scindere, & ligare, & alia levioris momenti præstare: virginitatem verò explorare difficillimum esse monuit ipse *Cujacius*, quandoquidem idem quoque confirmare videntur *Capivaccius*, *Augenius*, *Fernelius*, & alii, qui pro figmento hymen habuerunt, & dubia semper esse virginitatis signa dixerunt, communia enim sunt, & æquivoca; possunt siquidem haberi iidem effectus tàm à virili pene, quam ab ipsius puellæ digitis, vel instrumento aliquo; ut notat *Zacchias lib. 9*: Quapropter audacissimi mendacii insimulandæ sunt Obstetrices, dum cognoscere volunt per quædam signa, ut ipsæ aiunt, deflorationem alicujus Virginis, contra sententiam, & authoritatem Doctorum, inter quos præsertim videantur *Ambr. Pareus*, *Joubertus*, *Augenius*, *Codronchius*, *Valesius*, *Sanchez*, & alii plures.

res. Et profectò non potest talium Obstetricum petulantia tolerari, cùm dicunt, se observasse vulvæ orificium dilatatum; à mensium enim fluxu, vel ab aliis caussis extrinsecis humectari, relaxari ac dilatari potest; sicuti obliteratio rugarum vaginæ potest evenire ex perenni fluxu mensium, quem anticipasse audio in præsenti puella undecim annorum, & mensium decem; ut ex Epistola tua, Vir Præstantissime, colligitur. Ulterius explorationem Virginitatis etiam de Jure Pontificio fallacem esse, ait *Sebizius*, cum *Abbate Panormitano*; undè credendum, nullo certo signo distingui posse virgines à mulieribus; ergo pertinacis erit ingenii (sunt verba *Fortunati Fidelis de Relat. Med. lib.* 2.) tot celeberrimis Medicinæ Authoribus adversari, atque obstinatè contendere perpetuam esse cunctis Virginibus Hymenis membranam, certumque Virginitatis indicium inde sumi licere. Vanam esse etiam constat conjecturam *Michaelis Scoti* de Virginitate probanda ex observatione naris; manente enim, ait *Scotus*, Virginitate, cartilago pinnulæ nasi sentitur indivisibilis, sed si est violata sentitur partibilis. Pariter dico, vanum esse signum ex collo, dum enim prima nocte virgo jam nupta erat cum conjuge concubitura, antequam thalamum ingrederetur, colli ejus circumferentiam ducto filo metiebantur, manè autem, si latius collum quam ut eodem filo comprehendi posset inveniebant, defloratam jam inde concipiebant nimis creduli Ethnici, undè *Catullus* cecinit:

Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo

Fuerunt alii, qui ex urina signum deflorationis sumpserunt, sed quàm inaniter, judicent sapientiores; ab urina enim esse impossibile Virgintatem deperditam conjectari ait *Sinibaldus Geneanthr. lib.* 4. Similiter quæ de Gagate lapide narrat *Porta* ad explorandam Virginitatem pro nugis habentur. Ex quibus omnibus arbitror, spreto Obstetricum judicio, nihil certi ex observatis circa abdita nostræ Puellæ de corrupta Virginitate affirmari posse; & in hac sententia sum Ego, à qua non discedam; ideò Judicem, ut constet de cor-

 pore

pore delicti ad alia indicia minus dubia confugere oportet. Et hæc est mea opinio, quam tuæ censuræ libenter subjicio, Excellentissime Domine. Hinc me ama, & vale, atque iterum vale.

CONSULTATIO CXXV.

De Suppressione Mensium.

ADmodum Reverenda Monialis turbatam patitur corporis œconomiam, ut abundè testantur prava symptomata, quæ eleganter descripta colliguntur à Scheda ab Excellentis. Dom. Curante transmissa. Ut autem meum aperiam sensum & liberè, ut mei moris est, loquar, puto ex aliquo errore in una, vel pluribus rebus nonnaturalibus, ut iracundia nimia, & corporis transpiratione impedita, Sanguinis massam salibus acidis coinquinatam fuisse, hinc paulatim impedita, ac vitiata naturali cruoris fermentatione, pariter suppressa sit menstruorum fluxio, & sic ibi stagnando, acidior evasa, revertendo in massam Sanguinis morbum sæviorem producit. His ergo stantibus, dico, Patientem nostram, nondum trigesimum annum elapsam posse facile sanari, quia morbus non est confirmatus, & viscera ejusdem sunt sana. Ut autem salus recuperetur, producta morbosa superius enunciata amovenda sunt, prout arti nostræ permittitur à Summo bonorum omnium & præsertim salutis Datore. Instituta igitur curatione, & sumpta indicatione ab eo, quod prudentissime scriptum est à Dom. Curante, post blandam alvi solutionem factam ope *Florum Cassiæ*, utendum erit *succis depuratis Sonchi*, *Endiviæ*, & *Borraginis* ad dies octo, pondere unciarum trium quovis mane, superbibendo *serum depuratum Caprinum*. *Salia* insuper *Absinthii*, *Artemisiæ* & *Tartari* utilia erunt. Consulerem quoque, ut per multos dies assumeret *decoctionem* factam *ex aqua Fabrorum*, in qua bullierint *folia Absinthii* addita *tinctura Martis*. A Fonte Chirurgico unicam præstabit sumere venæ sectionem in pede dextro ad lib. j. sanguinis educendum. Motu locali præsertim mane exerceatur. Cœna sit levis, & vinum *Absinthio Romano* sit alteratum, imò

imò justè fateri possum usum sequentis vini quovis mane ad uncias tres summæ efficaciæ semper fuisse in simili casu: ℞ *Vini albi generosi*, *lib.* *XII.* *aquæ stillatitiæ Matricariæ*, *lib.* iij. *foliorum Dictamni Cretici*, *Pulegii*, *Origani*, *Sabinæ*, *ana*, pug. i. *Rubiæ*, *Cyperi*, *ana*, ℥. j. *Cinnamomi*, *seminis Dauci*, *ana*, ʒ. ij. *Misce*: bulliant ad quintæ partis consumptionem, inde adde *limaturæ Chalybis lib.* j.; omnia reponantur in vase clauso, quotidie agitentur. D*osis sit unc.* iij. Cum cibo gelatina Cornu Cervi utatur. Pauca hæc habebam pro salute Rev. Monialis.

CONSULTATIO CXXVI.

De Nimio Fluxu Mensium.

UXor Civis cujusdam nostri Ferrariensis, annorum ætatis 40. post longas febres, nimio Fluxu Mensium afficitur, ita ut macra, debilis, pallida appareat; nunc opem Medicam implorat.

Hæc affectio Mensium fluxus nimius est, qui definitur, Apertio vasorum, tam sanguineorum, quam lymphaticorum præternaturalis; cujus causa est Sanguis vel serosior, vel Lympha acrior; per anastomosim enim, vel per diapedesim exit cruor subtilior factus; per diæresim verò à Sanguine, & Lympha acrioribus redditis provenire potest; multoties etiam à Sanguinis nimia copia, quod tamen non est in casu nostro credendum; sed tantum à vitio, id est à quali, non à quanto. Quod attinet ad Prognosim, fluxus iste, ubi fuerit frequens, vel continuus, malus est, defectu enim nutrimenti in Hecticam incidet Ægra, & exinde necabitur; semper ideo hæc affectio est periculosa: at quia non sumus in ætati senescente, aliquid boni sperandum est. Sanguis igitur incrassandus erit, motus ejusdem cohibendus, & ejus acredinem temperare oportebit. Leviter igitur erit alvus sollicitanda, nisi enim ventriculum prius purgabimus, Ægra non curabitur, ait *Paulus Barbetta in Praxi.* Venæ sectio nihil facit ad causam. Proderunt ligaturæ brachiorum. Adstringentia præscribantur. *Usnea* in pri-

mis *Cranii humani* internè, & externè poterit usurpari magno fructu, suadente *Frid. Deckers in notis ad Barbettam.* Convenit etiam *tinctura Martis, Coralliorum, stercus Asininum;* Multum levamen afferunt *Pilulæ Helvetii, species Diamartis Mynsichti, succus Urticæ urentis, Plantaginis &c.* Pulvis sequens juvare poterit: ℞ *Lachrymarum Sanguinis Draconis, Oculorum cancri præparatorum, cretæ albæ vulgaris, ana, gr. x. Chalybis præparati, lapidis Prunellæ, ana, gr.* v. *Misce, fiat S. A.* pulvis pro una dosi, & ad plures dies sumatur. Inde propinetur sequens remedium: ℞ *Radicis Bistortæ* ʒ. *ij. herbæ Majoranæ, Pulegii, ana, manip. j. coque S. A. ex aquæ & Vin.* Q. S. in colaturæ *unc. XX. dissolve syrupi Artemisiæ, & Coralliorum, ana,* ℥.ß. *semis, aquæ Cinnamomi* ʒ. v. Misce, & bibat Ægra *unc. iij. bis in die.* Unguentum sequens externè inungatur: ℞ *Unguenti Comitissæ, olei Masticheś, Myrtillorum, ana,* ℥.*j. sacchari Saturni,* ʒ.j. *Camphoræ,* ℈.*j. misce, fiat linimentum. Conservæ Rosarum veteris, Cydoniorum, Corniolatæ* optimæ sunt. ℞ *Aquæ Plantaginis in qua lotus sit lapis hæmatites usque ad rubedinem aquæ;* hæc aqua bona erit; sicuti *Jaspidem rubram* femori alligatam laudo. Suffitu *Ranarum combustarum* curari Menstruorum fluxum immodicum habetur *ex Thes. Med. Burnet. lib. XI. Aquam ferratam* potanqam sunt qui extollunt in hujus morbi curatione: Tandem sequens remedium experirer. ℞ *Aquæ lib. VII.* in quibus coquantur *cortices trium Aurantiorum acidorum* & *subviridium* ad duarum partium consumptionem, ex colatura, unciæ viij. potandæ erunt quovis mane jejuno stomacho. His adjiciatur accommodata victus ratio, & causæ morbificæ adversa. Hæc dicta sint pro salute nobilis nostræ Mulieris, quæ à D. O. M. salutaria exopto.

Auxilia, & Eventus.

Corpore purgato leviter, & multis adhibitis ex præscriptis remediis, omninò pristinam sanitatem recuperavit, & nunc sana vivit.

CON-

CONSULTATIO CXXVII.

De Fluore Albo.

TRapezitæ filia, ætatis annorum XXIII. conqueritur de Fluxu Albo post ordinarium Mensium Fluxum. Facies ei pallet, oculi cinguntur circulo livido, capitis adest dolor, & interdum tument hypochondria cum cordis palpitatione: humor verò qui fluit, modò graveolens est, modò etiam nullo odore molestus. Consilium, atque opem medicam implorat.

Morbus iste Fluor Abus dicitur, & est humoris excrementitii tota natura à Sanguine alieni inordinata ex uteri excretio; & fit quando per muliebria genitalia illuvies varia plus minus acris emanere solet, idque nunc parcius, nunc copiosius, nunc fœtida, nunc non, ut in casu nostræ Juvenculæ. Causa istius affectus est copia, & turgescentia lymphæ excrementitiæ, quæ excernitur, cui correspondet laxitas, & flacciditas prostatarum, undè facilè labi permittunt illam materiam. Multoties verò non solum relaxantur prædictæ prostatæ, verùm etiam eroduntur; quod tamen non esse in nostra Patiente puto, quia naturæ tàm acris non est materia. Credo autem massæ Sanguineæ vitium concurrere ad talem affectum. Quod si petatur, undè tanta ubertas liquoris hujus præternaturalis, qui excernitur in nostra Patiente, cùm per prostratas non possit tanta copia emitti: consideremus quanta materies per nares exeat, quanta ex oculis, quanta ex ulceribus, & facilè sic concipere possumus per prostatas vitiatas ex massa cruoris tale liquamen effluere. Addendum insuper, vaginam esse porosam, & semper naturaliter quandam lympham emittere in naturali statu, tantò magis in morboso, ut in nostro hoc casu. Affectus iste Chronicus est, & curæ difficilis, prout omnes glandularum morbi; & quò magis erit inveteratus, eò difficilius curabitur; quia verò in Patiente sumus, quæ Adolescentula est, ac omnem morbi gallici timorem excludit, ideò difficilis minus erit curatio; quæ ut habeatur, indicationes eruendæ sunt, ut solitam methodum servemus: istæ

erunt

erunt absumere materiam illam effluentem, massam Sanguinis corrigere, prostatas ad naturalem statum reducere, & partes affectas corroborare. Quæ ut assequantur ad praxim est deveniendum. Et primò quod spectat ad Chirurgiam, nihil, meo videri, ab ista sumendum, erit, cùm Venæ sectio nullum hîc locum habeat, ita etiam suadentibus *Galeno* ipso, *Joh. Forti*, *Ettmullero* & quoquot vidi libros, qui de hoc tractant affectu, nullum inveni, qui sanguinis missionem applicet in Fluore albo. Ne vires ergo deficiant à phlebotomia erit abstinendum, & solummodò Pharmaciæ, ac Diætæ fidendum, ex quibus tota curatio expectari debet. Ventriculus igitur evacuandus, exhibita potione ex *Cassia*, vel *Manna clarificata*, post quam tanquam mirabilem *Joh. Fortis* proponit *aquam Tetuccianam* per quinque dies cum vehiculo *Mellis Rosati Solutivi*. Ad Sangineam massam edulcorandam deveniri poterit ad usum decocti *Salsæparillæ*, *Lentisci*, & *Quercini*, ac *radicis Chinæ* per XX. dies. Sequens pulvis utiliter adhibeatur cum *aqua Plantaginis* sumendus, id est: ℞ *Cornu Cervi usti* ʒ. ij., *Limaturæ eboris*, ʒ. j. *Corallii rubri præparati*, *Succini præparati*, *Boli Armanæ*, *Mastiches*, *ana*, ʒ. j., *Seminis Anisorum*, ℈. ij., *Sacchari quantum satis*, *Misce fiat Pulvis*, cujus dosis erit *Scrup. ij.* pro vice. Sequens Electuarium commendatur à *Zecchio*, & Ego bis feliciter eo usus sum in praxi facienda: ℞ *Gummi Arabici*, *Tragacanthi*, *Corallii utriusque*, *ana*, ʒ. ij. *Cineris putaminis ovorum*, *Cornu Cervi*, *Seminis Anethi*, *Succini*, *ana*, ℈. iiij, *Mellis Rosati quantum satis*, *Misce fiat electuarium*, *Dosis sit* ℥. ß., *Succum Urticæ*, & *album Ovorum* in *aqua Rosarum* concussum, jejuno stomachō ebibitum non solum Fluorem album, sed Gonorrhœam ipsam sanare ait *Amatus Lusitanus* referente *Th. Burnet*, *lib. 6. Thes. Med.* Extrinsecè lumbis sequens linimentum apponere bonum erit: ♃ *Boli Armenæ*, *terræ Samiæ*, *sanguinis Draconis*, *Mastiches*, *ana*, ʒ. ij., *pulvis nucis Cupressi*, ʒ. iij., *Ceræ*, & *Olei quantum satis*: *Misce*, fiat linimentum. Certa verò fiducia in bona victûs ratione ponatur; quare victus sit exsiccans, carnes potius sint assæ, quam elixæ, vinum sit generosum, & leviter chalybeatum. Omnia porrò prudentiæ Medici assistentis committenda; & si videbitur, ad usum *lactis Asinini* deveniendum per mensem. Ista D. O. M. nostra secundet vota.

Even-

Eventus.

Ex præscriptis remediis multum utilitatis percepit; undè temporis spatio speratur perfecta in ea salus.

CONSULTATIO CXXVIII.

De Fluore Albo.

NObilis Fœmina, ætatis annorum XXXIX. Albo Fluore per menses plures incontinenter, non citra tædium, vexata, sensim vires deperdens, appetentiam dejiciens, & spirandi difficultate inducta, subtumido corporis habitu, ac decolore affecta, otiosam, sedentariam degens vitam, præsertim hoc hyemali tempore, semper in pejus ruens, auxilium Medicum petit.

Iste morbus Fluor Albus muliebris dicitur, & à *Zvvingero* Gonorrhœa nuncupatur, & est inordinatus, ac penè continuus, modòque interruptus lymphæ plus minus viscidæ, & acris à glandulis Vaginæ, & cervicis Uteri destillantis, & per partes pudendas hujus Mulieris, effluxus. Pars igitur affecta sunt glandulæ supradictarum partium, & in specie corpus prostatarum glandulosum à *Graafio* circa ductum urinarium detectum. Causa ergo proxima hujus morbi est erosio tubulorum glandulosorum Vaginæ, Prostatarum, & Cervicis Uteri, undè lympham mucosam Patiens nostra conatur assiduè effundere: eroduntur autem tubuli illi à lympha acri, & salsa, quam suppeditat massa Sanguinis Cacochymiâ serosâ infecta, ex crudiore chylo excitata. Ad hoc etiam concurrit laxior, & mollior fibrarum textura, & Cachexia. Ad Prognosim quod attinet, quia sumus in Fœmina ætatis consistentis; & menses sunt, & non anni, quibus tentatur hac affectione, ideò posse sanari puto; si enim inveterasceret, molestam exulcerationem, excoriationes, & inflammationem partium affectarum excitaret; imò Atrophiam, Hecticam, & Hydropem insanabilem pareret. In curatione igitur causa antecedens, sive humorum dyscra-

sia erit corrigenda, vascula Vaginæ erosa sananda, exulcerationes mundificandæ. Quæ ut assequantur nos confugere oportet ad Chirurgiam, Pharmaciam, ac Diætam; & quoad primam *Galenus*, nec verbum quidem fecit de Venæ sectione, ideòque eam tanquam inutilem rejiciendam puto: Si verò alvus non fluat clysteres imponere laudo. Frictiones toti corpori covenire docuit *Raym. Joh. Fortis de Morb. Mulier.* Ex Pharmacia igitur tota penè curatio dependet; sicque communiter primis expiatis viis, *aquæ Tetuccianæ* utiles erunt, cum suo vehiculo ad octo saltem dies. Opiata sequens laudatur, cujus ter in die magnitudo nucis moschatæ sumatur: ℞ *Conservæ Rosarum*, *florum Tunicæ*, *ana*, ℥.*j*., *pulveris Corallii rubri præparati*, *Unicornu fossilis*, *ana*, ʒ.*j*. *boli Armenæ Orientalis*, *Sanguinis Draconis in lachrymis*, *ana*, ℈. *ij*., *misce & cum Syrupo de Rosis siccis quantum satis fiat Opiata.* Utilis insuper erit usus *pilularum Helvetii*, ut & *decoctum Salsæparillæ*, *Sassafrass*, *& Quercini*, ad mensem. *Usum lactis* non improbo. A proprietate autem juvant *semen Hederæ*, *& cortices Pini*, ut innuit *Hippocrates*; *Syrupus Myrtillorum*; *Masliches*, *& terra Sigillata*: Extrinsecè porrò lumbis hoc lenimentum juvabit. ♃ *Boli Armenæ*, ℥.ß., *terræ Samiæ*, *Masliches*, *Sanguinis Draconis*, *ana*, ʒ.*ij*. *pulveris nucum Cupressi*, ʒ.*iij*, *cepæ parum. Misce cum Unguento Malvino* fiat linimentum S. A. In Diæta caveat Patiens nostra à cibis aquosis, à metu, ira, ac tristitia. Pro potu uti poterit *decocto ligni Buxi*, *Sassafras*, *& Lentisci*; post pastum utatur potu Caffè: potius commendatur assum, quam elixum, in cibis, puta carnibus, quæ facilis debent esse concoctionis; vitet aërem pluviosum, & frigidum Ægra nostra; fugiat acida, & salsa, quia sunt glandulis inimica; observat enim *Dolæus* in Belgio talem affectionem vagari, quia ibi Mulieres abutuntur acetariis. Motus corporis, & exercitium sint mediocria; uti & somnus, & vigilia non excedant limites ordinarios, quia excessus omnis est malus. Talibus igitur remediis si Deus affulserit, si Ægra se præstiterit opportuna faciens, spero futurum, ut si non integra salus, saltem lenitas succedat, quam ex corde auguror.

CON-

CONSULTATIO CXXIX.

De Suffocatiore Uterina.

JUvencula Nobilis, boni temperamenti, ætatis annorum XIX. menſtruorum diminutione primò affecta, accedentibus Abdominis rugitibus, & ructibus frequentibus, difficili reſpiratione cum ſuffocationis metu; quibus ſupervenêre vellicationes in ventre infimo, unà cum vomitu amaræ materiei, & hoc potiſſimùm accedente tempore menſtrualis fluxûs; multoties veluti ſuffocata remanet, voce deſtituta, extremis refrigeratis, pulſu penè deperdito, ſine ſenſu, ac motu, mortuæ ad inſtar jacet per aliquod tempus, mox paulatim ad priſtinum ſtatum redit, pallido tamen colore ſuffuſa. Ut ſanetur nunc auxilium petit.

Affectio hæc Fœminis familiaris Hyſterica paſſio, ac ſuffocatio Uterina dicitur, eo quod ſuffocari, & quaſi ſtrangulari videntur Fœminæ: per unum tantum ſymptoma definiri non poteſt, nunc enim reſpiratio impeditur, modò ſyncope afficiuntur, nunc animales, nunc vitales læduntur functiones, ut in præſenti caſu. Poteſt autem tali modo definiri, ac deſcribi. Suffocatio Uterina eſt congeries Symptomatum quam plurimorum: præprimis animalium, & vitalium actionum læſarum, proveniens à concurſu morborum diverſorum Cerebri, Cordis, & Uteri ob ſucci nervei, & cruoris impuritatem, & motum inordinatum per effluvia exploſiva, aut etiam congelativa, ex retentis vitioſis particulis Sanguinis menſtrualis collecto; cùm enim conſtans opinio ſit, morbos mulierum ab Utero provenire, ut ait *Clar. Redi in ſuis conſult. pag.* 265.; idcircò ab impuritate menſtruali uterinâ hunc affectum provenire dicendum, quatenus infarcto Sanguine fit ejus præternaturalis ebullitio in vaſis præſertim Pulmonum, & Cordis, ut docet *Highmorus de Hyſterica paſſione.* Cauſæ antecedentes internæ ſunt vitium ſanguificationis, menſium imminutio, ac defectus, & animi pathemata cum flatulentia, ex qua vaſorum fibræ adeò relaxantur, ut ſeſe ſtringere, & contrahere nequeant, undè tenuis, ac flatulentus

cruor in vafa flaccidiora irruens, illa non retinentibus fibris, præter modum attollit, inflat, ac diftendit; retrahuntur autem, ac convelluntur nervofæ partes irritatæ à particulis falinis acribus ab humoribus emanantibus, & nervos ferientibus; Uterus quoque labem concepit ab inquinamentis menftrualibus retentis. Nunc de Prognofi aliquid dicendum; Et primò hunc morbum rarò periculofum effe obfervavi; poteft tamen lethalis effe conjunctione aliorum morborum, & ut plurimùm contumax eft, maximè cùm altas egit radices; verùm quia fumus in cafu Adolefcentulæ falus fperanda; & quoniam frequentes, & copiofi ructus in infultu Affectionis apparent; ut habetur ex hiftoria, ideò de fanitate non defperandum, fiquidem, ait *Dolæus*, bonum eft fi copiofi ructus fuperveniunt, quod & obfervavit *Sylvius*, his enim, & morbus, & paroxyfmus fæpè terminari folent. Indicationes igitur in cafu noftro erunt, aperiendi Uteri vafa, auferendi irritationes, & nervofarum partium contractiones, tollendi congeftionem humorum peccantium, purificandi cruoris maffam, & vifcera corroborandi, ut & eorum fermenta. Pro quibus affequendis, curatio, quàm celerrimè fieri poteft, inftituenda erit, ut meliùs, ac citiùs falus in noftra Patiente reftituatur. Ad tria igitur Practicæ Medicinæ brachia deveniendum. Ex Pharmacia, itaque primò pro alvo lenienda, ac primis communibufque viis expurgandis fufficere poterit *Potio ex Manna Clarificata ad* ℥. VI.: *Cyfmata ex oleo Amygdalarum dulcium* laudat *Malpighius*. Pro alterantibus ufurpetur *jus pulli* alteratum *foliis Melliffæ*, *Borraginis*, *Abfinthii Romani*, & chalybeetur addendo aliquas guttas *fpiritus falis Ammoniaci*. Utilis erit *pulvis Oculorum Cancri præparatorum*, *Rafura Eboris &* fimilia, quæ dulcificandi humores vim habent; *Crocus Martis aperitivus*, *Stibium diaphoreticum*, *Sperma Ceti* commendantur à Medicis. Et hìc notandum, quod omnia, quæ conveniunt in curatione Epilepfiæ, juvant etiam in hac tollendâ Affectione, ut advertit *Dolæus*. *Triphera Magna cum Opio* confert, ficuti bolus fequens frequenter ufurpatus: ℞ *Pulveris Caftorei gr. vij. falis Artemifiæ* ℈.ß., *Confervæ Borraginis*, *quantùm fatis*. *Mifce fiat bolus*, & deauretur: Pariter uti poterit fequentibus bolis per vices fumendis: ℞ *Pulveris Affæ fœtidæ* ℈.ß. *Caftorei*, *Myrrhæ*, *Charabe*, *ana* ℈. j. *Camphoræ*, ℈.

ß.,

ß., *Tripheræ Magnæ cum Opio*, *Philonii Romani*, *ana*, ʒ.j. *Misce cum Syrupi de Artemisia quantitate sufficienti fiant Boli aurati num. X.* Externè ad excitandam in Paroxysmo hysterico nostram Patientem juvabit sequens remedium naribus admovendum: ℞ *Succini*, *Assæ Fœtidæ*, *ana*, ℥.iij., *salis Ammoniaci*, *libr. j. Calcis vivæ*, *libr. ij. olei Tartari*, ℥. xx. destillentur. *Simon Paulli folia herbæ Thee* Uteri regioni, & Umbilico calidè imposita magni facit. *Allium* concisum, & Umbilico applicatum celebrant aliqui. Poterit, suadente *Platero*, apponi sequens emplastrum Uteri regioni: ℞ *Galbani*, ℥.j., *Styracis liquidæ*, ʒ.j. *cum oleo Nardino fiat emplastrum* S.A., & extendatur super alutam, & Uteri regioni applicetur. Potionem sequentem commendat *Riverius*: ℞ *Aquæ Artemisiæ*, *Rosarum*, *florum Aurantiorum*, *ana*, ℥.j., *aquæ Cinnamomi*, ℥.iij., *confectionis de Hyacintho*, ʒ.j. *specierum Diamargariti*, ℈.ß. *croc gr. iiij. Misce fiat potio. Aqua hysterica Quercetani* apud nos Ferrarienses est in usu. Inter cætera, quod omnium maximè solet mulieres Utero præfocatas quasi momento revocare, est evaporatio facta ad nares ex *pulvere verrucarum*, quæ tibiis equorum adnascuntur, ita docente *Th. Burnet. in suo Thes. Med. Pract. lib.* 8. De Chirurgiâ verò, licèt *Malpighius* aliique Doctores nihil prorsùs dicant de Venæ sectione; attamen Ego venam secarem in pede dextro ad uncias x. Sanguinis hauriendas, & hoc non solùm ad minuendam massam, verùm etiam ad evocandum catameniorum perennem fluxum, qui in casu nostro summoperè attendi debet; talis enim perennitas necessaria videtur. Victus tandem ratio sit mediocris, parcè tenui utatur Vino, imò juxtà *Redium* omninò à mero abstineat, & potet *aquam Nucerinam*, vel bonæ qualitatis, quas præscribit ipse *Redi in Consult. pag.* 174.: vitet aromata, acida, acria, & salsa: Hilari vivat animo. Et hæc sunt, quæ pro salute Illustris nostræ Patientis breviter exarare potui. Faxit Deus, ut omnia pro voto accidant.

Ferrariæ 5. Maii 1727.

Eventus.

Multa ex ſupradictis remediis adhibita fuerunt, & recta obſervata vivendi ratione, Nobilis Juvencula priſtinæ ſanitati eſt revocata.

CONSULTATIO CXXX.

De Sterilitate.

BOnoniâ Ferrariam reverſo tuæ humaniſſimæ Literæ mihi traditæ ſunt, quibus affectionem honeſtiſſimæ Fœminæ ætatis annorum XXIX. diligentiſſimè deſcriptam habeo, quæ nihil aliud eſt quam Sterilitas, poſtquam enim Viro juncta ſit octo abhinc annis, qui Vir antea ex prima conjuge duos filios habuit, & in omnibus ſuis corporis partibus bene, ac naturaliter ſe habeat, & ſit in ſuæ ætatis anno XXXVI. tamen fruſtra mariti partes agit, nam uxor infœcunda manet, ad venerem naturalia irritamenta non ſentit, in congreſſu nullam habet delectationem, menſtrua pauciora patitur, & ferè ſemper mucoſitates à vulva demittit. Nunc auxilium Medicum poſcit.

Hic affectus à Practicis dicitur difficultas concipiendi, & abolita prolis generatio ob morbos varios partium generationi deſtinatarum. Inter varias cauſas Sterilitatis, quas egregiè *Cæſalpinus* enumerat, & *Clariſſ. Redi in ſuis Conſultationibus* nuperrimè typis datis, una eſt præternaturalis humiditas in utero, & vagina luxurians, quo fit, ut locus generationis deſtinatus non ſit idoneus, undè *Hippocrates* dixit, *quæ perhumidos habent uteros non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura.* Puto igitur in caſu noſtro Sterilitatem evenire à vitio Uteri, qui conſpurcatus ab ichoribus præternaturalibus, ſemen ipſum Viri vitiat, & præſertim ſpirituoſam partem ipſius coinquinat, & ineptam reddit ad ovum fœcundandum, quod ſi etiam fœcundaretur, deſcenſum in Uterum, ab illis liquidis corrumperetur, & data ejuſdem viſceris lubricate, ovum ab Utero corrup-

tum

tum exiret, quam veritatem etiam comprobat *Thom. Bartholinus in sua Anatom. lib.* 1., dum ait Sterilitatem haberi à nimia humectatione, & relaxatione, ut in Scortis, vel ex nimio profluvio humorum. Ut ergo hæc causa tollatur, & fœcunda hæc Nobilis Mulier reddatur ad practicam Medicinæ partem confugere oportet; & primò conveniens existimo communiter corpus expurgare, ut facilius etiam Uterus, tanquam pars corporis, expurgetur. Poterit igitur primò assumi *potio Magistralis Solutiva* addito *in infusione Rhabarbari* ʒ.j., *&* *Agarici trochiscati* ʒ.ij.; postridie Vena pedis incidatur, & hauriantur unciæ decem Sanguinis; convenientes postmodum erunt *aquæ Tetuecii* per octo dies cum vehiculo *Syrupi Aurei Solutivi.* Sic rectè purgato corpore, ad usum *decocti Salsæparillæ*, *Lentisci*, *Sassafras*, *facti in aqua Capillorum Veneris* per multos dies deveniendum. Potus Theè utilis erit, ut & balneum aquæ dulcis æstivo tempore, dum Syrius ardet. Congrua his omnibus addatur victus ratio, læto ac hilari vivat animo, sicque omnia a me dicta remittantur prudentiæ, & bonæ administrationi Excellentissim. Medici ordinarii.

Eventus.

Prædicta curatio instituta, ac omnia diligenter usurpata remedia, quæ in hac mea Consultatione præscripta fuêrunt, Mulier post quintum mensem gravida facta est, & stato tempore masculam peperit prolem.

CONSULTATIO CXXXI.

De Sanguinis Missione in Gravidis, & Somno post Venæ Sectionem

A Me petit, Vir Excellentiss., an in Mulieribus gravidis possit tutò venam secari, sine infantis, ac matris periculo; cui brevi respondeo cum *Celso lib.* 2., *&* *Franc. Peccettio lib.* 4: In Gravidis mulieribus tale præsidii genus experiri Antiquis non placuisse,

cuisse, quandoquidem Veteres Medici timebant, ne fœmina gravida, ob Sanguinem missum, abortum pateretur; apud Neotericos tamen res aliter se habet, cùm Mulieribus gravidis quocunque gestationis mense tutò Vena secetur, ut quotidiana praxis ostendit: verum tamen est, hoc cum prudentia faciendum, & semper vires esse considerandas; si enim Mulier gravida, vel febri, vel aliqua inflammatione afficiatur, tunc Sanguinem mittere oportet, ut curatio ægritudinis præsentis instituatur: cujus indicatio sit, massam cruoris peccantis, vel in quanto, vel in quali minuere, & sic ad debitam crasim restituere. Tutius autem Vena secatur à quarto mense, usque ad septimum. Hanc fuisse mentem *Hippocràtis* apparet manifestè in *lib. Epidemior.* 4. de Uxore Acheloï, quæ sextâ die abortum fecit, cùm esset sanguinea, & cùm acuta febre laboraret, quia Sanguis non fuit missus, ex febris malignitate abortum fecit; unde colligitur utero gerentibus primò pro morbi curatione, & per accidens pro abortûs præservatione, Sanguinem Vena secta auferri posse. Notandum tamen sola urgente necessitate in gravidis mulieribus Venæ sectionem admittendam esse, & licet videatur ex sententia *Hippocratis* Venæ sectionem abortum proritare posse, tamen ubi periculum mortis matris, & simul fœtûs evidens est, ut in acutis morbis, huic primùm remedio prospiciendum cùm majus periculum sit evitandum, & ei quod plus urget occurrendum, altero tamen haud neglecto. Ulterius non negavit *Hippocrates* Sanguinis missionem in Gravidis, cùm non dixerit, nunquam esse mittendum Sanguinem, sed dixit, cùm major est fœtus magis abstinendum; ergo infero minus à Venæ sectione abstinendum cùm fœtus sit minor; credo enim in gravidis mulieribus aliquando Venæ sectionem convenire, id est in magnis necessitatibus, ubi sint validæ vires, in modica tamen quantitate Sanguis emittendus, priusque renes sunt corroborandi unguento Comitissæ, vel alio simili linimento: & cùm experientia satis abundè manifestaverit Venæsectionem in Gravidis sine abortûs periculo exerceri posse, ideò quando opus est, à Medico erit præscribenda; fuere enim, & adhuc sunt, multæ fœminæ, quæ ope Venæ sectionis abortum prohibent, ut testatur *Marc. Donatus Hist. Med. mirab.*; cùm enim sæpe plethora una

ex

ex causis sit, quæ abortum facit, ideò illi Venæ sectione occurrendum, nam nullo alio auxilio melius, ac citius, quam Venæ sectione, minui potest; quemadmodum igitur, ait *Frideric. Hoffmannus meth. med. lib.* 1. alimenti defectus potest interimere fœtum, sic & abundantia eum poterit suffocare, & ligamenta uteri frangere, & sic fœtus Sanguine diminuto poterit resurgere, ut spontè aliquando accidit in prægnantibus, quæ modò patiuntur naturalem fluxum hæmorrhoïdum, aut naris hæmorrhagiam sine ullo fœtus periculo, immò cum mulieris gravidæ levamine; dempta enim ferventis cruoris abundantia, Mater, & Fœtus meliore sanitate gaudebunt. In instituenda porrò Venæ sectione in gravidis examinandæ sunt vires, quæ si fuerint debiles, & Venæ sectio indicetur, in minori quantitate tunc Sanguis est detrahendus, quod Medici curantis prudentiæ relinquendum; cæterùm, ut docet *Horatius Augenius*, non sunt omnes mulieres ad hanc evacuationem ferendam accommodatæ, quæ enim exiguum Sanguinem habent, & quibus venæ sunt exiles, non ferunt phlebotomiam, aut si urgeat magna necessitas pro Venæ Sectione, necesse erit uti scarificationibus; sic enim Sanguis minuetur sine tanto virium detrimento, & eidem indicationi satisfiet, cùm cucurbitulæ scarificatæ dicantur à Medicis vicariæ Venæ sectionis. Sic *Laz. Riverius* fatetur, in mulieribus pluries se abortum prohibuisse ope Venæ sectionis, etiam pluries tempore gravidationis celebratæ; immò etiam pedis Vena secanda tutò, & sine abortûs metu in gravidis, ut docet *Zacutus*; & Ego justè fateri possum, pluries vidisse Uxorem meam dilectissimam gravidam, cui Vena secta in pede nihil sinistri accidit, ut etiam in praxi facienda observavi in aliis mulieribus utero gerentibus.

Ad aliud verò quæsitum tuum mihi factum in humanissima tua epistola, nempe an dormiendum sit post Venæ sectionem; respondeo, verum esse nonnullos Medicos reperiri, qui somnum post phlebotomiam prohibent, quia putant cruorem redire ad cor cum ægri discrimine, quod non est verum; immò post Venæ sectionem Sanguis redit in præcordia magna cum naturæ recreatione. In Ægrotis autem, qui noctes ducunt insomnes, cum beneficio somnus accedet, si Venæ sectioni succedat; vires enim restaurabit, &

 fessos

fessos dulciter irrigabit artus. Si igitur veniet somnus post phlebotomiam, bonus erit, tanquam signum naturæ recreatæ, & ad bonum inclinantis, uti somnus est, qui in morbis acutis semper est bonus: Igitur & post Venam sectam juvabit. Si ergo post alias evacuationes bonus erit somnus, quidni etiam post Venæ sectionem, undè *Galenus ipse in Meth.* ait bonum esse, si Æger post sanguinis missionem in profundum somnum delapsus sit, quod etiam approbare videtur *Primerosius de Vulgi error. lib.* 4. & *Th. Bonetus in Mercur. Compital. lib.* 19. Si quis autem dicat, somnum prohiberi, ne fascia solvatur, id nihil est, nam diligenti adstantium cura, & aptè facta deligatione id potest prohiberi. Hæc autem sunt, quæ mihi circa ea, quæ quæsieras, Vir Illustriss., exponere licuit. Vale interim ad Nestoris annos, & ut me amare pergas, rogo.

CONSULTATIO CXXXII.

De Secundinarum Retentione.

ARtificis uxor partum debito tempore edit viventem, sed remanent Secundinæ: Obstetrix hoc periculosum symptoma parùm curare videtur, & à Medico graviter reprehenditur. Ægra, & domestici auxilium implorant.

Post partum aliquandò Secundinæ subsistunt, quæ, nisi quam primùm expellantur, puerperæ citam mortem minantur: retinentur autem vel propter nimiam densitatem tunicarum, & earum crassitiem, propter quam uteri parietibus firmiter adhærent, ob earum rursus intumescentiam, virium exsolutionem ratione partus laboriosi, & oris ipsius Uteri occlusionem, vel ob incuriam, negligentiam, & imperitiam Obstetricis: ex qua verò causa casus hic noster judicandum relinquo Excellentissimo Curanti. Quoad Prognosim, ex Secundinis retentis eadem mala expectari debent, quæ ex fœtu mortuo retento habentur, undè nisi natura, vel arte excludantur mors certa erit: quare statim elaborandum, ut foras exeant, fœmina expurgetur, & vires conserventur; quæ erunt Indica-

dica-

dicationes in casu nostro. Illa autem, quæ Secundinas educere valent, sunt, vel Chirurgica, vel Pharmaceutica: Ex Chirurgicis; manu periti ministri extrahi debet; si verò non poterit, ad Pharmaciam transeundum. Antequam autem remedia Pharmaceutica apponam, notandum est cum *VValdschmidio in Prax. Med.*, Obstetrices, & Adstantes multoties nimis indulgentes parturientibus, has post enixum partum è Sella dimittere, licèt Secundinæ nondum exierint, quod est gravissimum crimen; quandoquidem ad cubile non debet Puerpera reduci, nisi priùs Secundinas reddiderit: hæ autem commodè manu ab Utero divelluntur, ubi funiculus umbilicalis, qui indicis loco est, recens adhuc existit: quod si orificium Uteri jam sit clausum, debet apice unius digiti iterum aperiri, & digitus prudenter circumduci, donec & alter possit introduci, & inseri. Jam si digitos ad Uteri fundum usque exporrigere fas sit, tunc quærendus erit locus, ubi Secundinæ Utero adhærent, & digito inter Uterum, & placentam inserto cautè divellantur: de hac operatione jam satis. Nunc Pharmaceutica tangamus remedia. Sequens pulvis commendatur à *Timæo*. ℞ *Trochiscorum de Myrrha, pulveris radicis Dictamni albi, ana,* ℈. ß. *Boracis naturalis, seminis Violarum, ana,* ℈. v. *Misce, fiat pulvis* pro duabus dosibus; & assumatur cum *aqua Capillorum Veneris*, cui addantur aliquæ *guttæ Elixiris Proprietatis Paracelsi. Oleum ligni Juniperi ad gutt.* xxx. sumptum proderit. *Porri succum* cum vino potum mirificè valere ait *Zecchius*: *Pulverem Testiculi Equi, Trochiscos de Myrrha, Sabinam, Artemisiam, Crocum optimum* laudant Medici. *Martin. Rulandus* ait, Secundinam solvi, & expelli imponendo super umbilicum *Olei Heraclii* ℥. *iij. Succum Levistici viridis* cum vino laudat *Forestus*. Conveniunt sternutatoria: *Secundina præparata, Dictamnus Creticus* commendantur à *Sennerto*. Peccant autem, ait *Bartholinus*, qui frictionibus manu rudi validis Secundinas conantur excludere: dolores enim augent; undè posteà vigiliæ, febres, aliaque mala sequuntur: poterunt autem lenta manu è lateribus ad ventrem reduci, monente *Borgesia cap.* 14. *obstetr. Gallic.* quasi tremula frictione; immò inserto digito in fauces vomitum ciere, proponit citata *Borgesia* ut ex illo conatu Secundinæ excludantur. Modum autem commodum extrahendi Secun-

Secundinas retentas docent *Mauriceau*, *&* *Sebast. Melli in suis obstetric.* Clysteres etiam utiles erunt. Victus ratio medicamentorum virtuti respondeat; concedatur vinum, quatenus hoc facit ad Secundinas expellendas, ut docet *Nic. Lemery in Dictionar. Pharm.* Et hæc dicta sufficiant pro cura nostræ Patientis. Faxit Deus, ut saluti restituatur.

CONSULTATIO CXXXIII.

De Crusta Lactea.

NUper tuis literis, petiisti à me habere aliquod remedium pro tollenda Crusta Lactea in Filiolo tuo, ab illa contagiosa peste malè vexato. Quid sentiam expono.

Morbus ergo, quo afficitur Puer tuus, à nonnullis dicitur *Crusta Lactea*, ab aliis dicitur *Lactumen*, vel *Achores*, qui sunt capitis ulcera tenuissimis foraminibus cutem perforantia, ex quibus glutinosa sanies effluere solet. Causa proxima est humor acris, serosus, nitrosus, & mordax, crasso admixtus, dependens vel à nimia voracitate, vel meconio humores inficiente, uno verbo à lympha acido-acri, salsâ, & glutinosâ ex vitio chyli matris in gestatione, vel lactis nutricis in lactatione: hinc puerilis ætas huic morbo maximè est obnoxia; Pro curatione autem, ut petis, varia proponam, ex quibus prudentia tua seligat quid libuerit. Lotionem hanc commendo. ℞ *Fumiterræ*, *Scabiosæ*, *Betæ*, *foliorum Hederæ*, *rasuræ ligni Guaiaci*, *ana*, *manip. semis*, *radicis Enulæ*, *Chelidoniæ*, *Althææ*, *ana*, ℥. i. *Farinæ Lupini*, *Fabarum*, *ana*, ℥. i.ß. *aquæ Communis*, *lib.* iiij, *coquantur* S. A., & hac aqua pars affecta tepidè lavetur. Post lotionem sequenti linimento utatur: ℞ *Radicis Enulæ Campanæ*, *Lithargyrii auri*, *&* *argenti*; *Cerussæ*, *Aluminis rupei usti*, *ana*, ℈. i. *terantur subtilissimè*, *&* *incorporentur cum axungiâ porcinâ*, *addito modico olei Vitelli ovorum*, *&* *ceræ* Q. S., ut unguenti formam recipiat. *Jul. Cæsar Baricellus* laudat linimentum ex oleo, in quo ad exactam coctionem Bufo, sive Rana terrestris ebullierit; Fides autem penes ipsum. Lixivium

se-

sequens edocere nunc convenit, quod didici à *Martino Rulando.* ℞ *Absinthii, florum Chamæmeli, Serpilli, Matricariæ, ana, man. semis, baccarum Lauri, radicis Ireos, ana,* ℥. j. *radicis Asari* ℥. j. ß. *incidantur omnia, & singula sacculo condita, & coquantur in lixivio ex ligno Juniperi cinere facto*, & hoc Luna decrescente caput quotidie lavetur. Internè verò exhiberi poterit *Cornu Cervi philosophicè præparatum, Antimonium diaphoreticum, & Oculi cancrorum.* Abstineat tàm Infans, quàm Nutrix à cibis salsis, acribus, & in specie à carne suilla, à cepis, raphano, allio, & similibus; & poterit potui Nutricis, & Infantis infundi *rasura Cornu Cervi cum floribus Fumariæ, Scabiosæ, Salsæparilla, & Sassafras.* Ultimo loco expertus propono lotionem *aquæ Spermatis Ranarum.* Et hæc sufficiant.

CONSULTATIO CXXXIV.

De Favis, & Achoribus.

PUellus ætatis annorum quatuor, filius cujusdam civis nostri Ferrariensis, à multo tempore afficitur Achoribus, ac Favis; turpia enim ulcera multis foraminibus pervia in capite tolerat, materiam crassam, & fœtidam manantia non sine tineæ contumacis periculo. Parentes ejus me in Consilium vocant, postquam incassum varia remedia experta fuerant.

Morbus igitur iste à multis Favus dicitur, à multis Achor; quia duo hæc nomina à variis Scriptoribus confunduntur invicem; licet Ego Favum ab Achore ratione varietatis foraminum distinguam, quia Favus ulcus est habens foramina majora, Achor verò minora. Sunt autem ulcera capitis manantia, ex quibus glutinosa sanies solet effluere, cujus causa est portio salino-sulphurea cum pituita mixta, & collecta cum excrementis alcalicis, & corruptis; à Græcis ἀχῶρες *Achores* hæc sordida ulcera vocantur, & κηρίον, *Cerion*: a Latinis *ulcera manantia*, & *Favi* dicuntur; ab aliis *Tinea* absolutè vocatur; quia sub hoc nomine omnia manantia capitis ulcera comprehendi possunt; & a *Francisco Peccettio* dicuntur ulcera capitis foraminulenta cum aliquo tumore,

à quibus ſanies tenax emanat melli ſimilis. Iſta ulcera difficilius ſanantur, & maximè ſi inveterata, quantò enim recentiora ſunt, tantò faciliora curatu; quod ſi pauca fricatione rubeat cutis, ſignum erit facilis ſanationis; ſin minus, è contrà: Attamen in caſu noſtro omnes lapides movendi erunt, ut puer ſalutem recuperet ad ſuorum parentum conſolationem; quocirca primò leviſſimè expurgatis communibus viis modico *oleo Amygdalarum dulcium recentiſſime expreſſo. Galenus ſola charta* combuſta, & *aceto* diluta locum affectum illinebat, & hoc remedio plurimos curaviſſe ait *Thom. Burnet. Theſ. Med. lib.* 1. Poterit autem ablui caput ſequenti lavacro: ℞ *Fumariæ*, *Betæ*, *Lapathi acuti*, *Malvæ*, *Chelidoniæ*, *Hederæ terreſtris*, *radicis Althææ*, *ana*, *manip.* ß. *coque in aquæ communis Q. S. S. A.* Deinde ut cruſtæ morboſæ melius emolleſcant, poſt prædictam lotionem caput inungatur ſequenti linimento. ℞ *Mucilaginis Fœnugræci*, *Seminis lini cum aqua Malvæ extracti*, *adipis Gallinæ*, *Porcini*, *olei ex Vitellis Ovorum*, *ana*, ℥. 1., *Croci* ʒ. ß. *miſce* pro linimento, & ſæpius reïteretur balneum, ac linimentum. Si autem hoc non prodeſſet, uti poterit alio unguento, quod tale eſt ℞ *Lithurgyrii auri*, *&* *argenti cum aceto acerrimo*, *&* *oleo roſaceo nutriti*, ℥. ij. *Ceruſſæ aqua ſolani lotæ* ʒ. j. *Aluminis rupei uſti*, ʒ. ß. *Fuliginis*, *pulveris radicis enulæ ſiccatæ*, *chartæ combuſtæ*, *ana*, ℈. ii. *Olei Vitellorum Ovorum*, *pinguedinis Gallinæ*, *ana*, ℥. ß. *olei Laurini*, *&* *Aceti* Q. S. *Incorporentur in mortario plumbeo* S. A., *&* *fiat Unguentum molle*; & tale unguentum eſt magni pretii apud *Petrum Foreſtum*, ita ut ipſe credat hoc eſſe magnæ efficaciæ. *Julius Cæſar Baricellus* utebatur ſuo tempore linimento ex oleo, in quo ad exactam coctionem, bufo, ſive rana terreſtris ebullierat: Prius tamen ſemper capilli ſunt abradendi. Lixivium factum ex cineribus *Lignorum Ficus* in quo cocta ſint *Malva*, *Lapathum acutum*, & *Lupini* laudatur. In unguentis ſemper *Tutia præparata* admiſcenda. Internè poterit quotidie exhiberi *decoctum radicis Chinæ*, *Saſſafras*, *&* *Salſæparillæ*, ut ſic corrigatur maſſa fluidorum peccans in hoc puello. Supra dixi, *Galenum* commendare medicamentum factum ex *papyro*, ſive *Charta*, verùm papyrus, ſive Charta noſtra non eſt eadem antiquorum, attamen habet fermè eaſdem facultates, ſed debiliores, ut advertit *Pecet-*

tius

tius lib. 3. *Lixivium dulce*, in quo *Aristolochia* rotunda decocta sit, laudant aliqui Medici; alii *Mercurium* adhibent. Ego verò à Mineralibus, & præcipuè ab argento vivo abstinerem, quia sæpè secum affert nocumenta. *Lac Asinæ* ad mensem exhiberi poterit, servatâ optimâ victus ratione a Medico assistente juxta morbi, & Naturæ Patientis exigentiam dirigendâ.

CONSULTATIO CXXV.

De Epilepsia Puerorum.

PUer ætatis mensium 16. à sanis parentibus ortus, vix ab usu lactis semotus, horis pomeridianis in lectum, ad somnum capescendum, repositus, ut moris erat, placidè visus est quiescere; verùm in somno circa præcordia anxietas apparuit, inde apertis oculis, labia, & mandibulæ motu reciproco per aliquod tempus convelluntur, posteà paululùm cessavit violentia istius affectûs, mox rediit: hinc Parentes sollicitè Medicum vocant, & petunt auxilium.

Morbus hic, quo vexatur præsens, Puellus, Epilepsia puerorum vocatur, ut ex signis, seù symptomatibus prædictis constat, & magnám habet affinitatem cum Epilepsia adultorum, cum hoc discrimine tamen, quod in puellis originem habet vel à Ventriculo, vel ab Intestinis, eo quià vel lac corruptum, vel aliquod acidum vitiatum sua acredine Ventriculi, & Intestinorum fibras rodens, ac vellicans, fortes dolores, ac convulsiones, & anxietates parit: Quocircà subjectum istius affectionis erit organum sensuum, & pars musculosa, & præsertim fibræ labiorum, oculorum &c. Anxietas verò dependet ab irritatione fibrarum Diaphragmatis, velut primarii instrumenti respirationis. Ad Prognosim quod spectat, quia Epilepsia morbus gravis est in adultis, sic in puellis gravior; melius erit, suadente *Hippocrate*, si superveniat febris, licet *Dolæus* in sua *Enciclop. lib.* 6. fateatur, se ab *Hippocratis* aphorismo deceptum in suo filiolo tali Epilepsia denato, licet febris tali convulsioni supervenerit. Morbus igitur præsens valdè timendus erit, mul-

multos enim pueros tali mortuos affectu observavi. Duplex potest esse curatio in nostro casu, alia in paroxysmo, altera extra paroxysmum. Quandò urget affectus, inungantur nares *oleo Succini*, & apponatur *aqua Reginæ Hungariæ*, & accendatur pro suffitu *lignum Aloës*: in primis autem os apertum servetur, & cavendum, ne lingua dentibus incidatur; stomachi regio *oleo è nuce Moschata* expresso inungatur, ac si urgeat paroxysmus, cauterium in nucha inuratur. Extra paroxysmum curatio institui poterit remediis sequentibus. Primò *oleum Amygdalarum dulcium* recenter expressum ad educendos pravos humores in primis viis existentes exhibendum erit jejuno stomacho; mox *pulverem Guttetæ Riverii* per plures vices assumendum consulo, ex tali enim remedio multos pueros sanitati restitutos notavi: exhibeatur autem hic pulvis cum *aqua Pœoniæ*, *Melissæ*, *Betonicæ*, & hujusmodi. A *Dolæo* laudantur sequentia, nempè *Pulvis Secundinæ humanæ*, *Corallium rubrum præparatum*, *Cranium humanum*, *Oculi Cancrorum præparati*, *oleum Succini*. Ego Oleum nostrum Contrapestem commendo tam intus, quàm foris; *Aquam Cerasorum nigrorum*, *Epilepticam Langii*, & pro amuleto *radicem Pœoniæ*, ac *ungulam Alcis*. Clysteres ex decocto Malvæ utiles erunt. Accedat congrua victûs ratio, quæ nec quantitate, neque qualitate vitiosa, præsertim acida peccet. Præcavendi autem sunt terrores, ac angue pejus, & cane fugiendi, quæ omnia ut Puello nostro proficua sint, D. O. M. ex corde precor.

CONSULTATIO CXXXVI.

De Dentitione Difficili.

ALiquantisper levatus variis animi, & corporis molestiis, saluti Filioli tui, Vir Sapientissime, consulturus respondeo; ille enim difficilem dentitionem patitur non sine mortis metu ob febrem, alvi fluxum, dolorem, aliaque symptomata, quibus Puer afficitur, & sanè Puerorum ora valdè cruciat ex dentibus dolor, cùm è vagina prorunpunt dentes, & ruptis gingivis prodeunt.

Iste

Iste affectus dicitur Dentitio, seu solutio continui gingivarum à denticulis cuspidatis jam genitis, & erumpentibus perforatione facta; & ut clarius me explicem, nihil aliud est hic affectus, quam gingivarum à dente accrescente perforandarum dolor urgens ex interspersis variis nervulis, qui tenent consensum cum partibus nobilioribus, undè de facili evenit, ut sub atroci dolore tandem corpus totum nervosum vellicetur, undè convulsiones etiam possunt accidere, maximè quia in se ipso nervosum systema in Infantibus tenerius, ac mobilius existit. Signa istius difficilis Dentitionis sunt, ut etiam innuis tu, Vir Præstantissime, in doctissima tua Epistola mihi tradita, mense septimo, vel octavo ætatis salivatio multa, & copiosa, ex dolore quippe gingivarum vicina vasa salivalia irritantur; Tussis, & Diarrhœa cum inquietudine, vigilia, fletu, genarum rubore, pavore in somno, febri, & digitorum frequenti in os impositione. Quod Prognosim attinet: Dentitio difficilis laboriosum est malum, imò sæpè in mea praxi facienda lethalem esse affectionem observavi; Macilentis tamen minus periculi afferre, quam obesis ait *Joh.Franc.Lovv. ab Ersfeld in tract. de Morb. infant. cap. 25.* Curatio autem Dentitionis consistit in hoc principaliter, ut dentium exitus ocius promoveatur, exinde obstacula retardantia debent removeri, & mitigari symptomata, servato semper à Nutrice bono vivendi modo. Ita lenientia, & emollientia adhibenda erunt, quæ scilicet gingivarum carnem laxare valeant, & dolorem mitigare. Nutrix ergo *oleo Amygdalarum dulcium, melle & Similibus* inuncto digito sæpe Pueri gingivas affricabit; *sanguinem cristæ Galli, lac caninum, adipem Anseris, vitellum Ovi, Medullam ossium Vituli*, & *sucum è cancris vivis* gingivis applicatum commendant alii. Fortiora verò aperientia, & extrahentia ab experientia videntur *cerebrum Leporis, Agni, Cuniculi, adeps Leporis* ad gingivas appositus. Extrinsecùs utendum est *Butyro recenti*, quo Puelli genas manè, & serò inungantur; quod si hujusmodi remediis Dentitio non facilitetur, tunc, suadente *Ambr. Pareo*, scalpello gingivas aperire decet, & sic dentibus exitum facilem procurare, ut ipse *Pareus* fecit in propriis Liberis. *Dolæus* suadet in difficili Dentitione nuchæ fonticulum applicandum esse. Infanti autem frigida gingivis non admovenda esse scire opor-

oportet, nam potius Dentitionem impediunt, ideòque nôn probo aurum, argentum, ebur, corallum, dentem apri, & alia dura corpora collo suspensa Pueris, ut solet vulgus, quia hæc alveolos dentium potius occludunt; sed talium duriorum rerum loco adhibeatur *Liquiritiæ radix*, vel *Althææ*, vel *Iridis Florentinæ Syrupo Coralliorum* illitæ. Addo; ad Dentitionem facilitandam *Felix Platerus* gingivas Pueri leniter fricabat sequenti linimento. ℞ *Cerebri Cuniculi in vino cocti, vel Butyro recenti cum Melle permixti.* Ad dolorem leniendum, & inflammationem prohibendam peculiariter commendatur *succus Sempervivi*, & *Plantaginis* à *Timæo*, & *Burneto*. Antequam ad umbilicum hujus Epistolæ perveniam, notandum Dentitionem aliquando notham esse, ut advertunt Medicinæ Magistri, cùm tumores quidam in gingivarum posteriori parte acumen protuberant, undè Pueri malè afficiuntur; de hac autem spuria Dentitione certior fiet Medicus, si Infantem ad posticam aurium partem digito compresserit, statim enim ille ob dolorem ejulabit; tale malum aliquandò periculo non vacat, cui profligando inprimis conducit externam aurium regionem, præsertim posticam *axungiâ Leporis* inungere frequenter, & gingivas *oleo Amygdalarum dulcium* sæpius demulceri. Habes igitur meam de difficili Dentitione sententiam tumultuariò scriptam, à multis enim negotiis impeditus, diligentia uti nequivi. Vale, ac me ama.

CONSULTATIO CXXXVII.

De Furunculis.

JUvenis Nobilis annorum ætatis XXI. post Febrem Quartanam contumacem China Chinæ fugatam, incidit in furunculum in facie penes labia, à quo vix liberatus iterum in eundem affectum in manu læva incidit, quo superato, & curato, denuò Furunculus recruduit in coxâ dextra. Ut à tali molestia liberetur auxilium petit.

Morbus iste Δοθιὴν græcè; *Furunculus* latinè dicitur, & significat tumorem ex crassis humoribus in carnosis partibus consistentem, mi-

mitem quidem, cùm solam occupet cutem, sed pertinacem, & malignum ubi subter actis radicibus erumpit, & est de genere inflammationum in abscessum degenerantium *Amath. Cast. Brun.* Quod ad Prognosim spectat, Furunculus periculo vacat; attamen, suadente *Dolæo*, in Adultis non tàm facile, quam in Pueris curantur isti tumores; cùm autem oriatur à Sanguine polyposo, & crasso, ipsum attenuare debemus, & volatilizare. Quæ ut assequantur: primò Sanguinis missio celebranda in pede, inde levis purgatio instituatur; & pro alterantibus utatur *decocto Malvæ, Betonicæ, Borraginis cum rasura Eboris.* Inde veniendum ad usum *decoctionis Salsæparillæ* factæ in *aqua Nucerina* ad mensem; quo tempore etiam Furunculi curatio Chirurgica instituenda. Idcircò *Galenus*, referente *Peccettio*, ait, coquendum esse Furunculum appositione *frumenti* jejuno ore mansi, & ad Cataplasmatis formam redacti, & applicati; Si verò dolor urgeat, & materia suppurationi sit rebellis, sequentibus utatur: ℞ *Liliorum alborum*, ℥.ij., *foliorum Malvæ, Violarum*, *ana*, *m.j.* coctis, & contusis, adde *farinæ Tritici, Hordei, ana*, ℥.j. *pinguedinis Suillæ*, ℥.ß., *Butyri recentis*, ℥.ij., *Vitelli Ovorum, n.* ij. *Misce, fiat* S. A. *Cataplasma*; vel si hoc non arrideret, cerato sequenti utatur, quod præscribit *Joh. Dolæus in Encycloped. Chirurg. lib. 5. cap. 4.* ℞ *Gummi Galbani, Ammoniaci, ana*, ℥.ß., *Styracis Calamitæ, pulveris radicis Bryoniæ, seminis Cumini, ana*, ℥.ß., *resinæ Pini*, ℥.iij. *olei Guaiaci*, ʒ.j. *Misce*, & S. A. *fiat Ceratum.* Multi *Diachylon cum Gummatibus* adhibent. Aperto tumore educatur pus, & cicatrizetur more consueto. Ut autem præcaveatur, ne sæpiùs ista tubercula infestent Patientem nostram, vestibus insuatur *Nux Moschata*: qua verò virtute amuletum hoc à Furunculis immune corpus reddere queat, sagacioribus expendendum relinquit *Joh. Munnicks in Chirurgia.* In Diæta alimenta sint exsiccantia, & calefacientia, & frequens sit *Oryzæ* usus. Vitentur acria, salsa, & acida; vinum sit tenue. Et hæc pro præsenti sint satis.

CONSULTATIO CXXXVIII.

De Pernione, & Grandine.

HEri vefperi redditæ mihi fuêre literæ tuæ mihi femper gratiffimæ, in quibus de duabus affectionibus meam fententiam requiris. Primus cafus eft de Pernione, alter de Grandine oculorum. Circa primum, Puellum habes quovis hyeme Pernionibus correptum in manibus, pedibus, auribus, ac nafo, & mihi auxilium poftulas.

Perniones igitur funt tumores hyberno tempore in calcaneis, digitifque pedum, ac manuum, & aliis partibus quoque exorti, & dicuntur folutæ unitates, aut fiffuræ à fummis rigoribus hyemalibus provenientes, & oriuntur frequentius in talis: funt autem inflammationis genus, feu tumores in manibus, & pedibus, præcipuè Puerorum, in quibus materia quædam acris ineft, & rodens, undè ulcus ficcum, ex quo nulla, vel pauca humiditas emanat, excitatur, qua neglecta non raro gangrænam inducere folet. Ut autem ifte morbus curetur, primò *fotus calidi cineris* adhibeatur; quo remedio teftatur *Fallopius* fe liberatum fuiffe à Pernionibus, quibus fingulis annis afficiebatur, *Oleo Ceræ* poterunt illiniri, ut monet *Rodericus a Fonfeca in Confult.* Excavetur Rapa, & infundatur *Olei Rofati*, & *Therebinthinæ*, *ana*, ℥.j. fupra calidos cineres ponatur rapa, & bulliat, & hoc liquore calidè inungatur Perniones. Quòd fi exulcerentur, imponatur *unguentum de Tutia*: Immò nonnulli *rapam coctam*, contufam, & ferventem imponunt felici fucceffu. Ego antequam rumpantur Perniones, *fpiritu vini* eos abluo, *aqua Reginæ Hungariæ*, vel *Oleo Saxi*, quod *Petroleum nativum montis Zibini* vocant, quod oritur in Mutinenfi Ducatu. Adeps Anferis commendatur à *Dom. Lovv ab Ersfeldt in lib. de infant. morb.*

Nunc de Grandine aliquid eft dicendum, ut tuo fatisfaciam defiderio, & meæ obtemperem obligationi, Grando igitur, quæ Græcè χάλαζα dicitur, in foro noftro Medico fignificat tuberculum grandini fimile, & pellucidum, in palpebris concretum, & eft vitium,

tium, quod oculos infestat, cujus causa est humor quidam lentus per congestionem concretus, qui provenit à lympha acida, & condensata, in gypseam, aut crystallinam degenerans naturam, ad quam tollendam medicamenta lixivialia à nonnullis commendantur, quæ habeant vim talem duritiem resolvendi, & dissipandi. *Emplastrum Diachylum cum gummatibus* laudat *Joh. Dolæus in Encycloped. Chirurg.*, ut & salivam hominis jejuni, quæ multo sale volatili constat; *axungiam Viperarum &c.* Multi commendant ad Grandines tollendas *Ceratum de Ranis cum Mercurio*; aliique *ceratum ex Marcasita.* Ego autem feliciter utor sequenti linimento sæpe ad partem affectam apposito: ℞ *Olei Chamomillæ*, *&* *pulveris Salis Saturni* Q. S. ad conficiendum linimentum. Si verò non cedant prædictis remediis, cùm jam humor Grandinis concreverit in gypseam duritiem, tunc aperienda erit, & materies contenta educenda. De Diæta nihil occurrit advertendum. Habes autem, Vir Excellentiss., quæ tuis petitionibus respondent, in quibus si quid forte displicuerit ignorantiam meam accusa, non voluntatem. Vale amicorum optime, & me ama, iterum Vale.

CONSULTATIO CXXXIX.

De Asperitate Cutis.

HAbes curandam Juvenem Nobilem pertinaci cutis Asperitate laborantem, & meam sententiam de tali affectu scire desideras.

Dico cutis Asperitatem symptoma esse qualitatis mutatæ in superficie cutis, quo ejus mollities naturalis tollitur, & inducitur asperitas, non incommoda tantum, sed ipsi munditiei adversa, quæ sane in Juvene virgine valdè considerabilis est. Subjectum hujus affectionis ipsa cutis est: cutis autem, ut tu, Excell. Domine bene scis, ipsa est involucrum membranaceum crassum potissima sui parte, ut notavit *Zvvingerus*, è nerveis filamentis, & vasculis humorum affabrè inter se complicatis contexta, qui-

 bus

bus glandulæ numerofæ, harumque excretorii tubuli, tanquam fudoris, aut vaporum viæ denfiffimè interponuntur; ita ut ipfa cutis, quafi è duplici fubftantia componatur, exteriore fcilicet nervofo-membranea, interiore verò glandulofa, & quafi carnea: fi autem cum *Malpighio* per microfcopium cutem nudam diligenter confideremus, primò occurret corpus reticulare crebris foraminibus fuis, non folùm tubulos fudorificos, fed & plurimas nerveas pyramidales papillas, in cuticulam ufque protenfas comprehendens: Infra porrò corpus iftud reticulare numerofiffimæ hærent glandulæ, in quibus materia halituofa ex arteriolis fecernitur, & inde per vafcula excretoria ad ipfam protunditur cuticulam, & fub forma fudoris expellitur: rugofa eft ipfa cutis, & inæqualis fuperficiei, fulcis ubique prædita, in ftatu naturali mollis, totum corpus contegens, in multis locis craffa, & denfa, in aliis verò tenuis, & tenella. Sic in ftatu naturali cutis eft mollis, terfa, lævis, polita, cùm nempe ejus pori humore blando, & oleofo repleti funt. Lævitas autem hæc nativa in cafu noftro deperdita eft culpa humoris vitiofi falfi in cutaneis porofitatibus copiofè collecti, aut frigoris nimii elapfæ hyemis, fibras epidermidis conftringentis, ex quo cutis fuperficies magis rugofa, & afpera redditur. Ad tollendam hanc cutis afperitatem, primò debet ejus fordes, fi adeft, detergi, quod fieri commodè poterit vino, & aquâ calida, addito furfure, vel panis mica. Deterfa verò cute, eadem fricari poterit fequenti pafta: *Amygdalas dulces* recenter excorticatas contunde, dein mifce cum mica panis recentis, & cum vini albi, & *aquæ Rofarum* quantitate fufficienti in paftam redige, qua poftea cutis ipfa fricetur. Alii commendant *placentam illam Amygdalarum dulcium* poft expreffum oleum in prælo remanentem. Multi *axungiam Caponis*, & *Sperma ceti* recens, pulverem *Ireos Florentinæ*, *quatuor femina frigida majora*, *mafrich*, & *albumen ovorum recentium*, nec non *lac Afinæ* utiliter proponunt. Tu ex his cape, quod magis libet. Bonum erit, fi placuerit, prius communiter purgato corpore, uti *decocto ex Salfa*, & *China* ad corrigenda falia in humoribus fcatentia, ex quibus rigiditas, & afperitas in cute exoritur. Quibus omnibus congrua,

&

& humectans victus ratio addatur à Dominatione Tua Excellentissima præscribenda.

CONSULTATIO. CXL.

De Herpete Serpiginoso.

Petis à me consilium pro Herpete exedente, seu serpiginoso in Viro Religioso amico tuo suavissino, qui tali morbo nonnullis abhinc annis afficitur.

Est igitur hic morbus exulceratio pustulosa proveniens ab ichorosis, & lixiviosis Sanguinis particulis in corporis habitu subsidentibus, & corrodentibus; cujus duo sunt species, alia miliaris, alia exedens, quæ est præsens, de qua tu poscis, & unitur dolori plus minus ardenti, ac inflammatorio; affecta enim pars asperitate præternaturali est contaminata: in principio serum exulcerationes istæ emittunt, postea etiam purulenta materies emanat; salia enim acido-acuta illius causæ lixivialis, viscoso humori irretita, per glandulas miliares cutis probè secerni nequeunt, ibique subsistentes extimam cuticulam erodunt, & exedunt non solùm, sed ipsas cutis fibras, & carnosum panniculum exulcerant; & certè in principio curatio istius morbi facilior erit, quam in progressu temporis; non erit ergo negligenda curatio. Et ut exordiar à præparantibus, sive alterantibus, uti poterit jusculis, in quibus bullierint *flores Agrimoniæ*, *Cardui Benedicti*, *Cichorei cum radicidus contusæ*, *Radices Enulæ campanæ*, *Scorzoneræ*, *&* *Graminis*. Alvum moventia vel erit *Manna*, vel *Cassia*. *Pulvis Oculorum cancri præparatorum*, *Stibii diaphoretici*, *Cornu Cervi usti*, utiles erunt, *Aquas Thermales*, & balnea aquæ dulcis commendo. *Aquam Calcis* ad abluendam affectam partem laudat *Theod. Zvvingerus in Praxi*. *Unguentum Pomatum* cum *Tutia* expertus propono. Ex Chirurgia Venæ sectio, & cucurbitulæ scarificatæ utiles erunt; sicuti usum *Lactis Asinini*. Demum accedat bona victus ratio, quæ talis instituatur, ut causæ morbi sit adversa. Abstineat à vino, potet aquam, & Deus iis omnibus faveat.

CON-

CONSULTATIO CXLI.

De Scabie fœda, ac pertinaci.

ILlustris Civis, gracilis habitûs, temperiei biliosæ, ætatis annorum XXXVII., compotationibus generosi vini deditus, à multo tempore scabendi desiderio tentatus, mox pustulosis, & minutis tumoribus affectus, tandem incidit in fœdam, ac pertinacem Scabiem, ad quam tollendam multa ex arte fuere à perito Medico administrata remedia, verùm omnia frustanea fuerunt, ità ut adhuc perseveret contumacia Scabiei, Illustrem nostrum Patientem vexantis. Nunc consilium postulat.

Morbus igitur iste ψώρα à multis, ab aliis Scabies dicitur, & nihil aliud est, quàm obstructio ulcerosa, ac pustulosa cutaneorum tubulorum cum dolore pruriginoso; afficiuntur autem excretorii tubuli glandularum subcutanearum, quatenus lympha salso-acris ibi adhærens, pustulas cum elevatione cuticulæ producit. Incipit Scabies cum pruritu stimulante Ægrum ad fricandum; cùm igitur cutis ita fricatur, ejus tubuli comprimuntur, & sic cuticula nonnihil elevatur, & pustulas saniosas efficit; & dum æger cutim scalpit cum aliquali voluptate, fit rubescentia, & incalescentia, undè pustulæ crescunt, ac tandem squammulæ in superficie oriuntur; ruptis porrò pustulis sanies ichorosa, acris erit, & vicina loca inficit; ex quo apparet, causam hujus affectionis esse serum salso-acidum, & lympham acrem in extremitatibus tubulorum cutis stagnantem: hinc acrimonia hujus humoris extremitates tubulorum erodit, & pustulas prædictas producit; & si vascula sanguinea inficit, tunc cruor simul exit, ut in casu nostro. Causæ autem sunt omnia ea, quæ valent reddere acrem lympham, & serum ipsum, ut chylus salsus, & crudus ex salsis cibis congestus, & ex nimia ignis incalescentia vitiatus. Aliqui accusant vermes, qui cutem perforendo pruritum, & solutionem continui inducunt. Ad Prognosim quod attinet: affectio hæc molesta magis quam periculosa existit; cùm autem fœda est, pertinax, & squam-

squammosa, nisi Sanguis promptè corrigatur, in lepram mutari potest; Pro curatione suppono, jam rectè fuisse communiter purgatum corpus, & in tali casu propono *pulverem Viperinum* ad multos dies sumendum cum *decoctione Fumariæ*. *Decoctum Salsæparillæ* utile existimo, sicuti *aquam stibiatam* vulgò *del Pompcnacio*. Balneum utile erit ex aqua communi, in qua bullierint herbæ sequentes *Scabiosa*, *Hypericum*, *Chamomilla*, & similes approbatæ à Magistris Artis nostræ. Vinum medicatum purgans aliquandò profuit. Inter hæc cucurbitulæ scarificatæ dorso applicatæ non nocebunt. Unguentis insuper utendum erit, à quibus salus speranda; & notandum in unguentis sulphur locum principalem tenere, ità ut aliqui sint, qui sulphur etiam in casu nostro internè assumendum proponant. *Cingulum Mercuriale* laudat *Theod. Zvvingerus in sua Praxi med.* quo tamen ego nunquam sum usus: Lotionem ex aqua, & vino factam in quibus bullierint folia *Rhododaphnis*, *Salviæ*, *Rorismarini*, & *Rosarum* commendant multi. Addo illud *Amati*, quod incantamenti instar esse ait *Joh. Stephanus*, & fit ex *radice Enulæ contussa* cum *axungia suilla*, *sulphure vivo*, & *modico salis*, & *unguento Rosato*, quod poterit aromatizzari pauco *styrace* liquido. His addi debet optima vivendi norma, quæ refrigeret, humectet, dulcificet, & bonum succum gignat, alia multa mitto; sat enim est apud virum Sapientem digitum ad fontem intendisse.

CONSULTATIO CXLII.

De Scabie.

SEcundus jam percurrit annus, quo non minùs molesto, quàm fœdo cutaneo affectu pruriginoso, & scabioso vexatur Honestus quidam Civis ætatis annorum 43., habitûs carnosi; à quo sordido affectu, ut liberetur opem Medicam implorat.

Præsens Morbus Scabies à Medicis dicitur, quæ est aspredo quædam cutis, seu ejusdem levis exulceratio pruriens, ac rodens cum pustulis, qui affectus provenit ab ichoroso corrupto Sanguine mul-

multis falibus lixiviofis, & corrofivis particulis fixis fcatente, cutem diffolvente. Nullius autem certè morbi labes (pefte tantùm excepta) faciliùs, aut certiùs, quam Scabiei propagatur; ita ut, non tantùm contagiofus fit affectus, fed etiam pertinax, quemadmodum in præfenti cafu. Circa hujus Scabiei curationem, duæ veniunt indicationes; prima ut cruor ad debitam crafim reducatur; fecùnda, ut ipfius cutis porofitates à Scabie liberatæ, fuam priftinam corroborationem recuperent; quibus accedit tertia indicatio, quæ dicetur præfervatoria; curata enim Scabie, cavendum eft, ne redeat, & dùm curatio peragitur navetur opera, ut labes arceatur à nobilibus partibus. Omnes autem iftæ intentiones per remedia tum externa, tum interna adimpleri poffunt: & primò à medicamento purganti inchoandum, exhibendo fcilicet vel *Mannæ uncias tres*, vel *potionem ex Caffia clarificatam*: inde Sanguinis miffio inftituenda; nam cùm materies Scabiei in fanguine delitefcat, & cùm Scabies fit paffio univerfalis, ita remedium univerfale Venæ fectionis eft ufurpandum; inde quovis mane decoctione fequenti utatur. ℞ *Salfæparillæ*, ℥. *ij. radicis Chinæ*, ℥.*j. incifa mifce & divide in VIII. partes æquales*, & quotidie una ebulliatur in ℥. vij. *aquæ Malvæ*, & calidè affumatur. Cucurbitulæ fcarificatæ utiles erunt; & fi morbi pertinacitas perduraret, ad ufum *pulveris Viperini* deveniendum. Quod verò fpectat ad externa remedia, in quibus nonnuli Medici totam fpem curationis reponunt, utendum erit *unguento ex Sulphure*, & *butyro* conflato. Ad balneum tandem veniendum, modo fequenti parandum: ℞ *Vini albi*, *lib. ij. aquæ Rofarum*, *lib. j. Vitrioli Cyprini* ℥.*j. foliorum Rorifmarini*, *Rhododaphnes Q. S. mifce*, & bulliant parùm temporis, & hoc balneo calido ter abluatur totum corpus, & maximè illæ partes, quæ à Scabie graviùs fuerunt affectæ. His omnibus addenda erit victus ratio congrua, ficque, ut fpero, falutem recuperabit.

CON-

CONSULTATIO CXLIII.

De Phlyctænis : de Motu peristaltico Intestinorum : de Urinæ quantitate in Corpore humano : Et de Chocolata.

NUdius tertius accepi literas tuas humanissimas, in quibus legi, te nonnulla à me optare, & primò meum consilium de Phlyctænis, sive pustulis sanandis, atque omninò tollendis in tuo filiolo unico annorum trium; quocircà respondeo: Phlyctænas à Doctoribus dici pustulas in summa corporis planitie enascentes à tenui sanie cuti subtenta, eamque suâ salinâ tenui acrimoniâ pungente atque erodente; & quia in tua epistolâ dicis has pustalas humore flavo repletas esse, & similes vesiculis illis ab ustione ferventis aquæ factis, ideò à tenui lympha salso-acri leniter erodente dependent, tanquam à causa immediata, & plerumque Infantes infestant, qui in lecto diù decumbere solent, quoniam inibi per cubilis calorem, lympha peccans in pustulis magis agitatur, & actuatur. Huic lymphæ peccanti dant ansam cibi salsi, & nutrix ipsa, quæ jam filiolum tuum lactavit, erat enim iracunda, potatrix, & salsis cibis delectans, quæ omnia massam humoralem ad salsedinem disponunt. Debet ergo, quantò citius possit curari hic affectus, ne in scabiem transeat. Per absorbentia igitur, & edulcorantia medicamina salsedo illa Sanguinis corrigi debet, cùmque primæ viæ plerumque crudis recrementis scateant, ante omnia purgandæ erunt, quod usu *olei Amygdalarum dulcium recenter extracti* fieri poterit: posteà quovis mane uterer *Syrupo de Cichoreo cum Rhabarbaro*, pulveres absorbentes esse poterunt *Bolus Armena*, *Corallium album præparatum*, *Terra Sigillata*, *Oculi Cancrorum præpari*, *Cornu Cervi ustum*, & similia tibi notissima. Pro alteranti summo mane uti poteris jusculo, in quo bullierint *folia Cichorei*, *Portulacæ*, *Endiviæ*, *&* *Malvæ* : laudo balneum aquæ dulcis tepidum, in qua aqua bulliant *Gramen*, *Lapathum*, *Plantago*, *Salvia*, & *Beta*; cibi sint facilis coctionis, & pro vino aquam bibat.

Nunc transeo ad tua quæsita; & primò quæris an verè detur

 motus

motus periſtalticus Inteſtinorum, ut quidam Doctores negant. Per iſtum Inteſtinorum periſtalticum motum Ego intelligo motum, quo Ventriculus, & Inteſtina ab initio uſque ad finem ſucceſſivè coarctantur, & inſtar vermium inter ſe ſe repunt. Dari probatur hic motus, primò quia illum videmus in vivorum animalium anatome; & licet aliqui dixerint, illum eſſe convulſivum, atque præternaturalem, attamen hoc non ſuſpicandum eſſe aſſero, quia etiam apparuit in cane, facta vel minima apertura abdominis, quæ ſine magno dolore potuit haberi; & tunc à quo convulſio expectari non poterat; præſertim quia canis erat ſanus, junior, & cultri injuria levis. Ulterius hunc periſtalticum motum ſuadent annulares, & carnoſæ illæ fibræ in Inteſtinorum tunicis tot nervis inſtructæ, item chyli, & fæcum per inteſtina protruſio, quæ aliàs per Inteſtinorum plexus, gyroſque difficilior fuiſſet, & ita putredinis, & tardioris nutritionis cauſa. Fit igitur iſte motus ſucceſſiva fibrarum annularium à ſpiritibus animalibus inflatione, & contractione, item etiam retractione fibrarum rectarum, qua illæ aliqua ſui parte, ſe à chylo ſubſtrahunt, alia verò conſiſtunt, eo modo, quo videmus Serpentes repere, & id indeſinenter; ſicut cauſa ſpiritus animales ex cerebro excutiens verſus nervos Inteſtinorum, & Ventriculi, puta novorum ſpirituum adventus in Cerebellum, vel Inteſtinorum à bile irritatio, eſt continua; undè nullatenus hic motus ſubjicitur noſtræ voluntati, ut docuit *Franc. Zypæus in Fund. Medic.* Quod ſi ſpiritus animales impetuoſiius in fibras irruant Inteſtinales vel compreſſis fibris, quaſi per illas regurgitent, & motum ſuum invertendo, vomitum excitant, & promovent: Hæc de motu Inteſtinorum periſtaltico ſatis.

Nunc propero ad aliud Quæſitum, nempe, an debeat dari certa, & determinata urinæ quantitas in corpore humano? ad quod dico, copiam urinæ in ſtatu naturali proportionari debere liquidæ materiæ aſſumptæ, ſic tamen, ut non minor ſit (ſupponamus) ſubtripla, eò quod aliqua continuò pars ejus cedat in nutrimentum, aliqua etiam inſenſibiliter, vel per ſudores, vel per ſputa excernatur, aliqua denique in cruore, ad hoc, ut ipſe diluatur ad facilitandum circuitum. Major urinæ copia, niſi ob frigus aëris inſenſibilem tranſpirationem inhibens, aſſumpta diuretica, vel alia ex-

trin-

trinseca, vel post Hydropem, Rheumatismum, aut febres, qua non rarò morbi causa expellitur, accidit; minor verò Urinæ quantitas, nisi ex assumptionis liquidi defectu, summum indicat calorem dissipantem serum, & sudores, ac insensibilem transpirationem, ut sæpè observatur in febribus; vel viarum urinæ obstructionem, & tunc Rheumatismum, Catarrhos, Anxietatem, & alia mala sequutura promittit, prout istas, vel alias partes occupat; & hæc sufficiant de urinæ quantitate determinata.

Nunc ad ultimum tuum Quæsitum me converto, in quo quæris, an ex nimio usu, vel ut meliùs dicam abusu Chocolatæ aliquid mali oriri possit? ad quod breviter respondeo, omnia debere sumi moderatè, in propria dosi, in pondere, numero, & mensura, ne noceant; sic vini spiritus debito tempore, ac discreta quantitate medicamen existit; intemperanter autem assumptus, & abusivè multos malos producit effectus, ut Medicorum testantur historiæ; sic quia in compositione Chocolatæ adest Cacao, ideò ab ejus abusu abstinendum; illud enim juxtà *Mangetum in tom.* 1. *Biblioth. Pharmaceut.*, Alvi, Uteri, & Hypochondriorum obstructiones parit; sed clariùs *Georgius Franck* ait sorbitionem frequentem Chocolatæ alvum duriorem, & vigilias afferre, unde *Sim. Paulli* Chocolatæ usum, aut potius abusum in nostris Europæis summè detestatus est in *Class.* 3. *Quadri, Botan.*; præterquamquod certè ingredientia Chocolatam componentia, non sunt talia, quæ mereantur laudem, & panegyrim; quoniam tu benè noris quid valeat Saccharum & saccharata quæcumque; hinc *Bartholomæus Gornia* observavit multos propter sacchari abusum mortuos esse Gangræna, Sphacelo, aut interna laceratione affectos. De Chocolatæ abusu, & noxa legi meretur *Epistola Clariss. D. Co. Joh. Bapt. Felici* nuper Florentiæ typis data, in qua multa colliges scitu digna. Scias interim velim Excell. Vir, me summa benevolentia te semper prosequutum esse, & quoad vivam etiam prosequar, siquidem aiunt, amorem, vel eadem, vel cumulatiore esse mensura reddendum. Vale, & me tui amantissimum ama.

Ferrariæ 6. Kalend. Octobris 1728.

CONSULTATIO CXLIV.

De Impetigine.

CIvis annorum ætatis XL. æſtivo tempore corripitur Impetigine in collo, ac facie, quæ nunc in hanc, nunc in aliam corporis partem ſerpit cum pruritu, & calore; & quia iſta affectio ad multum tempus perdurat, nec vulgaribus cedit remediis; ideò conſilium poſtulat.

Morbus iſte Impetigo dicitur, à multis *Lichen*, *Vitiligo*, *Mentagra*, & *Lepra Græcorum*; & eſt cutis aſperitas dura, ac ſicca cum prurigine, hac illac tranſiens, ita ut *Volatica* vulgò dicatur, & *Serpigo*: cùm ergo cutis aſperitatem Impetigo faciat, ideò eſt morbus in compoſitione, & præcipuè in ſuperficie, cùm eam aſperam reddat. Pars affecta eſt cutis & ut plurimùm oritur circa cervicem, ac faciem, licet etiam in aliis partibus oriatur, ut in caſu Civis hujus noſtri. *Galenus* docet hunc affectum provenire ex humore tenui ſeroſo, ſucco acri, & craſſo commixto: & *Avicenna* vehementer calidum talem humorem eſſe ſcribit. Provenit autem, ut ego credo, ab humoribus ſalino-corroſivis ad ambitum corporis protruſis, undè corporis interiora per hujuſmodi cutis vitia expurgantur; tenuiore enim exiſtente lympha, ſed ab acido in motu impedita, & in glandùlis primò paucioribus, deinde pluribus hærente, & eaſdem in cute obſtruente, fibraſque vellicante cum ſuo ſale eroſivo, Impetiginem oriri puto. Impetigo niſi rectè curetur, facile in Pſoram, & Lepram poteſt tranſire, ideòque recens facilius curatur, quàm quæ diuturna, ac fera, & ut ita dicam, confirmata, ut in caſu noſtro. Indicatio curativa eſt dulcificare humores acres, & purificare cruorem, cutem affectam liberare, eamque amplius corroborare; quæ ut fiant ad conſuetos Medicinæ practicæ fontes deveniendum, & primò conveniens erit communiter corpus purgare, & primas vias à recrementis liberare, & abſtergere, & fermenta earum, ſi quæ ſint, vitiata corrigere, quod fieri poteſt, vel *Manna*, vel *Caſſia*, vel *Syrupo Aureo Solutivo*,

vo, pro alterantibus autem *decocto Cichorei*, *Endiviæ*, *Borraginis*, utendum cum *pulvere Oculorum Cancri præparatorum*. E Chirurgico fonte Venæ sectiò desumi poterit à dextro brachio ad unc. x. Sanguinis educendas. Postmodum decoctione *Salsæparillæ* & *radicis Chinæ* utendum erit ad dies viginti. Ad edulcorandum cruorem, ejusque sales eluendos, congruum erit *serum lactis* simplex quale exit à lacte, non depuratum, non distillatum, ut etiam monuit in suis *Consultationibus* Clariss. *Redi*. Medicamenta *chalybeata* commendat *Mangetus Bibl. med. lib.* 3. sicuti *pulvis Viperinus* laudatur à *VVillisio*. Externa verò remedia præter *Salivam humanam*, *oleum Tartari*, *succum Limoniorum*, *Acetum cum Saccharo Saturni*, *aquam Spermatis Ranarum*, *oleum Ovorum*, poterit valere unguentum sequens à *Dolæo* descriptum, nempe, ℞ *Unguenti ex Saturno*, *oleo tartari*, *canphora*, *cerussa*, *&* *balsamo Sulphuris*: Præstare etiam poterit sequens linimentum: ℞ *Succi Sempervivi*, ℥. *ij*. *cretæ pulverisatæ*, *Q. S. Salis Saturni* ʒ. *j*. *Misce* fiat linimentum. *Sulphure* cum *aceto* feliciter aliqui sunt usi. Hic autem præterire non possum novum quoddam remedii genus, ante hac quod sciam à nemine Medicorum memoratum, quod in *secundâ centuriâ suarum observationum* publicavit *Fulvius Gherli* Amicus meus semper colendus, & hoc ad majorem authoritatem præcisis ejusdem verbis annecto *Fattemi adunque questo Signore sedere, e levare i panni d'attorno, e discoperte le spalle, e la schiena col mandar giù la camicia, essendomi prima posto a sedere sopra una seggia, fui dallo stesso in quelle parti visitato, e assicurato, aver ritrovato fra le spalle, e poco sotto di esse le radici di quelle Volatiche, onde senza cavarle, & estirparle affatto, era impossibile, che io mi liberassi mai da quella deformità, che nella faccia io aveva; ma che levate dette radici, siccome egli mi prometteva di fare, in soli tre, ò quatro giorni, le Volatiche sarebbero affatto sparite, senza mai più ritornare: che il segno preciso, dove erano queste radici, si era un punto di color di tabacco, assai somiglievole ad un picciolo neo, nel quale conficando pian piano la punta dell' Ago, e tirando con forza all'infuori, cavavansi le radici, come fila fortissime nervose, or lunghe, or corte e che non bisognava fermarsi così subito, ma ch'era d'uopo pescare, e ripescare con la puntà dell' Ago in quel picciolo circolo, e qualche poco all' intorno del medesimo sotto la cute, fin a tanto*

che

che non eranſi cavate tutte le dette radici, eſſendovene in un ſolo punto moltiſſiſſime, e che quante erano le Volatiche, altrettante erano queſte macchie, ò tronchi di radici. Scoperto dunque, ſiccome ho detto, ch'io hebbi il dorſo, e dopo avere queſto Signore riguardato ben bene il fatto ſuo, poichè ſi ſono alle volte de' piccoliſſimi nei, i quali molto raſſomiglianſi a quelle macchie, e non lo ſono, le quali però ſi diſcernono le une dall' altre, facendone la prova colla punta dell' ago, concioſiachè cacciata la punta ne' nei, ſubito la pelle ſi ſtrappa, e cede; ma conficcata nelle radici, non così va la faccenda, poſciachè è d'uopo tirare con tutta la forza l'ago impuntato nella pelle, ſe ſi vuole carpire la detta radice; guardato, dico, ch'egli ebbe ben bene il fatto ſuo, ſcoprì due macchie, che diſſe eſſere due groſſi tronchi di radici, & in fatti fattane la prova, ritrovò, ch'ei non eraſi ingannato; onde incominciò ad eſtirparne una con l'ago, e nell' atto d' operare, io non provava gran dolore nella parte, ma ſolo nel carpire, ch'ei facea, le radici, che furono aſſaiſſime, ſembravami, che mi ſterpaſſe il vicino braccio, e tanto erano queſte indurate, che gli fu neceſſario d' adoperare tutta la forza per tirarle fuori, & una volta per il gran sforzo, che fece ruppeſi l'ago, il che mi è poſcia anche accaduto più d' una volta nel fare queſta operazione. Finalmente dopo d' avere peſcato, e ripeſcato più d' una volta in queſte due maſſe di radici, & averle cavate tutte, mi fece riveſtire, aſſicurandomi, che ben preſto avrei veduto l'effetto di queſta ſua operazione; come in fatti entro il termine di quatro giorni dileguaronſi affatto le Volatiche dal mio volto, nè mai più vi ſono ritornate &c. Ho poi anche provato, e riprovato queſto ſperimento in moltiſſime perſone, e ſempre ſono riuſcito con onore &c. Hoc, quia notabile, ante finem conſultationis notare volui, ut, ſi hæc operatio arrideat, experiri eam placeat, & ut nihil relinquam, quod ad rem noſtram faciat. Quibus omnibus addatur congrua victus ratio ab Excellentiſſ. Dom. Medico curante præſcribenda, cujus prudenti judicio cuncta quoque præſcripta libenter committo.

CON-

CONSULTATIO CXLV.

De Cicatrice in Facie.

Celebris quidam Supputator post longam febrem Quartanam faciem habet adeò deturpatam, ut vix ab amicis cognoscatur, ita ut vultum cicatricibus plenum habere videatur. Nunc ad faciem à tali deformitate liberandam auxilium postulat.

Turpem hanc affectionem, ut citò fugare possit Supputator noster, uti poterit sudore, vel madore effluente ex ovo, dum assatur, cicatrices sæpè illiniendo, quo remedio Uxorem suam à maculis fuisse dealbatam, & rectificatam asserit *Forestus*. Commendatur etiam *Oleum de Myrrha*, & *ex Vitellis Ovorum expressum*. Mirandum in modum conferre aquam, aiunt multi, ex induratis Ovorum albuminibus, exemptis vitellis chymico more destillatam. *Oleum de Tartaro* adhibent nonnulli, & *Riolanus* approbat sequens remedium: ℞ *Tartari calcinati, lib. j., Mastiches,* ʒ. *ij.* contundantur cum Albuminibus Ovorum, & reponantur in vaporario; hinc destillatus liquor servetur ad usum. Me legisse recordor apud *Joh. Marinellum* in suo libro, cui titulus *Ornamenti delle Donne*, *fel Bovis* cum *semine Erucæ*, atque modico *aceti* pro linimento, optimum esse remedium ad delendas faciei cicatrices, & maculas. Aliqui Scriptores demum adhibent *Thus*, *Coriandrum*, *semen Raphani*, *Lithargyrium argenti* cum *adipe Anatis* mixti cum *Cerussa*; *Cucumeres Sylvestres virides*, ex quibus omnibus, quod sibi velit suscipiat Æger, ut hanc turpitudinem fugare possit. Intelligo insuper, præsentem nostrum Patientem clavis pedum obnoxium esse; quocircà consulo, ut abscindantur decrescente Luna, pedibus aliquandiù primùm aqua calida lotis; deinde admoveantur *folia Hederæ Terrestris* contusa, & singula die iteretur remedium manè, ac serò; & ita clavum extrahi intra nonnullos dies ait *Samuel Formius*. *Succus* pariter *Chelidonii*, *Ammoniaci*, & *Galbani* aceto dissoluti appositi; ut & *succus Tithymali* laudantur à *Petro Foresto*. *Stercus Hominis* applicitum est ab

aliis non ſine fructu, ut & *ſuccus Fabariæ*. Quæ omnia à me dicta ſufficiant pro levamine noſtri Patientis.

CONSULTATIO CXLVI.

De Eſſeris.

ESſeræ, quibus ſæpè vexatur Soror tua Nobiliſſima, ſunt exanthemata, ſive parva tubercula magnitudinis diverſæ, pruritûs inſignis, magis die, quàm nocte infeſtantia; citò evaneſcentia, ſed brevi iterùm redeuntia, & quandoque corpus univerſum occupantia; quorum cauſam conſiſtere puto in phlegmate quodam ſalſo, quod ob irregularem ſuorum corpuſculorum figuram penuriamque aquoſarum diluentium particularum, in extremitate tubulorum cutaneorum adhæret, ac epidermidem vitiat; citò verò evaneſcunt, & redeunt, quia illarum materies volatilitate quadam gaudet, ac ita laxatis vaſculorum fibris promptè tranſmittitur, dum interea conſtrictis denuò poris noviter iterùm effloreſcunt, & pruritum excitant, quia ejus particulæ acuminatæ ſunt, ideóque fibras blandè irritant, pungunt, ac vellicant. Circa Prognoſim notandum, periculum non portendere, & pro majori, ac minore humoris peccantis ſalſedine, & acrimonia, brevius, vel tardius durare poſſunt Eſſeræ. Quoad curationem ſpectat, cùm nulla ſit febris, ſtatim communis inſtituatur purgatio. Poterit igitur primò exhiberi *Caſſia cum cremore Tartari*, mox poteſt Vena ſecari, vel ſaltem cucurbitulis ſcarificatis uti, quæ ſunt Venæ ſectionis vicariæ. Sudores utiliter promoveri poterunt ope *Stibii diaphoretici*, & *Cornu Cervi philoſophicè præparati*. Balneo aquæ dulcis per ſeſquihoræ ſpatium uti, laudat *Zvvingerus*. A cibis ſalſis, ac acribus abſtinendum erit: ideòque victus ſit moderatus, ac tenuis, & cibaria ſint facilis coctionis: pro vino uti poterit Ægra noſtra aqua Nucerina; corporis, & animi motus vitandus erit. Quæ pauca pro Eſſeris curatione tibi ſcripta ſufficiant.

CONSULTATIO CXLVII.

De Gutta Rosacea: de Unctione pectoris in Tussi Infantium: & de connubio in Cholorosi: ac de aliis.

ACcepi humanissimas tuas literas, quibus nonnulla à me scire desideras; & primò cupis meum medicum habere consilium pro curatione Illustris Viri Gutta Rosacea affecti, qui à multis mensibus tali affectioni obnoxius est; patitur enim in facie ruborem cum tuberculis, quibus vultus defœdatur, ac si Guttis Roseis conspersus esset; ut Tu in epistola tua narras. Hujus affectus proxima causa est portio lixiviosa Sanguinis coagulata, & stagnans sub cute, præsertim in facie, ubi magis exoritur hic affectus, quia supposito intempestivo potu, ut Tu in tua epistola innuis, frequenter etiam Sanguinis æstus, & rarefactio augetur, undè vasa distenduntur, & compressione sua impediunt, quominus Sanguis in venis faciei debita promptitudine ad cor descendere queat; & sic tardius profluens incrassatur, & crassiores suas particulas in poris cutaneis relinquit. Concurrit etiam ad hoc structura glandularum ipsius faciei, quandò scilicet earum tubuli strictiores existunt, unde coercent fæculentas cruoris particulas. Ad Prognosim quod concernit; si hic affectus altas egerit radices, & confirmatus evadet, incurabilis erit; si verò non adeò pertinax, tunc spes erit recuperandæ salutis. In curatione igitur tollendæ erunt obstructiones, & illæ viscidæ salino-lixiviales particulæ per diaphoresim, vel per alia locæ educendæ; & causæ antecedentes emendandæ, ac tota Sanguinis massa à particulis salsis, austeris, lixivialibus liberanda. Expiatis igitur primò communiter primis viis, ad usum *decocti ex Salsaparilla, radice Chinæ, Sassafras, Lentisco facti in aqua Borraginis* recurrendum erit, inde vinum medicatum è plantis sale nitroso abundantibus assumendum, cujus descriptionem exhibet *Theodor. Zvvingerus in sua Praxi Medica.* Proderit etiam sequens si *Platero* credamus: ℞ *Summitatum Lupuli* re-

recentis, Fumariæ recentis, ana, manip. j., foliorum Senæ, ʒ.iij. *coque in sero Caprino, colaturam bibat, & repetat. Antihecticum Poterii* laudat *Dolæus.* Externè verò proderunt sequentia, *Flores Sulphuris in aqua Rosarum, aqua spermatis Ranarum, florum Fabarum, sal Saturni, oleum Tartari.* Multi *urina* propriâ partem affectam lavant. Ungentum sequens describit *Thom. Burnetus:* ℞ *Lithargyrii auri, Cerusæ, ana,* ʒ.ij. *Unguenti citrini,* ℥.j.ß., *Thuris, Mastiches, ana,* ʒ.j.ß., *Radicis Serpentariæ, Ossis Sepiæ, ana,* ʒ.j., *Olei Tartari,* ʒ.iij., *Succi Limoniorum,* ℥.j. *Misce* inungatur facies. Sequens remedium maximè laudatur à Dolæo: ℞ *Aquæ Rosarum, florum Liliorum cœlestium, ana, lib. j. Sulphuris vivi* ℥. j. *Camphoræ* ʒ.ij. *ossis sepiæ,* ʒ.iiij. *medullæ Vituli,* ʒ.ij. terantur omnia, & cum aquâ supradictâ misceantur; ponantur ad *Solem*, quotidiè agitando, & illo liquore facies illinatur. In diæta demum omnia salita, & aromatica fugere debet Ægrotans noster; & vinum aqua diluatur, ac motus corporis sit moderatus; uno verbo, victus ratio morbo proportionata esse debet, à tua prudentia præscribenda, cujus prudenti judicio reliqua omnia judicanda, ac disponenda relinquo. Faxit Deus, ut salutaria evadant.

Petebas insuper in tua epistola, an aliqui fuerint Medici, qui de morbis Viduarum scripserint. Ad quod respondeo, duos fuisse Medicinæ Doctores in quorum libris ego inveni factam mentionem de morbis Viduarum. Primus est *Ludovicus Mercatus* in suo libro, cui titulus *Gynæciorum*, sive de Mulierum, Viduarum, Sterilium, Prægnantium &c. morbis; libri quatuor: Basileæ 1588. 40. Secundus autem est *Rodericus à Castro* Lusitanus in suo opere, cui titulus est, *De universa Mulierum Medicina*, in cujus parte altera tractatur de Virginum ac Viduarum morbis: Hamburgi 1604. in fol. hæc de hac re.

Nunc pergo ad aliam tuam petitionem, quæ fuit, an in Tussi Infantium liceat inungere pectus. Quocirca respondeo, aliquos esse Medicos, qui negativam tenent, quia omnis inunctio obstruit porositates cutis, nec virtus linimenti penetrare potest ad intima: præterquamquod ipsa inunctionis frictione calida, major fit ad locum affectum affluxus. Ego verò affirmativam teneo cum *Gregor. Horstio*, quia ejusmodi linimenta, vim molliendi, & dige-

gerendi possident; sic igitur ad primum respondemus, inunctionem actu frigidam poros cutis obturare, minimè verò, quæ potentia, & actu calida sunt unguenta; imò licet aliqua attractio fiat, id accidit ad exteriora, & partem sanam, non autem ad affectam, seu interiorem, verbi gratia, Pulmonem, Diaphragma &c.

Ultimo loco visum est, te exoptare à me scire, an Connubium sit utile in Chlorosi; quocirca, dico vulgatam esse opinionem, Virgines valetudinarias, si viro copulentur meliorem consequi valetudinem; & revera interdum accidit, ut quæ Virgines decolores fuerunt, ac pallidæ, nubendo fierent vegetæ, & roseum corporis colorem acquirerent; contra verò compertum est, suadente *Sennerto*, quasdam Virgines post nuptias, non convaluisse, sed in pejorem statum fuisse conjectas; ideò distinctione opus est, nam si ex mensibus, vel semine, ut aiunt, retento illa valetudo adversa ortum habeat, tunc tutum erit, Virginem Marito jungere, ita enim uterus facilè expurgari poterit; si verò in aliquo viscere, verbi gratia, Liene, Hepate, Pancreate, vitiosa aliqua adsit dispositio; illa Matrimonii, ac Veneris usu non tollitur, sed potius augetur, & obstructiones crescunt, undè diurnæ febres, aliaque nascuntur incommoda; immò cum in illis Sanguis non sit defæcatus, ac bonæ crasis, fœtui probum alimentum non deveniet, & exinde fœtus debilis erit, partus laboriosus, vel mola, abortus fiet. Tales ante conjugium primò curandæ sunt, aut si incurabiles fuerint, melius erit, illas innuptas remanere. Vale interim Vir Excellentissime, & communibus Amicis salutem meis quoque verbis plurimum indulge. Dabam Ferrariæ sexto Idus Novembris. anni 1728.

CONSULTATIO CXLVIII.

De Strumis.

AD me perducta est Adolescentula ætatis annorum XV. temperiei Sanguineæ, cui nondum apparuit Menstrualis fluxio, sed in variis corporis partibus tumores Strumosi orti sunt, & specia-

ciatim in Gula, & Brachiis. Ejus Parentes meum consilium petiêre.

Hæc affectio Struma, seu Scrophula dicitur, quoniam frequenter Scrophis in collo nascuntur, vel a multiplici partu, quoniam sicut Sues multos edunt partus, sit in Scrophulis ex una plures fiunt, sunt enim numerosæ sobolis, ut in casu præsenti. *Galen. lib. de Tumor.* ait, *ubi glandulosæ partes indurantur, & ad Scirrhum devenerint, is affectus Struma vocatur.* Ego autem definio sic: Tumor est est Struma scirrhosus glandularum vel in collo, vel in aliis partibus, proveniens a materiâ collectâ, congelativâ, stagnante, ac induratâ; cujus duæ species, benigna scilicet, & maligna; hæc cum inflammatione, & dolore; prima sine dolore, & inflammatione, ut apparet in præsenti Adolescentula: iterum aliæ sunt mobiles, & pendulæ; & aliæ imobiles, & fixæ, quales sunt, quæ Patientem nostram torquent. Causa hujus affectus est lympha tenax, & viscida à particulis ramosis, & terrestribus ligata, à multis tartarea dicta. Ut ad Prognosim deveniam, dico Strumas difficiles esse curatu, undè ad pessimum morbi genus referuntur a *Dolæo*, & certè fatigant Chirurgos, & Ægros, quia non facilè suppurantur, nec discutiuntur, & frequenter in Scirrhum exquisitum degenerant, & transeunt in gypseam duritiem, & exulceratæ desinunt in ulcera fistulosa. Cùm verò in Pueris facilius resolvantur, & curentur, quàm in Senibus, ideò spes affulget salutis; licet sit *Mercurialis*, qui afferat, quod licèt exactissimè curentur iterum, atque iterum revertuntur. In Strumarum curatione quatuor intentiones convenit habere, suadente *Franc. Peccettio Cælestino.* Prima in victu ac in rebus nonnaturalibus, secunda in Pharmacia, tertia circa localia, & quarta in manus operatione. Prima ergo intentio sit, moderatè uti cibis, & moderatè siccantibus; potus sit Vinum bonum, & fames erit toleranda; absint cràssa cibaria, & humidiora, aquæ potus, & immoderata repletio: Motus ante cibum juvat, somnus sit brevis, caveat ab ira, & risu profuso, & immodica locutione; & alvus semper lubrica servetur. Pro altera intentione inservire poterit *potio ex Manna clarificata* pro alteranti *decoctum Betonicæ, Fumariæ, Scrophulariæ, Cichorei,* & *vinum medicatum cum Salsaparilla*, & *Quercino*, ac *Radice Chinæ. Aëtius* laudat *carnem Viperarum*, & *Galenus Theriacam. Felix Platerus* pulve-

verem Spongiæ in furno exficcatæ per multos dies jejuno ftomacho ad drachmam unam; & *Frider. De ckers fpiritum falis Ammoniaci* internè, & externè. Bis inftituatur Phlebotomia in pede, & educantur unc. IX. Sanguinis pro qualibet vice. Pro tertia intentione uti poterit emollientibus, & incidentibus, & primò poterit applicari fequens Cataplafma: ℞ *Stercoris Caprini in aceto decocti, & cum axungia fuilla commixti ad Cataplafmatis formam.* Tres *Bufones* in oleo Olivarum in vafe terreo coctos, oleum quoddam facere ait *Petrus Borellus in obferv.* quo feliciter curantur Strumæ; fed cum vapores, dum fit, noxii fint, ideò ab iis cavendum, & probè vafa erunt lutanda. Scrophulæ primò, juxtà *Mangetum in Biblioth. Med. Pract. lib.* 16., arfenico admoto veficante excorientur, pars deinde admotione fublimati corrodatur, ac demum oleo dicto utendum, quod præftantius erit, fi in eo faltem Bufonem infuderis; & hinc forfan orta funt antiqua Galliæ infignia, erant enim tres bufones, cùm Reges Galliæ hujus morbi curam fufceperint; dicunt enim Chriftianiffimo Francorum Regi divinitus peculiari dono effe indultum, ut plurimos Strumofos folo manuum attactu integræ fanitati reftituat. Sequens emplaftrum commendatur a multis: ℞ *Ammoniaci, Galbani aceto foluti, ana,* ℥.j. *Bdellii,* ℥.ß. *Medullæ Cervi, adipis Anatis, ana,* ℥.j.ß, *Mucilaginis Althææ,* ℥ij. *pulveris Ireos Litthargyrii* ℥.ß.℥j., *Olei Anethi* & *Ceræ Q.S. Mifce fiat* S.A. Emplaftrum. In curandis Scrophulis magnam vim *Dolæus* adfcribit *Opoponaci*, a quo externè adhibito, eafdem penitus evanituras effe nonnulli confidunt. *Emplaftrum de Ranis* cum *Mercurio* apponunt alii. Hìc autem Eruditionis gratia liceat mihi defcribere curationem, quam Rex Galliarum in Strumis facit, ut fupra innui, defumptam *à Dlοæo in fua Encyclop. Chirurg. lib.* 2. „ Die Pentecoftes Rex „ Galliarum horâ vefpertinâ, Deo reconciliatus, & facra ufus Sy- „ naxi in Æde D. Francifco Sacra, homines morbofos ab Archiatro „ Regio, ejufque Collegis, in duos ordines ab utroque latere ita „ collectos, ut fpatio intermedio, perfonæ quatuor juxta fe invi- „ cem una vice tranfire queant, fimul probè exploratos, num ex „ avaritia, & ftudio captandi doni, aut dolo, & malitia ex aliorum „ hoftium inftinctu Regem inftrumento quodam, aut armis hac ra- „ tione infidiosè, & clanculum lædendi, aut occidendi, fe ægros fi- „ mulent, Satellitibus, aliaque cohorte militari ftipatus, capite nu-

„ datus,

„ datus, & facie manibusque singularem præ seferent pietatem accedit; Adventante verò Rege homines morbosi manibus in Cœlum „ sublatis in genua devotè procumbunt, quos deinde Medici à tergis eorum stantes capillis placidè prehendunt, & versus Regem „ declinant, qui brachio dextro aliquantum exerto, & manu in „ formam Crucis posita singulorum frontes tangit, hisce simul prolatis verbis *Rex tangit te, Deus sanat te in nomine Patris, Filii, & „ Spiritus Sancti.* Quibus peractis Regis Eleemosynarii, unicuique „ exhibent munusculum, & unum post alium per atrii fores dimittunt. Regi verò exhibetur aqua pro abluendis manibus; & „ actus hic ceremoniis hisce finitur „. Sed veniamus modò ad quartam intentionem, quæ Chirurgiâ, & manus ope completur; extrahitur ergo Struma, vel ferro, vel causticis, vel igne: hîc autem monendus Chirurgus, non ante Scrophulas aperiendas esse, quam universus humor conclusus in pus plenè, & perfectè abierit, aliàs reliquum humoris crudum restabit, ac nisi vix, & longo temporis tractu ad maturationem perduci poterit, quod præceptum in Strumis præsertim, sed in aliis abscessibus quoque, qui ad suppurationem veniunt, esse observandum monuit olim *Ambros. Pareus.* Divelluntur porrò, cutis facta incisione, & amputantur; sed in hac re perficienda diligenter cavendum, ne Venas jugulares, carotides arterias, aut nervos recurrentes ferro violemus, tunc enim esset error pejor ipso morbo, ut accidit in Puella X. annorum Strumis laborante, asperæ arteriæ, & nervo recurrenti tenaciter adhærentibus, de qua narrat *Fabricius Hildanus*, quod temerarius quidam exsecuit Strumas adhibita novacula, & illicò obiit Puella. Pariter curationem moliri per potentialia, vel actualia cauteria periculosum admodum esse monuit *Platerus*, quapropter benè ait *Mercurialis*, Strumas ferro, & igne tractare, esse negotium cum timore, & prudentia tractandum. Mitioribus ergo remediis utendum erit, ut supra dixi, ut salus à nostra hac Puella acquiratur.

CON-

CONSULTATIO CXLIX.

De Ganglio.

Ab Epistolâ tuâ humanissimâ heri mihi redditâ per Tabellarium, Illustrissime Domine, intelligo, te optare à me aliquod remedium pro curando Ganglio, quo à non pauco tempore afficitur honesta quædam Fœmina, ætatis consistentis, Vidua; in dextro quippe poplite tumorem gerit ad pugni unius magnitudinem, molestiam potiùs, quàm dolorem afferentem.

Hic tumor igitur durus est, & indolens, quo presso stupor sentitur, pellicula propria includitur; quod si longè ab articulationibus enascatur, à quibusdam dicitur Nodus. A lenta, & viscida lympha originem ducit; nunc minuitur, modò augetur. Ad remedia quæ petis nunc venio. Primò admoveri potest *aqua Vitæ cum Succo Rutæ* mixta, arctè ligatis linteis. Laminam etiam plumbeam hydrargyro illitam applicat *Sam. Formius*; quo remedii genere pluries feliciter usus sum in praxi facienda. Balneum sequens experiri poterit. ℞ *Lixivii, Urinæ, Vini, ana, partes æquales, bulbi Liliorum,* ℥. ij. *Aquæ vitæ, Spiritus Juniperi primi,* ℥. ij, *Secundi,* ʒ. j. misce: cum spongiâ intinctâ foveatur calidè tumor; deinde apponatur sequens Emplastrum; ℞ *Radicis Bryoniæ, Iridis recentis, ana, lib. semis, bulborum Liliorum,* ℥. ij. *coque in aceto forti, & contunde addendo olei Liliorum,* ℥. ij. *Gummi ammoniaci in aqua Vitæ soluti,* ℥. iij. *pulveris radicis Ireos,* ʒ. ij. *misce*: redigantur in formam emplastri; & sæpè hoc remedium repetatur.

Pro ceratis adhiberi poterunt, *ceratum Oxycroceum, de Marcasita, de Ranis cum Mercurio,* vel *ceratum ex Ammoniaco, & Bdellio.* Quæ pauca, quantulacumque sint, faxit Deus, ut nostræ mulieri prosint. Interim tibi, Illustr. Domine, & Illustri Patienti inculpatam a D.O.M. precor salutem. Vale Academiæ tuæ decus, & me ama.

CONSULTATIO CL.

De Ganglio.

NUdius tertius accepi Literas tuas humaniſſimas, *Vir Excellentiſſime*, in quibus te optare dicis meum conſilium de Ganglio, quod in quadam Monacha curandum habes.

Dico Ganglion, eſt tumor parvus, non in profundo, ſed ſub cute ſaltem delitеſcens, inæqualis, in compreſſione ad latera recedens, ut etiam mutatis verbis in tua Epiſtola legi; accidit ut plurimùm iſte tumor in pedibus, vel manu, ut in caſu noſtro; rariſſimè autem in cubito, ac capite; plus minus renitens tumor eſt cuti concolor ab expanſione tubulorum tendinoſorum; aliquandò oritur à lympha in quadam cyſtide collecta, incraſſata, ac indurata, & ratione ſuæ originis, Aneuriſma vaſorum lymphaticorum dici poteſt. Recedo itaque à ſententia *Dolæi*, qui à contorſione, & induratione tendinum provenire ait. Producitur Ganglion ferè ſemper à cauſa aliqua violenta, & externa, ut obſervaſti in caſu noſtro. Curatio tota in ejus extirpatione dependet; Si igitur materia ejus nondum ſit indurata, per attenuantia, incidentia, & reſolventia remedia protinus diſcuti debet; ad quod valet *Lamina plumbea Mercurio illita*, aut *ceratum de Ranis cum Mercurio*, quod ceratum acui poterit cum *oleo de lateribus*. Fotus ſequens à nonnullis uſurpatur. ℞ *Lixivii Sarmentorum, part. iiij. Aceti optimi, part. j. Antimonii crudi, Aluminis, Tutiæ, Æruginis, ana, q. ſ. bulliant*, & lintea huic liquori calefacto immerſa ter quotidie applica uſque ad tumoris evaneſcentiam, & diſcuſſionem. Si Ganglion autem durum fuerit ac diſcuti nequeat, debet exſcindi, nimirum cutis ad panniculum carnoſum uſque cruciatim inciditur, hinc elevato panniculo integra cyſtis Ganglii evellitur, vel ſeta rubra circa radicem Ganglii trajicitur, & tota ejus radix conſtringitur, ac reſecatur, radicem poſtea tangendo lapide infernali; ulcus autem relictum conſueto Chirurgorum modo ſanatur.

tur. Si verò Æger abhorreat à tali cruda operatione, ac resecationem Ganglii respuat, ad sequens emplastrum discutiens, & valdè resolvens deveniendum erit, nempe, ℞. *Colophoniæ*, ℥. iij. *Ceræ novæ*, *Picis navalis ana*, ℥.ij. *Therebinthinæ*, ℥.j. *Gummi Tacamahacæ* ʒ. v. *Elemi*, ℥. ß. *Olibani*, *Masticis*, *ana*, ʒ. ij. *Boli Armenæ*, *Spongiæ ustæ præparatæ*, *Cochlearum cum testis calcinatarum*, *ana* ʒ. iiij. *Florum Balaustiorum*, ʒ. ı. ß. *Lumbricorum terrestrium præparatorum* ʒ.ij. *Mesce fiat S. A. Emplastrum, addito oleo Philosophorum, & etiam Mercurio.* Ante verò hujus emplastri appositionem, pars affecta poterit foveri *vino*, in quo bullierint *Aristolochiæ rotundæ radices*, & *Scrophulariæ*, vel saltem inungi debet *oleo Succini*. Emplastrum autem alutæ superinductum, & impositum per septem dies linquatur, inde replicetur, donec evanescat. Congrua his addatur vivendi ratio, & à Deo speret salutem, ut ex corde precor.

CONSULTATIO CLI.

De Verrucis.

UT ex eloquentissima epistola Excellentiss. Dom. ad me transmissa rectè intelligo, Nobilissimum Juvenem Verrucis in utraque manu laborare, quod turpe visu videtur, & est contra venustatem, & suavem corporis formam, quocirca à me petit auxilium.

Ut autem more Medico procedam; primò quid sit Verruca videndum est. Verrucæ igitur sunt tubercula ex cute instar monticulorum pronata, absque dolore, subdura, & scabra, corporis venustatem fœdantia; & originem habent à vitioso succo nutritio ad exteriora cutis repente, & juniores maximè infestante, quod morbi genus invasit antiquis temporibus, teste *Plutarco in Q. Fabio Maximo Verrucoso*, undè *Serenus Sammonicus* cecinit.

Interdum existit turpi Verruca papilla.
Hinc quondam Fabio verum cognomen adhæsit.

Habebat enim *Fabius* Verrucam in labris si *Keuchenio* credamus, undè *Plinius* vocat eum *Fabium Verrucosum*. Hic morbus nullum vitæ periculum portendit; quantò tamen citiùs fieri poteſt tollendæ sunt Verrucæ ne in majorem crescant molem, idcircò Pharmacia, & Diæta relicta, ad remedia topica externè apposita deveniendum erit, quibus mediantibus Verrucæ tolli, atque extirpari poterunt. Imprimis ergo, suadente *Foresto*, omni die *Sale*, & *Aceto* Verrucas confricare bonum erit; tale enim remedio Patrem suum à Verrucis sanatum fuisse affirmat. Sunt alii, qui madefaciunt illas *Succo Calendulæ*, & hoc solo remedio sanatas dicunt. *Succum Tithymali* commendant nonnulli. Præterea *Raphanum* excavavit, illoque *Sale* impleto, & in catino, operculo occluso, per noctem servato, sal in liquorem versum invenietur; eo liquore Verrucas confricare oportet, eisdem prius incisis, ut liquidum penetrare queat, & panno eodem liquore tincto superligato, & sic oppugnatæ Verrucæ decident, quod est secretum *Alexii Pedemontani*, ab aliquibus tamen nostris Ferrariensibus feliciter expertum. *Radicem Chelidoniæ* cum *axungia* tritam, & admotam, & *agrimoniam* cum forti *aceto* emplastratam commendat *Th. Burnetus in Thes. med. lib.* 18. Hîc verò apponere nonnulla alia remedia non incongruum puto, ut tu, Excellentis. Vir, possis, quod magis tuæ prudentiæ congruum videtur eligere. *Philipp. Salmuthus* ait, Verrucas cujusdam puellæ totas manus occupantes solo *Sanguinis Tauri* illitu sublatas fuisse. *Sal Ammoniacum* in aqua communi solutum *Petr. Borellus* laudat. *Lac Ficulneum*, & *spiritum Sulphuris Simon Jacoz. Portulacam* contusam *Samuel Formius*. *Scrophulariam Chalmeteus. Folia Salicis Fallopius. Pisa, & Ciceres Dioscorides. Heliotropium Platerus. Alii Cichoreum Verrucarium, lac Tithymali, radices Dracunculi, Iridis, Ari, Cyclaminis, folia Sabinæ, Rutæ, aquam ex Sarmentis Vitium. Oleum Antimonii* commendatione dignum esse asserit *Donzellus*, & pariter laudat *oleum Tartari*, *oleum Vitrioli*, ejusque *spiritum*; necnon *Scillam* assam, & appositam. *Hepar Siluri piscis* optimum esse contra Porros, sive Verrucas scribit *Nicol. Lemery* in suo *Dictionar. Pharmac.* Sequens linimentum præscribit *Baldas Timœus*: ℞ *Mellis rosati*, ℥. *ij.*, *Spiritûs Vitrioli* ℥. *iij.*, pro linimento, quo sæpe illinantur Verrucæ. *Elaterium* cum *Sale* mixtum pro-

proponitur à *Franc. Peccettio suæ Chirurg. lib.* 1. cui addit etiam sequens medicamentum: ℞ *Sulphuris vivi*, *Sandaraci*, *Elaterii*, *ana*, *partes æquales*, *tere cum aceto*, *&* S. A. *pastillos* efforma, quibus dissolutis illine; vel: ℞ *Foliorum Æris*, ʒ. vi. *Vitrioli Romani usti*, ℥. ß. *Misce*, & fiat pulvis subtilissimus & cum *felle Hirci* misceatur, & inde frequenter applicetur. Si autem talibus remediis Verrucæ non cedant, immò pertinaces crescant, artem nostram deludendo, ad Caustica erit deveniendum, & quidem potentiora, ut verbi gratia sunt *Spiritus Nitri*, & *aqua Fortis*, qua Ego usus sum in filio meo unico annorum ætatis 20. super utrasque manus Verrucas pertinaces habente, quo caustico pori illi mortificati fuere. Si verò caustica dolores, ac inflammationem excitent, anodynis mitiganda erunt, deinde ad caustica redeundum, donec omninò Verrucæ evanuerint. Quæ omnia tamen, Domin. tuæ Excellentis. prudentiæ sunt remittenda. Interim vale, ac me ama.

CONSULTATIO CLII.

De Varis.

QUæcumque ad Viri Nobilis ægritudinem cognoscendam, atque curandam pertinebant, tam copiosè, & prudenter non minus acta, & scripta à Dominatione tua Excellentissima sunt, ut qui plura velit, is quoque majorem lucem in ipso Sole desiderare videatur. Ut autem quod sentio dicam, breviter me expediam.

Morbus iste à Latinis *Varus* dicitur, à Græcis ἴονθος: & est, ut in vultu istius Nobilis nostri Patientis videtur, exiguus tumor in facie, ac durus; qui in nostro casu multiplicatus est ad deformandam ipsam faciei cutem. Istius affectionis causa, meo videri, est pinguior humor spiritu turgidus ad musculos faciei delatus, & ab acido præcipitatus, ac coagulatus, ut nec in vasa absorberi, nec per poros cutaneos exhalare possit, undè diutius ibi morando fibras distendit, & vultum reddit cum rubedine tuberosum, quemadmodum in casu nostro. Indicationes curativæ erunt glandulas libera-

re ab acido-crasso-terrestri succo illas infarciente; fluxilem reddere illum humorem, ne amplius coalescat; & fibras musculares cutaneas corroborare, ne iterum talis in facie deformitas appareat. Quæ ut assequantur, primò institui debet communis primarum viarum expurgatio, & hoc ut affluxus ad partem affectam cohibeatur, & causa, ut dicunt, antecedens tollatur. Venæ sectio instituenda in brachio dextro, immò proderunt etiam cucurbitulæ scarificatæ. Peractis verò convenientibus evacuationibus, ad topica, & specifica deveniendum erit, in hisce quippe præcisa curatio Vari consistit: Licet Ego hujus morbi curationem in sanguinis purificatione consistere credam; attamen nonnulla ex Authoribus Medicinæ decerpta in præsentiarum describam, ut integrè meo muneri satisfaciam. Facies ergo abluatur *aqua Florum Fabarum*, & *Sero lactis*. Bonum etiam erit sequens linimentum: ℞ *Aquæ Spermatis Ranarum*, *Liliorum alborum*, *Florum Fabarum*, *Pulpæ Citri*, *ana*, ℥.ß., *olei Tartari*, ʒ.ij., *Sacchari Saturni*, ℈.j. *Cerussæ*, *Boracis Venetæ*, *ana*, ʒ.ß., *Camphoræ*, ℈.ß. *Misce*: Et hoc remedium esse expertissimum ait Clariss. *Mangetus in Biblioth. Medic. lib.* 3. Sequens aqua destillata à nonnullis commendatur: ℞ *Camphoræ* ʒ.ij. *Cerussæ* ʒ.j. *Cicerum rubrorum*, *libr.* ß. *interiorum Melonis*, *libr.* j. *ovorum Hirundinum*, *n.* X. *Margaritarum*, ʒ.ij. *Seminum Bombacis*, ʒ.iij. *Salis communis*, ʒ.ij. *succi Limoniorum*, ℥.ß., *Tartari Vini albi*, ʒ.ß. *pulverizentur* pulverizanda, & contundantur contundenda, & infundantur omnia simul in *lib.* X. *aquæ destillatæ Lapathi acuti* per duos dies, tum destillentur in Alembico, & aqua exiens servetur ad usum. Saliva quoque hominis jejuni, spiritu acido, & alcali turget, cujus ratione esse cosmeticam ait *Joh. Dolæus*, undè valet illita ad Varos, & alias cutis faciei maculas ejiciendas. Nonnulli utuntur *Mercurio vivo* cum *succo Limoniorum subacto*, & cum *pinguedine Viperarum redacto in modum linimenti*. Verùm hîc notandum cosmetica, & præsertim Mercurialia, habere sequentia incommoda, nempe quod sint tantum pro fuco, rugas quoque cutis contrahant, & citò senescere faciant, inde inimicissima sunt Gingivis, Tonsillis, Dentibus, & partibus circa palatum existentibus; hinc ulcera oris, fœtorem, & vacillationem dentium inducunt; quare Puellis suadet citatus *Dolæus*, ut cautè istis mercentur. Congrua addatur

victus

victus ratio; atque hæc pauca adduxi, ut confirmarem ea, quæ à Dominatione tuâ Excellentissimâ proposita sunt.

CONSULTATIO CLIII.

De Morphæa.

ADolescens ætatis annorum XV. Vitiligine affectus, faciem habet valdè rubram, & pustulosam, ex qua furfures, & squammæ decidunt; insuper tota corporis cutis valdè maculosa, & defœdata, ita ut quasi leprosus appareat: consilium petit, ut sanitati restituatur.

Inter Cutis vitia annumeratur Vitiligo, quæ nihil aliud est quam fœdus color cutis ex malo habitu proveniens, nutrimentum assimilare non valentis. Differt autem Morphæa à Lepra, quod hæc sit in carne, illa verò in cute. Rara hæc affectio est. Ego verò in Praxi facienda vix duas Morphæas vidi, & curavi ipsissimis remediis, quibus curatur Elephantiasis. Cùm igitur tota hujus adolescentis cutis valdè maculosa, & defœdata sit, & cùm optet, ut facies præsertim, quantò citius fieri queat, pristinum colorem, & nitorem recipiat; purgato prius leniter corpore Medicinâ lenienti assumptâ; *oleo* primùm *Raparum cum aqua mixto* oblinenda erit cutis; inde mutando remedium, sequenti oleo inungat cutim omni vespere ante somnum. ℞ *Olei Tartari, Vini albi potentis, ana*, ℥.j.: inde sequenti unguento utendum erit: ℞ *Olei Tartari*, ℥. *ij. Olei Amygdalarum amararum*, ℥.j. *succi Lapathi acuti*, ℥.*i. Ceræ Q.S. Misce fiat S. A. Unguentum.* Demum sequenti balneo utatur: ℞ *Colochyntidis*, ℥. j. *decoque in aceto, & aquæ fabariæ lib. semis*, eâque calefactâ spongia illi immersa cutem labe fœdatam abluat, &, ut spero, brevi tempore maculæ cutis delebuntur. His porrò accedat congrua victus ratio &c.

CON-

CONSULTATIO CLIV.

De Alopecia.

Collegi ex tuis Literis, Filiam tuam annorum ætatis XXI. Alopecia laborare, poſt enim Quartanam Febrem Capilli cadere eidem cepêre. Ut tibi ſatisfaciam, & tuæ filiæ medicamenta proponam ad tollendam hanc affectionem, breviter me expediam.

Morbus igitur iſte Alopecia vocatur à Medicis, & eſt Capillorum defluvium, cujus cauſa dependet à pravo, & corrupto humore capillorum radices erodente; & ſic poſtulat hic affectus correctionem ejuſdem humoris; & ad naturalem ſtatum reductionem: quod ut conſequi poſſit, prius purgato communiter corpore, ſequenti unguento utendum erit. ℞ *Olei Abrotani*, ℥.j. *Pinguedinis Urſi*, ℥.j. *Cineris pellis Echini terreſtris*, ʒ.iij. *Nucum uſtarum* ʒ.j. *Mellis parum*: *Miſce*, *fiat Urnguentum S.A.* Mane jejuno ſtomacho quotidie aſſumat *decoctum Salſæparillæ & radicis Chinæ* ad humores edulcorandos. *Pinguedo Urſina* à multis commendatur, quoniam habet proprietatem Capillorum defluvio medendi juxta *Nicolaum Fontanum*. Nec volo, nec poſſum ſilentio involvere quædam remedia à nonnullis Medicinæ Magiſtris propoſita, ut ſic tuo genio ſatisfaciam, & omnia, quæ ad hanc rem attinent, attingam, ut ex tantis remediis, quod tibi magis arrideat, aſſumas; *Paulus Ægineta pulverem pellis Viperarum combuſtæ* laudat contra Alopeciam. *Succum radicis Nenuphari* applicari utiliter in noſtro caſu ait *Donzellus*. *Abrotanum* contuſum, ac impoſitum juvare ait *Nicol. Lemery*. *Adipem Anguillæ* illitum, *Stercus Murium*, *Lacertas*, *Fellem Suillum*, *Veſpas* pulverizatas, & *Muſcas* contuſas, & applicatas optimas eſſe ad hoc, ut Capilli naſcantur, & creſcant, & ſiſtantur, ſi decidant; Inſuper *pinguedinem Vulpis* illitam optimam eſſe, ait *Joh. Schroderus*. Coquantur ait *Jo. Stephanus in ſua Coſmetica grana Juniperi*, *Ladanum*, *Abſinthium*, *Adianthon ex vino*, & *oleo Myrthino*, ſimul mixta madeſcant per integram hebdomadam, tum recoquantur ad vini conſumptionem, & percolentur, validèque expriman-

mantur, colatura servetur, ad Capillitium ungendum. *Succus* insuper *Nicotianæ* capiti illitus mirandum in modum Alopeciam submovet eodem suggerente *Stephano* Medico suæ ætatis præstantissimo. *Oleum Ovorum* laudat *Joh. Crato in Consil.*; & *Oleum Caryophillorum* chymicum *Roder. à Fonseca in Consil.*: His autem addatur congrua victus ratio; abstinendum à salitis, ab acribus, à vaporosis, à vino meraciori; sicque ut spero, Capillorum decorem recuperabit Patiens nostra. Quod reliquum est, vale Vir Illustris, & Lanzonum tui amantissimum omni tempore diligere perge: iterum vale.

Eventus.

Nonnulla ex præscriptis remediis adhibita fuêre, & intra mensem perfectè convaluit Juvencula ista à Capillorum defluvio.

CONSULTATIO CLV.

De Area, seu Alopecia tollenda.

REmedium cupis pro Area tollenda. Hæc Medicè sumpta nihil aliud est, quam Alopeciæ species, & est Capillorum defluvium, evenit autem hoc Capillorum vitium interdum penuriâ nutrientis, vel succi nutritii vitio, nempe acris, ac maligni: ad quam affectum tollendum post universalia remedia, commodè linimento ex cinere Apum, & oleo Myrthino parato uti poterit: priùs tamen lavari debet caput lixivio aliquo convenienti. *Petrus Forestus* emplastrum ex *Muscis tritis*, *Therebinthina & Vitello Ovorum* concinnatum apponit; & nonnullis profuit liquor è limacis rubris sale aspersis stillans, cum oleo Ovorum mixtus, loco prius panno aspero fricato; necnon *Pulvis Murium domesticorum ustorum* cum *adipe Ursi*, & *medulla Cervi*: & notat *Fontanus*, pinguedinem Ursinam propria qualitate Capillos juvare. Notandum autem, gradatim procedendum esse in admotione remediorum, nam tria remediorum genera parari debent, debilia, quæ in usu sunt in morborum initio,

& in levibus affectibus, & corporibus delicatis, ut Puerorum, Nobilium, & Fœminarum; mediocria in mediocribus; robustiora in fortioribus, ac robustis. Hanc igitur distinctionem summo studio observandam à te esse volo. Sæpe ergo erit inspiciendus locus affectus, ut noscatur, an medicamen admotum debilius, vel acrius sit.

CONSULTATIO CLVI.

De Porrigine.

VIx ullus morbus rectè curari potest per Medicum absentem, & Ego nihil ago difficiliùs; attamen, ut obediam Excellentissimo Domino, qui diligentem historiam morbi Illustris Civis mihi humaniter transmisit, meam circa essentiam talis affectus sententiam, & curationem remittere coactus sum.

Cùm igitur Patiens noster in ætate annorum XXXIX. melancholici temperamenti, post febrem quartanam, illi tenues squammulæ furfuraceæ & capitis, & corporis universi superficie continuò resolvantur, pluribus ulceribus relictis, è quibus sanies ex intervallis per totum corporis habitum emanat, quod malum non solùm est fœdum ac molestum, sed periculosum, & faciliter in Lepram transire potest: idcircò ei auxiliares manus porrigere convenit.

A Græcis Πιτυρίασις, à Latinis Furfur & Porrigo iste morbus vocatur; ejusque causa immediata consistit in particulis acribus, salinis, serosisque ad ambitum corporis cum alimento delatis. Indicationes curativæ sunt corrigere totam Sanguinis massam, eamque liberando à particulis ichorosis salino-acribus cutem infestantibus, cutem ipsam ad pristinum salutis gradum restituere. Quæ ut habeantur, à Pharmacia primò inchoandum: & communiter prius purgato corpore, ad usum *decocti salsæparillæ, & radicis Chinæ* ad plures hebdomadas deveniendum erit, unà cum *pulvere Viperino.* Præcedere verò hoc decoctum poterit Sanguinis missio in dextra manu instituenda, secta Salvatella. *Balneum Urinæ* laudat *Zacutus Lusitanus*, in qua Urina prius *furfur*, & *fumaria* sint coctæ: nec sine ratione,

ne, nam vehementer abstergit, & potenter repurgat, quo pacto scabiem, sorditiem, pruritumque, nitrosa qua pollet facultate tollit, & sanat. Victu mediocri utatur, vitetque varietatem ciborum. Pauca hæc cursim scripsi pro salute nostri Patientis in medio mearum occupationum, semper ad confirmandam Consultationem Excellent. Dom. Curantis ad me transmissam.

Eventus.

Proposita auxilia adhibita fuerunt, & XL. dierum spatio Æger sanitati restitutus fuit.

CONSULTATIO CLVII.

De Phthiriasi.

VIr, qui huc accessit, ut pro valetudine sua sententiam meam intelligat, quantum ex ejus verbis licet mihi intelligere, morbo pediculari à duobus mensibus detinetur, & liberari enixè desiderat.

Hic affectus φθειρίασις nuncupatur à Græcis, à Latinis *proventus pediculorum*, sive *morbus pedicularis*; & definiri potest, sordidus universi corporis pediculorum effluxus; quo à duobus mensibus tanto pediculorum agmine infestatur hic Patiens, ut in cute, & per faciem catervatim quasi reptantes Pediculi, insignem molestiam, & pruritium excitent, somnumque impediant. Causam Veteres in vi seminali ponebant, in materiâ idoneâ latente, quam calor, ut causa adjuvans, excitat, & in actum deducit; quam causam suppeditare dicebant usum ciborum pravi succi, vestium sordes, corporis neglectam munditiem, & omissam capitis pectinationem. Cùm verò videatur Naturam in generatione insectorum semper sequi genesim ex ovo, id est ex semine, cùm à nemine negari possit è seminibus, vel ovis muscarum varii generis vermes produci; non absurdum ergo erit, in corpore nostro, ejusque humoribus contineri semina, è quibus convenienti accedente calore,

ac datis præviis dispositionibus plures gigni viventes, verbi gratia, lumbricos, pediculos &c. Semina verò istorum insectorum, cum cibo, potu, vestibus, per vias manifestas, modò cum aëre per occultas inferuntur. Cogito igitur in nostro Ægroto Pediculos fuisse introductos intra cutem, qua terebrata à lenta lympha è glandulis extillante alimentum sumpsêre, & ita luxuriantes Pediculi, & enormiter multiplicando, corpus istius Viri, veluti sylvam Pediculorum reddidêre; sicque pariter accidit in Scabie, Variolis &c. in istis enim morbis, & semina, & vermiculos esse compertum est, ut ex observationibus *Redi*, *Vallisnerii*, *Bonomi*, *Cestoni*, & aliorum Recentiorum constat. Quod spectat ad Prognosim, morbus iste à *Dolæo* morbum tædiosum dicitur, esse & contagiosum, nec parvi pendendum, ideòque celerrimè profligandum. Præcaveantur ergo hæc animalcula proba victus ratione, corporis blanda purgatione, & munditie. Primò igitur sollicitetur alvus *pilulis Aloëticis*, Aloës enim maxime facit adversùs vermes, aliaque insecta. De Venæ sectione nihil. Conducent porrò *decocta ex Salsaparilla*, *Chinæ radice*, *Sassafras*, & *santalo Citrino*. Externè lotio ex Aqua Vitæ utilis erit. Balneum olei Olivarum, Lixivii &c. Lavare corpus quotidie decoctione facta cum *Lupinis*, *Staphisagria*, & *aceto*, juvare poterit. Unguentum sequens describitur à *Burneto lib.* 14. ℞ *Axungiæ porci*, *Olei laurini*, *Saponis nigri*, *ana*, ℥. ß.; *Argenti vivi cum saliva hominis extincti*, ℈. j. Misce: imò ait, ad omnia genera Pediculorum occidenda, nullum esse præstantius remedium, quam Argentum vivum. Circa tamen hoc cautè est procedendum; Mercurio enim, qui utuntur, tremore, aliisque symptomatibus afficiuntur; & Ego semper à Mercurialibus abstineo. Pro amuleto sit *Camphora*. Accedat demum, ut supra dixi, idonea vivendi ratio apta secundum qualitatem, & quantitatem, & hæc erant dicenda in casu proposito.

CON-

CONSULTATIO. CLVIII.

De Obesitate.

VIr Nobilissimus adeò obesus est, ut vix incedere possit; cæterùm sanus est; verùm quia Obesi, ut plurimum vitæ sunt brevioris, teste *Dolæo*, ideò opem Medicam postulat.

Iste affectus est corpulentia nimia, sive crassities; & definitur, dispositio corporis in latitudine sanitatis, spectans ad auctam magnitudinem præternaturalem; & per diametrum opponitur gracilitati, & ponitur prima in classe tumorum, cùmque moderata corporis constitutio omnium sit optatissima, ita nimia Obesitas multa secum trahit incommoda, quæ vitam breviorem efficiunt, suadente *Bened. Sylvatico*: quamobrem Patiens noster Nobilissimus æquo corpulentior, timens, ne corporis sui moles ingravescat in dies: ideò medicam opem postulat. Ego itaque meam sententiam candidè aperiam, & quia in abundantia succi nutritii peccatur, & lymphatica illuvie; hæc erunt subtrahenda, & quanto citiùs fieri potest corpus ad naturalem statum reducendum, ne quid imposterum gravioris mali contingat. Alvus igitur lenissimis remediis proritetur, & semper laxa servetur; phlebotomia bis celebretur in utroque brachio; cibus sit parcus, & cœna levissima. Vinum sit modicè generosum, album, antiquum; imò familiaris sit usus *Aceti scillitici*, cujus solo usu ad *unc.* j. quotidiè jejuno stomacho curatum quendam Venetum ab Obesitate novi. Somnum fugiat diurnum, & cum labore se exerceat. Post exercitium frictionibus utatur. Panem cum furfure edat; sub vesperam utiles erunt *pilulæ ex Aloë lota cum succo Rosarum ad* ℈.ß. *Decoctum Guaiaci*, & *Salsæparillæ* cum tenui, & exsiccanti Diæta commendavit sua ætate *Mercurialis*; cum cibo utatur sequenti pulvere: ℞ *Tartari*, ℥.ij. *Cinnamomi*, ℥.iij. *Zinziberis*, ℈.j. *Sacchari*, ℥. iv. *Misce* fiat pulvis subtilissimus pro familiari usu. Sint pariter familiares *Cappares* cum aceto conditi. *Tabaci* masticatio prodesse poterit, & testis hujus rei erit *Petr. Borellus in observ.* Sunt qui cauteria commendant; Ego autem nec laudo, nec vitupero. Hilariter demum

vivat, & gaudeat conſortio amicorum. Quæ omnia ſalutaria illi ex corde precor.

CONSULTATIO CLIX.

De Veſicatoriis.

SI Virorum doctorum mandatis, ut par eſt, obtemperare unuſquiſque debet, *Excellentiſſime Vir*; nulla ſanè mihi temeritatis culpa injungenda, dum tibi omnium diſciplinarum ſplendore ornato, hanc epiſtolam rudi Minerva exaratam mittere non dubitavi, & hoc, ut ſcires meam de Veſicatoriis ſententiam. Amicus enim noſter communis mihi nuper ſignificavit deſiderium tuum ſciendi, quid Ego de talibus remediis ſentiam.

Videamus igitur primò quid ſint Veſicantia; ſecundò an conveniant. Veſicatoria igitur vocantur cauteria quædam potentialia, quæ virtute Euphorbii, & Cantharidum, aut alterius Cauſtici Veſiculas in cuticula excitant, undè ab effectu nomen ſortiuntur; eorum materia uſitatiſſima ſunt Cantharides, inſectorum genus, Fraxinum, Triticum, & Liguſtrum amantes, in noſtris Ferrarienſibus agris abundantes, quorum Veſicantium formulæ apud Pharmacopolas paſſim invenies. Medici utuntur hoc remedio ad revellendum, ut ipſi aiunt, derivandum, & evacuandum; & applicantur in variis locis corporis humani, ut cruribus, brachiis, coxis, aliiſque partibus juxta varias intentiones à morbo, ejuſque cauſa indicatas. Excitatæ à Veſicatorio veſicæ forfice diſcinduntur, & exulceratio non exſiccatur, neque cicatrizatur, niſi exhauſti ſint humores pravi, & morbus evaneſcat: folio interim Braſſicæ cum Butyro appoſito ad demulcendam acredinem illatam à remedio, ut ſic ichoroſa materia educatur, unde commendant tale genus præſidii in Affectibus ſoporoſis, Catarrho, Febre maligna, Apoplexia, Iſchiade, & Venereis exoſtoſibus: ſic humores per Veſicatorium excerpti, partim è cutis poris, & glandulis, partim ex arteriolarum oſculis, partim è fibrarum nervearum finibus extillant. *Henric. ad Heers* ſolis cucurbitulis ſuo modo applicatis, ſine appo-

ſitione

ſitione cauſticorum Veſicatoria excitat, ut videre eſt penes *Bonetum in Mercur. Compital. lib.* 19. & gloriantur aliqui Medici, quod qui Veſicatoria rectè adminiſtraverit, is difficilium plerorumque morborum victoriam obtinebit. Utuntur etiam, teſte *Ambroſio Pareo*, cum emortuæ parti vitam, & vigorem reſtituere volunt; ſic enim, aiunt, unà cum calore ſpiritus revocantur, & tunc deligenda ſunt mitiora Veſicatoria, nempe rubificantia tantum. Licet autem multi Medici talia medicamina, Veſicatoria ſcilicet, laudent; Ego tamen, ut liberè, ac candidè verum fatear, in toto meæ practicæ Medicæ curſu, hoc eſt quadraginta annis, niſi bis, & hoc coactè, Veſicantia appoſui, & tamen feliciter Deo adjuvante Medicinam exerceo, & præſertim in Xenodochio S. Mariæ Novellæ meæ curæ commiſſo, in quo plurimos Ægros quovis menſe curatos habeo abſque Veſicantium tormento: hinc narrat *Panarolus* de quodam Ægrotante, cui mane Vena ſecta fuit, & veſpere veſicantia appoſita, media nocte, dum jam Veſicatorium opus ſuum ageret, ob dolorem, impetuoſiſſimè reſerata Vena, quæ mane ſecta fuerat, brevi talis ſequuta eſt Hæmorrhagia, ut Æger mortuus ſit. Optimè igitur monet *Jo. Bohnius de offic. Medici* ob teneram vaſorum urinariorum texturam abſtinendum eſſe à tali remedio; Veſicantia enim ſemper nocua putavit *Helmontius*, nam aqua ab eis ſtillans nihil niſi cruor tranſmutatus eſt; quapropter *Græbnerus* à Medicina proſcribit Veſicantia tanquam Ægrorum tormenta; & in *Miſcellan. Acad. Natur. Curioſ. Dec. III. ann.* 5. *Dom. Erneſt. Graſſius* docet, Veſicatoria difficilius effectum ſortiri, quo magis humores ad coagulationem tendunt, unde actio eorum ſemper fruſtratur in febri malignâ, imo nocua eſt; cùm teſtetur *Emanuel König in Miſcell. Cur. Dec. II. ann.* 9. in febre maligna graſſante, eos, qui Veſicantia paſſi ſunt, in ſepulchrum præcipitatos fuiſſe; cùm enim tenues, & acres particulæ veſiculas in cute excitantes, in humores delatæ, per ipſos circulantes, ut patet ex citatiori pulſu, urinæ ardore aliisque, Sanguinem amplius inquinent; hinc eſt quod viſceribus noceant, vigilias, ſitim, & virium languorem excitent; talia enim remedia conflantur ex Euphorbio, Sinapi, Cantharidibus, Aceto &c., aliiſque acribus humano corpori infenſis; atque majus damnum procul dubio, ait *Lucas Tozzi* in *Comm. in Aphoriſm.* inferrent, cùm vitioſos

tiosos humores in alvum decumbere, aut per vias urinarias expurgari, aut alios potentiores aditus petere contingat, veluti per loca conferentia, quemadmodum ex *Hippocrate* edocet *Galenus* 1. *aphor. comm.* 21. inquiens, *conferentia loca solere esse intestina, ventrem, vesicam, uterum* &c., mox subdit: *Medicum imitatorem ejusdem inclinationem observare debere.* Si igitur natura nihil in cutem deponere videtur, &, ut loquitur *Sanctorius*, nullam ad illam habet inclinationem, ad quid Vesicantibus licebit uti. Sic apud *Hippocratem in Epidem. Meton sanguine à naribus fluente quinta die judicatus est*; mulier per menstruas purgationes à maligna febre convaluit; & alii plurimi sanati referuntur per urinas, sputum, parotides, & non per ulcera, vel sponte, vel arte excitata. Ichor autem ille, qui solet emanare à Vesicatoriis est portio lymphæ per glandulas subcutaneas excurrentis, vel etiam ejus humoris, qui in cutis alimentum cedere debuisset, quique cum liquato linimento commixtus sæpè degenerat in materiam fœtidam, quæ pro maligno humore solet ostentari, cùm cæteroquin profuisset, si retenta. Præterea magnos Vesicantia producunt dolores, vigilias, urinæ ardorem, ulcus cum partis languore, imò gangrænas insanabiles, ut annis elapsis accidit hìc Ferrariæ in Domino Almerico Boari Cive nostro, cui posita fuere duo Vesicantia, ex quibus ortæ fuerunt duæ pessimæ gangrænæ, ex quibus vitam cum morte commutavit; ita ut fatendum, Ægrotos exinde tam graviter affici, ut motui inhabiles, & lecto decumbere coacti longe pejus se habeant, quam à morbo. Miserrimum enim est observare Ægrum maligna febri detentum, en ut æstuat, brachia sine viribus languida cadunt, flaccidæ frigescunt aures, pectus crebro tumescit anhelitu, livent fœda rubigine dentes, *flagrat in stomacho flamma, ut fornacibus intus*, labra non sine tremitu pallent, singultus frequens corripit nervos, & membra coarctat, totumque corpus gelido sudore madescit, non amplius dulcis animæ comes, sed potius ejusdem jamjam evolaturæ sepulchrum. Quid si miser iste Vesicantium igne damnetur, hæc magna pœna suis addetur cruciatibus. Proscribenda igitur meo voto erunt à praxi Medica Vesicantia, cùm *Galenus* ipse, cùm egit de febrium malignarum remediis, ea prætermiserit. Bene igitur *Homob. Piso* ait, Vesicantia

esse

esse faces lugubres vicinæ mortis, non verò felices [redivivi Ægrotantis rogi; mitem animum induere fas est, nec licet pro incerto bono tot cruciatus pacisci; & testatus fuit Claris. *Georg. Baglivus* plures ab usu Vesicantium vidisse mortuos, quàm sanatos, & infructuosa], imò noxia Vesicantia extitisse. Præterquamquod locus vesicatus vehementer inflammatur, & cum atrocissimo dolore excoriatur, cum exigua seri, & quandoque nulla prorsus eructatione, vesica atroci corripitur stranguria, ut Ego non semel observavi in praxi facienda. Abstinendum igitur a Vesicatoriis, cùm alia habeantur efficaciora remedia, ut Hirudines, Venæ sectio, Cucurbitulæ scarificatæ, Frictiones, & similia, quæ citius, ac mitius agunt; Medicus enim debet citò, tutò, & jucundè curare; ast ope Vesicatorii nec citò, nec tutò, nec jucundè curat, ergo Medicus debet abstinere a tali doloroso remedio; non citò, quia ad longum tempus ulcera à Vesicatoriis inflicta perdurant, & sæpè terminato morbo, non terminatur Vesicantis cruciatus; non tutò, quia sæpè in Gangrænas periculosas transeunt, ut supra notavi; non jucundè demum, quia spasmo ita afficitur Æger, ut velut a carnifice abhorreat à Chirurgi manu, bis in die crudeliter Vesicatoria fricante. Hæc ideò tibi, Vir Illustrissime, significavi, ut meam haberes opinionem circa Vesicantia, quam optabas: hanc si minus probaveris, culpam in te rejiciam, qui me de tali remedio scribentem voluisti. Vale.

CONSULTATIO CLX.

De Coalitu Palpebrarum, & de Sale Alembroth.

PRimariam Cathedram in nostro almo Ferrariensi Gymnasio, mihi obtigisse gratulanti tibi maximas ago gratias, scio enim quantum me amare soleas, & hoc non est primum tuæ benevolentiæ argumentum.

Petitiones tuas libentissimè legi, sed ipsis ad rem respondere, & dubitationes solvere non opis est meæ, Ægrotantium multitudine distringor, & nullum otium lucubrationibus admittere possum.

Ne mireris igitur, si serius, ac ineptius rescribam; tuæ enim eruditæ curiositati non satisfacere crimen esset. Petis igitur primò, quid sit morbus, qui Græcè dicitur Αγκυλοβλέφαρον, & quomodo curetur? Ad quod respondeo, esse coalitum Palpebrarum oculorum, undè hæc morbosa affectio fit, quando palpebrarum extremitates, vel interna superficies, & adnata oculorum tunica per lympham interfluentem, viscidam, ac glutinosam nocturno in primis tempore ita coalescunt, ut vix aperiri queant; atque subinde adeo cilia coalescunt, ut prius glutinosam lympham necesse sit emollire, antequam oculus aperiatur; undè rectè in *Lexico Castello-Brunoniano* legitur, hanc affectionem esse vitium oculorum, in quo palpebræ, vel inter se, vel cum alba, aut nigra oculi parte cohærent, cùm serum viscidum Sanguinis copiosè per glandulas lachrymales exsudat, ibique inspissatur; & iste affectus maximè familiaris est in Catarrhis, in Ophthalmia, in Variolis, & Epiphora. Hic porrò palpebrarum coalitus curatur, primò præcavendo humorum affluxum exhibitione alicujus purgantis, quod cruditates è primis viis expellat; inde oculis apponatur lac calidum cum *Croco*, & *aqua Rosarum albarum permixtarum*. Si tale non arrideat remedium, foveatur oculus *aqua Fœniculi*, *Euphrasiæ*, cum modico *vini spiritus camphorati*, addita *Tutia*: internè prosunt *Oculi Cancrorum præparati*, *Antimonium diaphoreticum*, *Cornu Cervi philosophicè præparatum*; Insuper Venæ sectio proderit, ut & Cucurbitulæ scarificatæ, addita semper bona victus ratione.

Petiisti præterea, quid sit *Sal Alembroth*, quomodo conficiatur, & ad quid valeat in Praxi Medica, ad quod respondeo, primò plura habere nomina hoc remedium: à nonnullis enim dicitur Sal Alembroth, vel Elebrot, ab aliis Sal fusionis vel etiam fixionis. Duplicis est speciei, nempe mineralis, & artifi-tificialis. Sal Alembroth minerale tenet formam, & colorem sanguinis exsiccati, & educitur è quadam terra, quæ invenitur in Monte Olympo, si *Lemery* fides habenda; hoc autem non est in usu. Species autem Salis Alembroth artificialis ita conficitur. ℞ *Salis Gemmæ uncias octo*, *Salis Alcali uncias quatuor*, *succi Menthæ*, & *Caryophillatæ depurati*, *ana*, *unc. j*. *Misce* omnia simul, & dissolve ad ignem in quantitate sufficienti aquæ communis; inde filtra, & serva in vase vitreo ad ignem usque ad siccitatem, & serva Sal ad usum.

Ejus facultates sunt, lotium movere, provocare menstrua in Fœminis, obstructiones aperire, humores tenaces, & viscòsos attenuare, & incidere. Dosis verò ejus est à scrupulo uno, usque ad drachmam. Tu interim bene vale cum tuis omnibus, quibus felix ineuntis anni novi auspicium, ex corde comprecor; iterum vale.

Ferrariæ die 30. Decembris 1728.

CONSULTATIO CLXI.

De Hippolitho, & an simul, & semel aqua utendum intus, & foris.

Nuper tuis literis, Excellentissime Domine, petiisti duo scire a me, scilicet, quid sit lapis Hippolithus; & an balneo utendum, cum bibuntur aquæ.

Ad quæ breviter sic respondeo. Hippolithus est lapis ad instar ovi, lutei coloris, qui reperitur in vesica fellis, in intestinis, ac in vesica equorum, & hic in laminas separatur, quemadmodum Bezaar, & in se continet multum salis volatilis, & modicum olei, suadente *Nicol. Lemery in suo Dictionario.* Lapidem hunc esse hydroticum, & adversus venena, vermes, & alvi fluxum valere asserunt multi: Ego tamen nondum expertus sum. Dosis est ab uno ad duos Scrupulos.

Ad alteram petitionem respondeo cum *Doctiss. D. Franc. Justino Med. Doct. Ferrariensi*, ac Amico meo magno, posse tuto easdem aquas adhiberi extra, & intus; hoc est, dum Medicorum suasu potantur aquæ Thermales, poterit tutò Ægrotans, & balneo ipsarum aquarum uti, vel potius balneo aquæ dulcis, verbi gratia, Padi nostri; nam levamen, quod a balneo suscipitur, dependet ab activitate, quam habet ipsa aqua ad corrigendam humorum dyscrasiam, & viscera emundanda ab extraneis corporibus, ut scripsit *Andreas Baccius*: *ex balneo, alteratio, rectificatio, & confortatio membrorum*: accedente ergo potu aquarum ipsarum, credibile est faciliùs has posse per vasa ipsa transire, & secum è corporibus hu-

manis educere particulas exoticas impedientes motum humorum, & viſcerum cribrationem neceſſariam, idcirco *Bononienſis Tura* loquendo de *Porreta* ſic ait: *incipiat bibere aquam prædictam, uſque ad duos, vel tres urceos, & ſtatim poſt ipſum potum, parvum, & moderatum faciat exercitium; ſucceſſive alios duos urceos aquæ bibat, & poſt potum etiam ambulet; & toties aquam per potum aſſumat paulatim, & non impetuoſè, ſed quodammodo ad delectationem, quoad uſque ipſa aqua corpus egrediatur ſuperius per os, aut per virgam, aut per partem poſteriorem, & tantum de præfata aqua bibat, quantum ipſam emittat per alvum, & alium ex locis ſupra nominatis, claram, & apertam, prout & ſicut aquam ipſam ab aquæ ductu ſumptam per os recepit, & aſſumpſit; cujus aquæ emiſſæ claritatem cum vaſe vitreo inſpicere oportet: aqua igitur clarè emiſſa poſt ſpatium aliquantulum, & pauſa facta intret balneum, & ibidem moram faciat, ut ſuperius eſt expreſſum, ipſum enim balneum non debilitat, ſed humores in toto corpore diſperſos maturat, & diſponit ad exitum*: quod *Hugolinus* confirmat ſolummodò diſcrepans in hoc, quod balneum Porretæ debilitat. His aſſentit etiam *Hugo Senenſis*; ait enim: *ſi aqua operetur, & homo non ſit valde debilis, ingrediatur in balneum. Antonius Pantheus Veronenſis in ſuis dialogis de Therm. Calderianis* jubet potari aquam, & balneum facere, ut etiam docuit *Nicol. Maſſa* his verbis, *quod ſi opus fuerit, & lavare, & bibere; altera bibat, altera lavet; Fabric. Hildanus* loquens de aquarum potu, ait: *æquali ordine hoc eſt ſingulis diebus ad horas quinque balneandum eſt. Antonius Fumanellus de baln. cap.* 3. ait: *bibat aquam, & poſt prandium hora aſſignata poteſt ſe humectare. Guglielmus Gratarolus* ſcribit hæc verba: *intret balneum, in quo moretur, donec delectet, mox incipiat aquam bibere.* Idem confirmat *Hugo Senenſis in Conſult*, & *Bartholom. Montagnana* dicens: *cùm balneum exeunt, bibant de aqua è minera fluente. VVenhartus in Med. offic.* ait: *ante prandium acidulas potari, poſt prandium pro balneo uſurpari ſolent*; ut conſulit etiam *Duccinus in Baln. Lucen.* Imo *Clariſſ. Franciſcus Redi in Conſult.* habet hæc verba: *verſo il fine d'Agoſto ſe ne vada al Bagno di Lucca per bere quell' acque, è bagnarſi*; & obſervetur illud *e* eſſe copulativum, non disjunctivum. Itaque fretus authoritatibus ſupra expoſitis, dico, poſſe tutò adhiberi balnea, etiam quando intro Thermales aquæ aſſumuntur:

tur ad humectanda viſcera, corrigendos humores vitioſos &c. Deus interim Tibi, & tuis hunc annum benignè fortunet, ut ex corde precor. Vale, & me ut ſoles amare perge.

Dabam Ferrariæ die 5. Martii 1727.

CONSULTATIO CLXII.

De Termintho, & Ton.

DE Termintho, & Ton me interrogas. Reſpondeo, Terminthum morbum eſſe ad Chirurgos ſpectantem: ſub hoc enim nomine veniunt tumores exigui, vel cutis eminentiæ plerumque in tibiis, vel cruribus obortæ, colore ex nigro, & viridi, rotundæ, quæ poſtea vi ardoris in ſquammas abeunt; quarum cauſa eſt ſtagnatio portionum ſeroſarum putreſcentium cum acerbitate aliqua atrabilari indurata, & cùm iſta affectio ſit ſimilis Epinyctidi, ideo eadem ei convenit curatio, idemque Prognoſticum. Hæ puſtulæ maximè veniunt in puerili ætate, rarò in medio corpore, & ſæpè verno tempore, & in eminentibus partibus; ac *Celſus* indicat nullum in Termintho eſſe periculum. Primò autem in eo curando ſecanda eſt Vena: Braſſicam crudam cum aqua, vel apium applicitum commendat *Francis. Peccettius Chirurg. lib.* 1. Uva paſſa cum Ruta egregiè ei medetur ſi *Foreſto* credas. Sed hæc ad Chirurgos. Ad alium morbum tranſitum facio.

Morbus eſt Ton exoticus, ac peregrinus; & de hac affectione pauciſſimi loquuntur Authores, & in nullo Lexico Medicinæ de illa fit mentio. Nihil autem aliud eſt, quàm Braſilienſis affectus, quo digiti pedum atroci gangræna corrumpuntur, & aſſimilatur alii morbo *Dracunculus* nuncupato, quæ ſub Venæ Medinenſis titulo explicat *VVedelius*; uterque enim vermes parit, iique oblongi, teretes, & tenues; ſed *in hoc differunt invicem* (ſunt verba *Clariſſ. Dn. Mangeti in Bibliot. Med. lib.* 17.) *quod Dracunculi ſunt aliis multò longiores, & exinde craſſiores, quodque non ſub unguibus, ſed in ipſo muſculorum medio lateant; imò quandoque tendini-*

bus alligentur, ac circumvolvantur, quæ causa est, quod ni integri evellantur sui retractione quasi convulsiva, partes quibus circumducuntur dolorificè, & sæpe magno cum periculo constringant. Plura si de tali morbo desideres legas velim *D. Thevenot in Itiner. ad Orient. Mundi plagas part. 3.*

CONSULTATIO. CLXIII.

De Hypercatharsi: de Sanguine Hircino: ac de Usu Vini in curatione Pleuritidis.

DUo petiisti. Primò aliquod remedium pro Hypercatharsi. Hæc cùm nihil aliud sit, quam superpurgatio ex operatione violenti solutivi, colliquantis, stimulantis, ac urentis; ad eam sistendam sequentem exhiberem clysterem: ℞ *Jusculi carnium Hœdi, lib. j. Sacchari rosati unc. j. Laudani gr.* v. *Vitelli Ovorum* n°. j. vel loco *Laudani* poterit adhiberi *Theriacæ drachm. j.* Misce: Utilis etiam erit sequens bolus. ℞. *Mithridatii optimi drachm. semis fiat bolus* & deauretur: atque inungi poterit tota regio Abdominis incipiendo à regione Ventriculi, *oleo de Absinthio, & Mastich.*: Ad stomachum roborandum apponatur *Emplastrum de Crusta Panis*, & *de Palmul. Galeni.*

Petiisti secundò quid sentiam de viribus, ac præparatione, usibusque sanguinis Hircini. Scias velim *Helmontium* Medicum sua ætate celebrem commendare summoperè in Peripneumonia, Pleuritide, & aliis morbis sanguinem Hirci sequenti modo collectum, ac præparatum: Hircum suspendit cornibus, & alligatis pedibus postremis ad cornua, resectis testiculis castrat, cruorem inde emanantem, usque ad ejus mortem excipit, & siccat; & in Pleuritide cruorem hunc ita præparatum summæ efficaciæ existere fatetur citatus Auctor; nam Archæo, dicit ipse, sedando inservit, causam morbi immediatam tollit, ad diaphoresim disponit cruorem, & dolorem pacat: Quin etiam veneno resistit suasu *Lemery*; intumescentiam gutturis, calculum, urinæ suppressionem, & menstruorum tollit. Dosis sit *à scrup. j. ad drachm. j.*; & quoniam

niam sermo incidit de Pleuritude addere mihi liceat nonnulla de usu Vini in curatione Pleuritidis. Advertendum ergo, Vinum concedere *Hippocratem in lib. j. acut.*; repugnat autem *Galenus* dicens, multa esse, quæ prohibent Vini usum, inter quæ inflammationes viscerum, capitis dolores, deliria, & febris incendens. Solvenda tamen est præsens quæstio hoc modo. In febre, ac interna inflammatione tria sunt consideranda, nempe febris, ejus causa, & dolor pungitivus cum difficili respiratione: Febris, qua febris, vinum respuit, utpotè quid calidum; verùm si lentescens, lymphaticus, &, ut ita dicam, pituitosus sit humor, qui in Pleura excitat inflammationem, tunc concedit vinum *Zacutus*, præsertim aquosum, dulce, & in parva quantitate; nam concoquit, roborat, excretionem humoris peccantis promovet, ut ait *Bonet. Merc. Comp.*; & hac ratione nocere non poterit. Id verò intelligas velim, dummodo coctio sit facta, & impetus morbi mitescat: & salutarem fuisse in nostro casu Vini potionem narrat *Rhodius in Observ.* idemque innuere videtur *Clariss. Sebastian. Rotarius* Medicus sapientissimus Amicus meus magnus, & semper colendus.

CONSULTATIO CLXIV.

De Pedum Intumescentia post morbum relicta: De Sanguinis missione in Hydrophobia: De aquis Thermalibus in Hypochondria: De purgatione in Lienteria.

PLura quæris in postrema Epistola tua: Quæsitis, ut sciam, satisfaciam, ordinem ipsum sequutus, quem Tu in propositione observas.

Petis consilium ad tollendam Pedum Intumescentiam post longum morbum relictam. Abluantur primò pedes lixivio dulci, inde spiritu vini camphorato; inde apponatur sequens Emplastrum: ℞ *Stercoris vaccini Q. S. cum aceto, coque simul ad pultis consistentiam.* Alii oleo sequenti manibus perunctis pedes tumefactos benè confricant. ℞ *Olei Nucum vel Amygdalarum Amarrarum, unc. iiij.*

Se-

Seminis Aneti, *Cumini*, *ana*, *drachm. iij. baccarum Juniperi*, *unc. semis*, *Salis*, *&* *Aluminis*, *ana*, *drachm. ij.*, *vini albi optimi*, *unc. iij. coque trita*, *&* *mixta ad consumptionem vini*; deinde exprimendo coletur. Interim internè exhiberem *decoctum Salsæparillæ*, *&* *Sassafras* per *plures dies*. *Oleum Ceræ* commendatur à *Riverio* externè adhibitum.

Interrogas an Sanguinis missio conveniat in Hydrophobia, seu Rabie? In morsu canis rabidi, Venæ sectionem minimè convenire respondeo, juxta *Avicennam*, quippe quæ venenum per totum corpus trahat in Venas, attamen post quartam diem mitti posse Sanguinem volunt alii. Hinc Recentiores in demorsis à cane rabido, ita à Phlebotomia abhorrent, ut omninò vitandam esse putent, & maximè, cùm metus aquæ supervenit; & ego sanè abstinerem à Sanguinis missione, licèt *Jac. Ponſ.* edoceat, quando plenitudo adsit, & venenum sit diffusum per universum Corpus, convenire Venæ sectionen; autumarem & quoque convenire, quando adest febris acuta.

Postulas num aquæ Thermales conveniant in curatione affectionis Hypochondriacæ, de qua re etiam inter Authores est discrepantia. *Sennertus* cum suis asseclis eas approbat, quasi ob mineralia, à quibus aquæ thermales vires trahunt, quatenus primas eluunt vias, & vitiosos humores à corpore per urinas, & alvum educunt: uno verbo viscera refrigerando in sua crasi naturali ea restituunt. Alii verò cùm *Claudino*, aquas istas thermales omninò rejiciunt in curatione Hypochondriaci affectus, quia dicunt ipsi, habent vim calefactivam, & ea propter exsiccant; & cùm talis morbus à nimia viscerum caliditate pendeat, ideo abstinendum ab aquarum thermalium usu. Verùm duce *Doctiss. Sennerto*, cæteris remediis præstant aquæ minerales quæ, uti suprà dixi, viscerum obstructiones potenter reserant, attenuando, ac detergendo; & hujus opinionis fuit *Sylvaticus*, *Riverius*, *&* *Bonetus*, unà cum Doctiss. *Malphighio*, qui in 54. *consult. de Affect. hypoch. scorbut.* convenire asserit aquas thermales acidulas ad eluendam acidorum copiam in tali morbo luxuriantium; immo balnea ipsa commendat in antecedente consilio de morbo eodem.

Quæris, an in Lienteria per superiora, an per inferiora purgandum

dum? Circa quod dico cum *Rolfincio*, in Lienteriâ, quæ in intestinis continetur materia, illa per alvum expurgari debet: quæ verò in ipso Ventriculo, per Vomitum educatur; ideòque *Rhases* commendat vomitum & non immeritò; nam revellit ab inferioribus. Attamen *Hippocrates* contrarium videtur docuisse in *Aphor.* 12. *sect.* IV. scribendo, *quibus ob lævitatem ventris cibi sunt incontinentes, hyeme suprà purgare malum*: & *Galenus* ipse in *comment. ejus loci* confirmat, & minus securum usum vomitorii decernit in Lienteriæ cura, ab imbecillitate, copiosè restagnante acida lympha in intestinis. Sola porrò per vomitum vacuanda, quæ in Ventriculo stagnant. Ea verò, quæ in Intestinis resident, per vomitum evacuare non expedit.

CONSULTATIO CLXV.

De Amuletis Abortum impedientibus.

POscis ut scribam num aliqua adsint Amuleta Abortum inhibentia & prolem conservantia, quemadmodum dicis, credere Obstetricem quæ in Pago, ubi degis, suum munus exercet non infeliciter: ad quod dico, Ætitem gestatum pro impediendo Abortu inservire ex communi Authorum sententia, cum hac tamen observatione, quod si in superioribus partibus corporis feratur, abortum arcet, si verò in inferioribus, scilicet infra uterum, fœtum ex utero elicit; undè liquet contraria hujus Amuleti virtus; ita ut suspensum animum meum sentiam circa talis lapidis potentiam; imò ut candidè loquar, parum fidei teneo huic Amuleto. Ungula Ursi contra Abortum laudatur à nostro Ferrariensi *Lud. Bonacciolo de fœtu form. cap.* 6. Lapidem Corneolum ventri alligatum Abortum præcavet, & partum conservat, suasu *Frid. Hoffmanni in clavi Schroder.* Ossa de corde Cervi sub axillis gestata custodire conceptum volunt nonnulli. De lapide Lazuli scribunt multi, eum tam fortiter, ac potenter fœtum custodire, ut debeat à corpore arceri partus tempore, ne fortè fœtus ultra legitimum tempus retineatur. Si lapidem ex capite Luma-

cæ desumptum, colloque mulieri appensum habeas, fœmina abortire nequit, ita *Baricellus in Hort.* nec possum de dicto lapide reticere, duplicem in eo effectum esse, si *Ant. le Grand* fides habenda, nempe admirabilem in gravidis habere consensum, quippe suspensum si secum prægnans portaverit, in abortum minimè incidet, si verò tempore partus tritum in vino assumat, de facili pariet. Ad Fœtum retinendum, mulieres quasdam esse scio, quæ sibi ex panno *Chremesino*, vulgò *Scarlato*, faciunt cingulum, quod toto gestationis tempore juxta carnem ferunt, quod idem me olim legisse recordor in *Miscell. Acad. Natur. Curios. Dec. I. ann. 3.*, & *Jac. VVollfio in Scrutin. Amulet. cap. 2.* Vermes sub radicibus graminis inventos, sindone alligatos sub axilla gestatos, adversùs abortum facere scribunt alii. Si vis quod sentio, dicam paucis: nihil fidei præstare possum hisce Periaptis. Tu interim consilio meo ab his cave, vel tacitè solum permittas mulierculis superstitiosis illis uti, ne videaris atrox nimis ac fastidiosus. Vale.

CONSULTATIO CLXVI.

De Animadversionibus in curatione Mensium suppressionis.

QUæris habere cautiones meas in curandis Mensium suppressionibus. Dico nunquam adhibenda remedia Menses cientia, ac fortiter provocantia, nisi prius præmissis universalibus, ne humores ad venas Uteri copiosiùs promoti augeant potiùs, quàm tollant obstructiones; immò in ipsas gravitando, majora mala producant, uti adnotavêre *Joh. Fortis*, & *Riverius*, cum *Boneto*, & *Schenckio*. Medicus Venetus mulieri suppressione mensium laboranti, non vacuatâ prius pituitâ vasa obstruente, apozema dedit menses ciens; cujus assumptioni successit Paralysis. Optimè ergo *Heurnius* docebat, debere Medicum priùs obstructiones tollere; istis enim neglectis, atque relictis, cruoris impuritas in venis Uteri stagnans, si adhibeantur præcipitantia remedia, in altiores

Venas

Venas deducitur, undè difficilior erit morbi curatio. Lentè ergo festinandum ait *Sylvius* ac plus profici blandis, quàm vehementibus medicamentis; & cavendum ab omnibus, quæ conjunctum habent periculum: Et Ego justè fateri possum, plures fœminas me liberasse à Mensium suppressione, solo potu vini, in quo infusum fuerat Absinthium Romanum, vel Ponticum. Quando verò universalia adhibita fuerint, & communiter erit evacuatum corpus, viscera emundata, &, obstructiones sublatæ; si spontè catamenia non redierint, tunc poterit uti stimulantibus, ac menstrua cientibus: hoc tamen observato, quod semper exhibeantur talia remedia solito fluxus tempore; nam si Medicus naturam, in novilunio excernere consuetam, in plenilunio stimulare velit, tunc incassum laboraret, nisi vehementissimis utatur medicamentis, in quibus plus noxæ erit, quàm commodi, juxtà *VValæum Meth. Med.*: ideòque oleum, & operam perdent, qui extra tempus menses provocare tentent, quia suadente *Mercato*, natura nusquam utiliter movet, nisi statutis suis temporibus. Cùm igitur adest necessitas remedii deobstruentis, & incidentis viscosos humores, qui infarciunt vasa Uteri, sive ad ipsum Uterum tendentia, opus erit uti non acidis, sed salibus volatilibus; nam prima fixare possunt, secunda solvere valent, & præsertim salia volatilia: semper autem sumenda sunt jejuno stomacho, sic autem facilius penetrabit vis medicaminis. Inter hæc plurimum extollit *Clariss. Franc. Sylvius de le Boë spiritum salis Ammoniaci.* Suffitibus autem non sine cautione uti debes, Excellentissime Domine, tenerrima enim acetabula siccitate facilè arescunt, teste *Heurnio*, undè infœcundæ fieri possunt, ac steriles fœminæ. Sanguine turgescente, secato Venam ad libram cruoris è Vena pedis extrahendam: ante verò hanc operationem balneo calenti partes inferiores laventur, quod fuit monitum *Riverii & Boneti.* Vomitoria, ut evites, consulo, Ego enim in meâ facienda praxi, nunquam tali sum usus remedio; sed potiùs ad usum Martialium me contuli: Blanda enim remedia semper amavi, & simpliciora; & à fortioribus, & violentioribus semper abstinui, ut me docuit Suaviss. Amicus meus *Redi.*

CONSULTATIO CLXVII.

De Abusu Venæ Sectionis.

MEam, quam petis de hodierno abusu Venæ sectionis, sententiam, breviter expono. In omnibus pene rebus præsens sæculum abusum facit; & quod ad remedium, & usum salutarem fuit inventum, ac introductum, nunc pessimè in abusum cum salutis detrimento transivit. Sic apparet evidentissimè in Spiritu Vini, in Tabaco, in Chocolata, in Thè, Caffè, & centum aliis, quæ forsitan velut remedia fuerunt inventa, nunc in abusum redacta, cedunt in corporis humani perniciem, ut crebra in dies passim testantur exempla. Ita pariter evenit in magno illo Medicinæ practicæ auxilio à Venæ sectione petito: cùm enim Illustres Medicinæ Magistri Phlebotomiam introduxissent, veluti remedium extremum, in magnis morbis solummodò concedendum, paulatim talis accessit nonnullorum temeritas, & audacia, ut in qualibet, vel minima Vertigine, dolore, timore, ac tristitia, Sanguinis missio celebratur magno cum naturæ detrimento: id enim, quod olim summa præmeditatione faciendum erat à Veteribus Medicinæ Magistris, nunc inconsultò, & veluti per jocum à quibusdam Neotericis exercetur, & Sanguis, qui est naturæ thesaurus, velut aqua fluminis disperditur, ac inutiliter, imò damnosè consumitur. Utamur ergo remediis, sed cum ratione, & sine abusu, & cum *Baglivo* credamus, quàm parvis remediis curari morbos, & pluribus vitam arripere remediorum farraginem. Sanè in febribus intermittentibus non convenit Venæ sectio, quia causa istarum febrium non exstat in Sanguine, sed in primis dumtaxat viis luxuriat, & in chyli visciditate, ac vitio consistit. Quis ergo non videt, dempto sanguine, vehementiorem paroxysmum excitari, cùm Sanguis sulphure suo balsamico depauperatus tàm debilior remaneat, & spiritus vitales de facili dissipentur? Pluries Ego observavi Tertianas simplices, duplices factas post Venam sectam, & benigniores febres à multiplici Phlebotomia in malignas, & mortales commutatas, quod etiam innuere videtur

Clariss.

Clariss. Jo. Masseneau in sua Med. Qua propter egregiè monuit Medicos *Ferd. Car. VVeinhart in suo Medico Officioso*, in intermittentibus febribus non esse necessariam Venæ sectionem, nisi in casu metus futuræ alicujus visceris inflammationis: pariterque docuit in malignis febribus, omninò à Phlebotomia supersedendum, cùm experientia pluribus nocuisse, quàm profuisse constiterit; & concludit *Joh. Walæus in sua Meth. med.*, Venæ Sectionem nunquam convenire, nisi plethora adsit. Hinc non tàm indignatione, quàm commiseratione digna est hodierna vulgi credulitas, Chirurgis nimis fidens, quæ ex solo capitis dolore, Vertigine, faciei rubore, Venæ sectionem indicari putat; undè ipse *Galenus* monet cavendum, ne dum febrem jugulare conamur, Ægrum simul jugulemus, quod tribus Medicis evenisse scribit *in lib. de curat. per V. S. c. 12.*; quibus non opinantibus pro animi deliquio, Mors obrepsit: imò *Sennertus*, & *Kergerus* volunt Venæ sectionem intempestivè adhibitam semper nocere, ut in febre maligna, ac intermittente succedit, ut supra dixi. Negari certè non potest, Sanguinem esse vitæ liquorem constitutivum, nec lædere non posse, adeòque in corpore humano potiùs retinendum, quàm emittendum esse, ut in quo juxtà aliquorum opinionem ipsa etiam anima gliscat, & principaliter hæreat, atque ejusdem profusionem, segnities, languor, & palliditas, nec non imbecillitas omnium partium sequatur. Cùm ergo sola plethora indicet Venæ sectionem, ut docuit *Horatius Augenius*, hinc est, quod in febre, nisi adsit inflammatio alicujus internæ partis, non admittatur; undè *Galenus* ipse *in lib. de Venæ Sect.* habet hæc verba, *crudis humoribus abundantibus cautè evacuandum, antequam ægrotet, si febricitet nequaquam*: Et Ego puto, Venæ sectionem præter necessitatem factam, majus damnum posse facere, quam febrem ipsam, quæ juxta *Sydenhamium* nihil aliud est, quam motus naturæ excitatus ad expellendam nocuam materiam in corpus introductam. Quocirca egregiè ait Clariss. *D. Jo. Masseneau*, Venæ sectionem inservire in febre maligna tanquam Venenum ad augendum morbum, non verò ad minuendum. Hæc sunt ejus verba: *il salasso serve come di Veleno per aumentare il male, non per sminuirlo*: Undè *Galenus* ipse *lib. 4. de San. tuen. cap. 4.* ait, *si Sanguis insigniter mutatus sit, nequaquam detrahe*: & *Gladbachius* exitiosam vocavit in febribus Venæ

sectionem, quia si est omninosa in malignis febribus, ut volunt Practici peritiores, quid erit in simplici febre intermittente? nam juxtà hunc Auctorem febres inter se non differunt, nisi secundum magis, & minus, quod igitur uni erit plus exitiosum, alteri erit minus, nec proinde hoc minus omni carebit exitio: proinde docet experientia, non rarò febres in principio mites, & non periculosas apparere, cùm tamen postea febres illæ fuerint malignæ, adeòque melius est semper à Venæ sectione abstinuisse. Tandem cùm basis curationis in Febribus in eo consistit, ut turbata mixtio cruoris restituatur, nihil potest utilitatis à Venæ sectione expectari, turbatum enim magis turbabit cruorem, dum particulæ volatiles, & spirituosæ evolant, quibus ille orbatus, minus commovebitur, undè transpiratio impedietur, & rarò erit expectanda crisis, ita ut Æger vel debilitatus succumbat, vel in longum protrahatur morbus, aut in Cachexiam incidat: Et sanè, si in febribus malignis particulæ acres, acidæ, & erosivæ indolis luxuriant in cruore, has convenit corrigere, mitigare, & evacuare, quod rectè non expectandum erit à Phlebotomia, cùm æqualiter illæ per totam massam humorum diffusæ sunt, ita ut totus deberet educi cruor, quod inevitabilem ferret moriendi necessitatem: Sicuti pariter in febre maligna præsente Diarrhœa nunquam Venæ sectio tentanda erit suadente *Waldschmidio in Monit. Med.*, tunc enim in perniciem Ægri cedit Venæ sectio, ut observare datum est anno 1727. in Illustr. N. N. febri maligna detento, cui pluries secta fuit Vena præsente Diarrhœa, & decima septima morbi die miserabiliter obiit. Qui autem peccantem materiam è Sanguinea massa educere, & malignam fermentationem in sede sua omninò radicatam Venæ sectione tollere tentant, non minus risu digni sunt, ait *Laur. Donckers in sua febr.*, quam qui dolium aliquo in loco perforantes, cum exiguæ vini portionis emissione, ejus quoque fæces vino permixtas extrahere, vel ipsius fermentationem tollere stultè sibi imaginantur: difficile enim, & propè impossibile est educere illum humorem, qui facit morbum, quia hic, scribente *Tozzio*, non rarò alicubi hæret, aut restagnat, ut in apicibus arteriarum, vel in glandulis, vel in intimioribus partium penetralibus, immo Sanguinis missio vires dejicit, & furatur, quibus maximè egemus ad profligandam morbi causam, &

& per ipsam salutares naturæ motus impediuntur ; & experientia docuit, omnes penè periisse febri maligna detentos, quibus secta fuit Vena; undè *Petrus Forestus* in febre Delphensi, quæ anno 1557. grassata fuit, eos omnes, ait, quibus secta fuerat Vena, mortuos esse; idemque notavit *Vit. Riedlinus Obs. Med. num.* 18. *pag.* *mihi* 112. De Venæ Sectionis in febribus malignis noxa plura scripsêre *Mart. Kergerus*, *Henric. Screta*, aliique plures, quibus notandis præsens non sufficeret pagina. Ne abusus igitur fiat de tali auxilio Medico, quòd sub nomine magni, & extremi remedii à Medicis salutatur, debemus diligenter cavere in præscribenda Phlebotomia, quemadmodum fusè habui in præsenti consilio. Quamobrem scribendi finem facio, nàm dicta sufficiunt pro responsione quæsiti.

CONSULTATIO CLXVIII.

De Venæ Sectione in Febris Tertianæ Curatione.

POstulabas an in curatione Febris Tertianæ Venæ sectio conveniat ? Dico, non convenire primò auctoritate plurium Medicinæ Scriptorum, & præsertim *Clariss. Ettmulleri*, qui de Tertiana Febri sic ait ; & de omnibus Intermittentibus. *Venæ sectio in febris intermittentibus inutilis est, nam certè paroxysmus Venæ sectionem insequens, ut plurimùm gravior esse solet, & diutu nior reliquis antecedentibus : Raymundus Joh. Fortis in Consult.* Sic habet: *de convenientiâ Venæ sectionis dicant quid velint Mercatus, Mercurialis cum Actuario ex usu esse posse, auctoritates enim, & rationes eam non admittendam persuadent, quia Sanguinis missione Tertiana in Continuam, immò in Ardentem migrare potest; Ardens enim, & Tertiana intermittens conveniunt in materiâ, differunt tantùm loco. Galenus* ipse in curatione exquisitæ Tertianæ omisit omninò Sanguinis missionem. *Gladbachius* sic ait : *Venæ sectio febricitantibus est exitiosa. Clariss. Vulpinus* Amicus noster plurimum honorandus sic habet in *sua Spasmologia pag.* 17. *Cæterùm in febre intermittente Venæ sectio, ut frustranea, imò & amethoda ablegari peroptimè valet, & præsertim intermittentibus in febribus. Dolæus* sequentia verba exaravit : *Negatur*

tur *Venæ ſectio in intermittenti febre*, *cùm conſtet aliquot mille abſque Venæ ſectione eſſe curatos*, *& cùm experientiâ conſtet*; *illos*, *qui frequentiùs duci ſibi Sanguinem patiuntur*, *ſatis proclives fieri ad febres*, *& porrò nos doceat*, *quod febres per Venæ ſectionem prolongentur*, *nec tertianæ remittant*. *Theodorus Zvvingerus in ſua Praxi Med.* ait, *Venæ ſectio abſente Plethora in febri Tertiana nullum locum habet*. *Andreas Cæſalpinus Art. Med. lib.* 2. ſcribit. *Evacuatio in Tertiana non fit per Venæ ſectionem*. *Roſinus Lentilius Miſcell. Curioſ. Decur.* 11. *ann.* 7. *Append. pag. mihi* 80. *ait*, Veteranum quendam fuiſſe, qui quoties venam ſecaret, corriperetur Tertiana; & addit in continuis febribus poſſe admitti, in Intermittentibus autem minimè exerceri poſſe ſtatuit. *Avicenna* inquit non eſſe phlebotomiſandum in Tertiana; immò addit *Sebaſtianus Scarabitius de Febrib.*, non eſſe adminiſtrandam Miſſionem Sanguinis in Tertiana, *ne fortè contingat nocumentum ex ea*, *quia apoſtema alicujus partis nobilis ſequeretur cum vitæ periculo*; ſunt ejus præciſa verba. Idem porro confirmare vivideturr *Horat. Augenius de Sang. Miſſion. lib.* 4. dicens, in Tertianis exquiſitis *Galenum* nec verbum feciſſe de Venæ ſectione. *Jo. Bapt. VVerloſching* Amicus meus ſuavis in *abuſ. purg. Verno-autumn.* ait, Venæ ſectionem in febribus intermittentibus minimè eſſe proficuam, ideòque nocuam. *Claudinus in Conſult.* ſtatuit, non poſſe probari Venæ ſectionem, quoniam deficit Sanguis, ſed tantùm ratione doloris capitis convenire cucurbitulas ſcarificatas partibus inferris applicitas, ſicuti frictiones, ligaturas, & lavationes &c. *Zacutus Luſitanus lib.* 4. *de Med. Princ. hiſt.* ſic habet; *Medicos maximè Ægros offendere*, *qui in febribus Venæ ſectione utuntur*; *ideòque Venæ ſectionem utilem non eſſe*. Hæc quoad auctoritates. Nunc ad rationem; non convenit enim Venæ ſectio, niſi in morbis magnis, magnum cùm ſit ipſa remedium; febris autem Tertiana intermittens non eſt certè morbus magnus, periculo enim vacat teſte *Hippocrate*; ergo non convenit: Quod ſi in intermittente febre Sanguis detrahatur, exinanitæ Venæ biliofum, ſeu ſulphureum humorem peccantem ad ſe attrahere poterunt, & ardentem continuam febrem excitare; etenim nullo alio modo fit febris ardens, niſi quando æſtatis tempore Venæ turgent humore bilioſo in eas derivato, derivat autem de facili làtrante Syrio, quia tunc facilè accenditur, move-

movetur, ac penetrat, quatenus ſubtilior factus totam maſſam cruoris ad præternaturalem fermentationem inducit; & licèt obſervetur, ait *Bonetus*, in plerisque acutis, & ardentibus febribus locum habere Venæ ſectionem, non eſt tamen ſemper univerſaliter verum, nos debere uti Phlebotomia in quacumque licet exigua febre; & licèt aliqui Ægroti poſt Venam ſectam melius ſe habuerint, non per hoc ſequitur, omnibus idem remedium eſſe utile, cùm præſertim multa habeam exempla illorum, quibus non tantùm inutilis, ſed noxia extitit ſanguinis miſſio, quemadmodùm ſæpè obſervavi menſibus Julii, & Auguſti ann. 1728.; quibus enim tertianariis die vacua emiſſus fuerat Sanguis, ſupervenit ipſa die febris, & ſic de ſimplici facta fuit Tertiana duplex; & licèt, ſuadente *Hippocrate*, Tertiana ſimplex ſeptem circuitibus, quod longiſſimum eſt, terminare ſoleat, attamen Venæ ſectionis cauſa, duplex cum vitæ periculo facta, vigeſimum paroxyſmum inivit. Exulet igitur in cura Tertianæ ſimplicis Phlebotomia, ſiquidem hæc juxta *Sylvium de le Boë* ſola diæta curari poſſit. Benè igitur Clariſſ. *Joh. Bohnius de off. Med.* cap. 9. opponit exempla plus quam quotidiana illorum, qui à febre, non tantùm per Venæ ſectionem, non reconvaluerint, ſed gravioribus periculis, ac morti mancipati fuerint, ut narrat *Franc. de Franciſco*, & *Jac. Ponz.* Concludo igitur, Sanguinis miſſionem febri intermittenti, qua tamen tali, minimè competere, & aliquando in harum medela nocere.

CONSULTATIO CLXIX.

De Purgatione Corporum Verno-autumnali ad præſervationem.

SCiſcitaris an Ego approbem Purgationes Corporum humanorum verno-autumnales ſine morbi præſentiâ, & ut vulgò dicitur ad præſervationem à morbo; circa quod neſcio an legeris opus *Joh. Baptiſt. VVerloſchnig*, cui titulus eſt *Abuſus curationis verno-autumnalis*, in quo etiam affert Author meam opinionem, quam nunc repeto; nam cùm Jeſus ipſe Dominus noſter aſſerat, *non eſſe opus bene valentibus Medico*, non video neceſſitatem purgandi corpora

pora salute gaudentia: quomodò enim absque necessitate purgari possit sine noxa non video, cùm à purganti viscera chylificationi dicata, non parùm lædantur, & debilitentur, ita ut, non sine difficultate, naturalem crasim recuperare valeant, & tonum pristinum redimere. Sanguinis porro missio, educendo balsamicas ejus particulas, effœtum magis magisque reddit cruorem; & sanè phlebotomiam taliter non commendo, ut quasi me subscriberem *Clariss. Helmontio*, & *Leonard. à Capúa*, ac *Doctiss. Amico meo Rotario*, si paulò moderatiores iidem se gererent, nec rectum usum unà cum gravi abusu omninò tollerent. Pessimo igitur agunt consilio Medici illi, qui purgationem instituunt, quando non adsit illa rationabilis indicatio. Cunctis enim in corpore ritè se habentibus quid proderit humores turbare, & Sanguinem nec quantitate, nec qualitate peccantem educere; immò credo, si hoc fecerit Medicus, corpus ad morbos faciliùs disponi. Optimè ergo dixit *Sapientiss. Georg. Baglivus* in homine sano nullam medicam evacuationem convenire, nam si sanus est, ad quid Medicinis turbare illum, ac debilitare, cum illæ in sano hominis statu incredibiles turbationes faciant, corpus labefactent, & solvant, ad morbos disponant, & educant, quæ educere non debent. Et hæc de tuo quæsito mea sit sententia, quam sanè saniores Medici approbant.

CONSULTATIO CLXX.

De Purgatione diebus Criticis in Morbis acutis: Et de usu Aceti in nimia obesitate.

INstantiæ, quam in Epistola mihi facis, an in Morbis acutis, criticis diebus liceat purgare; respondeo cum *Nicol. Fontano*, si nihil indicatum ante fuit, licere die septima, & decima quarta purgare, vel sanguinem etiam educere, quando tamen non fuerit indicata crisis per sua signa, tunc enim propriè illi dies critici non possunt vocari. Quod si Medicus videat naturam illis diebus velle moliri aliquam operationem, vel evacuationem, puta per sudores, urinas &c., tunc Medicus nihil agat; si verò natura imperfectam tentet

crisim,

crisim, Tu nota, num id agat vomitu, sudore, hæmorrhagia, tunc sanè leni vomitorio juvare licebit vomitum ipsum, frictione sudores, & hirudinibus hæmorrhagiam. Sed si per secessum natura moveat crisim imperfectam, præstabit, Medicum hunc juvare motum, levem purgationem sollicitando, quare leniens medicamentum poterit exhiberi. Quod si natura impedita nullum die critico motum peraget, tunc Medicus poterit Venæ sectionem, vel alvi solutionem instituere, prout indicationes vocabunt, maximè cùm sciat naturam probabiliter nihil esse facturam. Ad illud verò *Hippocratis* critico die nihil movendum, respondeo, Magistrum loqui de tali die, in qua natura movet, nam tunc vires defatigantur, & non convenit naturam interrumpere à sua actione cum ejus detrimento. Quando die critico natura non movet, tunc licitum est purgare, ut supra dixi.

Postulas postea num Aceti usus in nimia Obesitate conveniat? Te enim legisse dicis apud *Stradam de Bell. Belg.*, Chiapinium Vitellium Generalem Castrorum nimium Obesum, Aceti usu quotidie assumpti convaluisse. Quocirca respondeo, aliquos esse Authores, qui in nimia Obesitate commendant Aceti usum, maximè in æstate, per plures dies ad mensuram unius cyathi, nam potenter corpora exsiccat, & emaciat, cùm præsertim sit ejus usus assiduus, maximè in Acetariis, & condimentis. Attamen hoc genus remedii eos fugere oportet, qui articulos habent imbecilles, necnon uterum; atque hyeme, ut ejus nimia acredo refrangatur, ipsi aceto immiscendæ sunt uvæ passæ. Possunt etiam esse in assiduo usu Cappares in aceto ipso conditi, & Olivæ, suadente *Epiphanio Ferdinando*. Pariter, Excellentissime Domine, notare debes, à quibusdam Aceti usum commendari; sed advertas velim, Ventriculum, & Intestina lædi posse, cùm acidum sit infensum omnibus partibus membranosis.

CONSULTATIO CLXXI.

De Remediis Diaphoreticis.

CIrca medicamenta Sudorifica hæc est sententia mea, quam petis. Diaphoretica, hoc est, Sudorifica medicamina, longè sunt præferenda catharticis, & sanguinem dementibus, nam hæc placidè, sine noxa, & feliciter operantur; immò certum essem; ait *Clariss. Zypæus*, noxam ab expurgatione, & Venæ sectione in Peste, Variolis, Petechiis, aliisque morbis malignis, expectari posse, felicem è contra eventum à Sudorificis in illis morbis haberi. Neque velim dicant, sudorifica calida esse, adeoque in febre non convenire, ne fortè augeatur calor; respondeo enim; non omnia esse æquè calida, & licèt calida sint, attamen esse purgantibus longè tutiora: sudorifica enim tenuibus suis particulis humores massæ sanguineæ valdè attenuare, incidere, & rarefacere, & ad cutis glandulas propellere dico, ita ut sine ullâ molestiâ causam morbificam expellant. Duplici autem modo, meo videri, operantur; vel ob rarefactionem, vel figendo, & nimiam ebullitionem compescendo, & tunc cum præcipitantibus confunduntur. Sunt ergo Sudorifica, quæ humores tenues, vitiosos, ac corruptos, non solùm è corporis habitu, verùm etiam è reliqua parte corporis, mediantibus venis, arteriis, & vasis lymphaticis, vel sensibiliter per sudorem, vel insensibiliter per effluvia expellunt; maximè propterea utilia in morborum causis eliminandis: & licèt immediatè habitum totius corporis evacuent, mediatè tamen, & quadam consequutione omnia vasa, venas, arterias, vasa lymphatica, & reliquas corporis partes inaniunt. Dividit autem talia remedia cum *VVedelio Mangetus Biblioth. Pharm. l.* 4. in illa quæ sensibiliter sudorem movent, & Hydrotica vocat, & in ea, quæ insensibiliter id agunt, & dicuntur simpliciter Diaphoretica, quæ per poros subtiles humorum partes excludunt; magna quippe semper fuit vis transpirationis ad vitæ conservationem, quam statico scrutinio *Sanctorius* deprehendit esse omnibus aliis evacuationibus ma-

majorem: per poros enim partium evacuat Diaphoresis magnam copiam sordium volatilium, & crassarum, quæ in visceribus, & vasis reperiuntur. Hæc pauca de Diaphoreticis remediis sufficiant.

CONSULTATIO CLXXII.

Formulæ Remediorum Auctoris ad Hæmorrhoïdas, ad Gonorrhœam, & Aquæ Vitæ Solutivæ.

MItto libenter formulas, quas petis, Remediorum meorum ad Hæmorrhoïdas, Gonorrhœam, & Alvi solutionem Ad Hæmorrhoïdas est unguentum, quod tale est. ℞ *Cepæ sub cineribus coctæ, unc. ij. Unguenti Populeonis, unc. j. olei Lini, & Vitelli ovorum, ana, drachm. ij., Salis Saturni pulverisati, drachm. j. Extracti opiio drachm. j. misce*; fiat S. A. linimentum, & benè misceatur in mortario plumbeo.

Contra Gonnorrhœam virulentam Rotulæ sunt sequentes. ℞ *Ligni Sancti limati, corticis ejusdem, Salsæ parillæ electæ, ana, scrup. iiij. Suberis pulverisati, Coriandi præparati, Cinnamomi electi, Rosarum rubrarum, Cornu Cervi usti, ana, scrup. j. misce*; Pulverizentur subtilissimè & cum *Saccharo*, & *aqua Lactucæ Q.* S. fiant Rotulæ S. A. Hanc Rotularum formulam anno 1702. misi ad Germanos, qui eam publici juris fecere in *Dec.* III. *Miscell. Curios Acad. Leopold. anno. X. pag.* 266.

Formula Aquæ Vitæ solutivæ, qua aliquando utor ad alvum sollicitandam, talis est: ℞ *Radicis Jalappæ pinguis, & resinosæ minutim contusæ, unc. j., Cinnamomi elect. drach. ij., Corticis Citri recentis, drachm. ij. infundantur in lib. j. spiritus Vini rectificati, stent infusa super cineres calidos, deinde coletur, & filtretur ac spiritus reponatur: interim* ℞ *Sacchari fini, unc. iij. reponantur in vase, deinde super affundantur aquæ ferventis unc. iij. stent in vase clauso, donec refrigerentur, & Saccharum optimè fuerit dissolutum, tunc misceantur cum spiritu vini jam reposito,* & *Soli per* 8. *dies exponantur, postea rursus colentur, & filtrentur.* Quarta formula, quam addere mihi placet, est alius modus faciendi Aquam vitæ solutivam: ℞ *Pulveris*

Jalappæ electæ, unc. j. Cinnamomi electi, drachm. ij. corticis citri parum, infunde omnia in lib. j. Spiritus Vini rectificati, & ſtent in infuſione ſuper cineres calidos per tres dies: coletur poſtea, filtretur per chartam & ſervetur ad uſum doſiſque ſit *unc. j.* Ambas has Aquæ ſolutivæ Formulas retulit clariſſimus Franciſcus Maria Nigriſolius in *Pharmacopœa Ferrarienſi, Claſſ. 6. de Extractis, &c.*

CONSULTATIO CLXXIII.

De Variis Quæſitis in Medicicina.

PLura ſunt, quæ à me ſcire cupis, quibus ſingillatim breviter reſpondere in præſenti pagina decerno. Quæris à me igitur.

I. An Medicum interdum non curare deceat?

II. An crurum ſcarificatio in hydrope tentanda?

III. An Vernalis purgatio in ſanis inſtituenda?

IV. Quid ſit Elaps?

V. Quid ſibi velit Ectropion?

VI. An tutò in Gravidis Vena in pede ſecetur?

VII. Quid ſit Danta?

VIII. An Cochleæ Phthiſicis concedendæ?

IX. An Panis repletio ſit peſſima?

X. Quid ſit terra Catechù?

Ad primum reſpondeo, re bene penſitata, officium rectum Medici erit, Ægri curationem prorſus non aggredi in deploratis, ſed manum de tabula tollere; & revera Medicus aggredi non debet morbos, qui omninò lethales ſunt, ita enim Medicus morituros præ-

prænuncians culpa vacabit, quod etiam annuit *Celsus*; est enim prudentis hominis primò eum, qui servari non potest, non attingere, nec subire speciem ejus, ut occisi, quem sors ipsius peremit, alias in prognosi peccaret, quæ est pars in Medico essentialis, & Medicus nominis sui existimationem, ac auctoritatem vulgi rumori exponet, & medicamenta alias optima hisce morbis desperatis applicata ob denegatum eorum affectum infamabit, ut ait *Frid. Hoffmannus in Mat. Med.*

Ad secundum dico, scarificationem crurum celebre fuisse apud Veteres remedium, licèt *Hercul. Saxonia* commendet quidem scarificationem cutis in abdomine; in talis autem, & cruribus ob metum gangrænæ ab iis abstinendum esse præcipiat: eandem verò *Langius* commendat; & non conferentibus aliis remediis, crurum Scarificationem proficuam esse aliquandò ego deprehendi, quando scilicet viscera non sunt admodum vitiata, ac vasa lymphatica non sunt disrupta.

Ad tertium respondeo, vernalem corporis purgationem inutilem esse, & nocuam, ut diffusè ostendit in suo *lib. de purg.* Clariss. D. *Joh.Bapt.Werloschnig.* Collega, & Amicus meus semper colendus; nam Purgantia, Venæ sectiones in corpore sano, vernali, sive autumnali tempore, adhibita, plus damni, quàm juvaminis afferre dico. Et quoad purgantia, nescio qua fronte hæc deleteria pharmaca in usum sine necessitate vocanda sint, nam detestari debent juxtà illud *Hippocratis*, sana corpora Medicationes ægrè, ac molestè ferunt; & revera sanitatis negotium in integra humani corporis structura, atque harmonica, & amicabili omnium vitalis, & animalis liquoris particularum mixtura, & motu consistit; cùm vero Cathartica in sano corpore adhibentur, illicò naturalis humorum mixtura, ac motus solent turbari, siquidem intestinales fibrillæ à sale purgantium medicaminum irritantur, undè spiritus, & humores turbantur, tormina, sitis, febris ipsa, & sæpe convulsio succedit; quare ex repetita, & violenta alvi purgatione homines è sano in valetudinarium statum præcipitantur; etenim tumultuaria catharticorum salia, enervatis fermentis viscerum, & dissipatis spiritibus, Cachexiam, & sæpe Hydropem excitare valent; & pejus erit, si in

Se-

Senibus, Infantibus, ac Fœminis delicatoribus purgatio instituatur.

Quod verò spectat ad usum Sanguinis missionis verno-autumnalis ad præservationem; scias velim me esse ejus hostem acerrimum, & raro etiam in morbis tali uti præsidio, & nisi inflammationibus, Anginis, Apoplexiis, aliisque morbis magnis venam secari concedo; cùm præsertim sciam ex usu frequenti Phlebotomiæ Cachexias, Hydropes, & Febres frequentes oriri posse. Præterquam quod, si etiam Sanguis qualitate peccaret, per medicamina appropriata facilè corrigendus esset seposita omni empyrica Venam aperiendi consuetudine.

Ad quartam tuam petitionem respondeo: Elaps. est Serpentis species longa circa tres pedes, crassitiei unius viperæ, coloris subflavi, & signata per longum tribus nigris lineis à capite ad caudam; & reperiri aiunt Naturales in insula Lemnos: non est hic serpens tamen valde periculosus, licèt ejus morsus sit molestus, ac dolorosus, & sanatur suadente *Lemery* sale viperino, & Cornu Cervi. Caro autem, Hepar, Cor, & adeps hujus animalis hydrotica sunt, & venenis resistunt.

Ad quintum quæsitum dico, *Ectropion* esse affectum inferioris palpebræ, qua invertitur, & deorsum trahitur, ut internæ palpebræ pars cum deformitate videatur, & instar rubræ carnis appareat; Hujus morbi, ac deformitatis causa multiplex esse solet, ut incrementum carnis, tumor internus ipsius palpebræ, paralysis, vel convulsio ejusdem. *Plinius* de Coribantiasmo meminit, sed iste est idem affectus in superiore palpebra.

Ad sextum respondeo, Venæ sectionem rectè institui posse in Gravidis è talo, & hoc experientia constare affirmo, Ego enim sæpissimè à Vena pedis Sanguinem mitti jussi in Gravidis; si enim in uteri cavitate Sanguinis copia nimia stabuletur, suffocationem uteri effectura, poterit tutò è Vena pedis Sanguis educi, & ita uteri plenitudinem exhauriri: & tantùm abest, ut ex Saphenæ sectione sequatur periculum abortus, ut potius deoneratâ naturâ, & vacuatâ uteri plenitudine, fœtus alacrior evadat, dummodo tamen gravida sit carnosa, & succulenta, venis turgentibus prædita.

Danta

Danta est animal quatuor pedum, ut Cervus; & oritur in America, Mulo simile: labia verò ejus sunt ad instar labiorum vituli, dentes habet fortes, & acutos, in capite unum tantùm cornu, crura sunt brevia, ungula scissa, pili sunt rubro-flavi, cauda brevis, ejus porrò cutis dura, ac penè impenetrabilis: animal amphibium est, nam quando Venatores illud persequuntur in aquas fugit. Ejus caro commodè comeditur, & pellis ejus caro emitur pretio ab Europæis, & Indis ipsis, nam factæ ex ea vestes sagittis resistunt. Dicitur rasuram unguium istius animalis valere ad Epilepsiam fugandam, & contra venenum: fides sit penes Indos.

Cochleas non convenire in Phthisi, quia difficilis sunt coctionis, nec bonum succum præbent, brevissimè respondeo: cùm enim Phthisici febre laborent, & propterea vis naturalis in corpore sit debilis, cibum difficilis coctionis non superabit, unde multa redundabunt excrementa, tum in toto corpore, cum in ipso ulcerato pulmone: & sic eveniet, ut in vulneribus, quæ saniem copiosiorem emittunt, si vulneratus pravo cibo utatur: hæc est mea sententia, licèt sint aliqui Medici, qui Phthisicis, & Hecticis cochleas commendent adducti procul dubio auctoritate *Galeni*, qui *lib.* 3. *de alim. facult.* limacum carnem potentissimè nutrire affirmat.

Ad XI. quæsitum, dico: falsissimam esse prorsus sententiam, omnem repletionem malam esse, panis verò pessimam: panis tamen intelligendus est bonus, benè fermentatus, & triticeus; nam qui ex aliorum farinis fit, ut fabaceus, miliaceus, hordeaceus &c., panis impropriè dicitur: nimia autem panis repletio est omnium rarissima, & si esset frequentior, non esset pessima, quia Eliæ famescenti solum panem Deus mittebat per Corvum; ita ut nomine panis omnem escam intelligi ait *Jac. Primerosius*, quia præcipua est, & solus sufficere potest, unde annonæ penuria, quæ tam gravis esse solet populis, est frumenti, ex quo panes fiunt, defectus, & inopia, etiamsi carnium, & piscium adsit copia. Et sanè Triticum valde nutrit, & præstat alimentum constans, ac solidum, & si aliqua mala præstaret quantitas panis comesta, illa tolli poterunt ido-

idonea præparatione, verbi gratia, viſciditas tollitur fermento, humiditas verò ſale, & coctura. Si ſolo pane multi veſcerentur, *Primeroſio* ſuadente, pauci morbi forent, & curationes faciliores, nam convivia frequentia, ſplendida, crapulæ, & ebrietates ſunt, quæ malignos morbos pariunt, & curatu difficiles, unde meritò poſtea Doctiſſ. noſter *Savonarola* dixit, ſe nullibi hanc turpem ſententiam de panis repletione inveniſſe, & à multis Doctoribus petiiſſe, qui etiam ſe non vidiſſe dixerunt.

Terra Catechu, ſive ut alii dicunt, terra Japonica, eſt quædam ſpecies paſtæ ſiccæ, ac duræ, paulum gummoſa, ſubrubra, figuræ veluti lapidis, ſaporis amari, & ſubauſteri in principio, ſed poſtea ſubdulcis, & grati: punctulis albis lapis iſte eſt intertextus; & eſt duplex: primus eſt ponderoſior, alter poroſior, ac pallidior primo. Aliqui volunt à Japonicis parari cum extracto *Areccæ*, *Calami aromatici*, & *ſeminis Bangue* mixtis, & ad ignem induratis. Alii credunt hanc terram eſſe compactam ex ſucco Areccæ, & ex corticibus arboris Japonenſium dicti Catechu, ſimul, ope caloris, condenſatis. Alii tandem aſſerunt eſſe revera quandam terram, quæ reperitur in montibus Orientis ſub radicibus Cedri. Melior autem eſt illa ponderoſior, ſaporis ſtyptici, ac amari. Adhibetur ad Tuſſim, ac Raucedinem, permixta cum ſaccharo, & doſis eſt à ſcrup. j. ad drachm. j. Habet uſum in urinæ profluvio juxta *Frid. Hoffmannum.* Apud nos parantur rotulæ quarum deſcriptio habetur in *tomo* 2. *Biblioth. Pharm. med. lib.* 19. *Clariſſ. D. Joh. Jacobi Mangeti* & hæc ſunt, quæ mihi breviter dicenda videbantur pro reſponſione ad tuas petitiones facienda.

CON-

CONSULTATIO CLXXIV.

De Aliquibus observatis in Re Medica.

EA est humanitas tua, talisque animi tui candor, ut nefas esset tibi non respondere, *Excellentissime Domine*, ac Discipule dilectissime. Manum igitur ad chartam defero, & quod desideras transmitto; optabas siquidem scire observationes à me factas, & à Tyronibus meis in Praxi facienda, & præsertim duobus hisce annis, quibus tu extra urbem nostram, & longè à nobis permanes; & speciatim observata in meo Nosocomio S. Mariæ Novellæ, vulgò *Battù Bianchi*. Scias igitur velim, multas, ac varias Ægritudines à me fuisse curatas, inter quas innumeras febres malignas contagiosas, quarum multæ feliciter Deo adjuvante cesserunt, aliæ verò ad interitum terminavêre. In omnibus autem observatæ sunt puncticulares maculæ copiosæ, præsertim in pectore, sudatiunculæ, tremores, convulsiones, subdeliria, parotides, pulsus inæquales, lingua arida, urinæ tenues, & alvi excretiones biliosæ. In his curandis omissa Venæ sectione, cucurbitulis tantùm scarificatis sum usus, clysteribus, emulsionibus diureticis, alexipharmacis, sudorificis, bezoarticis, aliisque remediis, quibus tu bene scis me uti libenter solere.

Vomitum immanem sedavi sola exhibitione vini Hispanici, & extra, inunctione *olei Mastiches*.

Tusses multas solo *decocto Raparum* fugatas vidi. Tremulum Aurigam, solo balneo urinæ propriæ à tremore sanum evasisse observavi, quod remedii genus *Forestus* ante me commendavit. Plures suffocationes uterinas mitigasse sequens medicamentum expertus fui: ℞ *Pulveris Assæ fœtidæ*, ℈. ß. *Castorei*, *Myrrhæ*, *Charabes*, *ana*, ℈. j. *Camphoræ*, ℈. ß. *Tripheræ Magnæ sine Opio*, *Philonii Romani*, *ana*, ʒ. j. *Misce cum Syrupo de Artemisia, fiant S. A. boli aurati n. X.* quorum unus sumatur alterna die, donec finierint. Iliaca passione de-

tentum, aſſumptis plumbeis pilis ad uſum Sclopeti, à Mortis faucibus evaſiſſe notavi. Sanguinis ſputum ſiſtere vidi ſolo uſu *ſucci Urticæ*, & *Pilularum Helvetii*. Pertinacem Cephalæam arteriotomia curatam obſervavi.

Hyemali tempore multas Pleuritides curavi iterata Venæ ſectione, *pulvere Sanguinis Hirci præparati*, *ſyrupo de Hyſſopo*, *Gelatina Cornu Cervi*, *& oleo Cucurbitonis* externè inuncto.

Duas Puellas lumbricis affectas, uſu *pulveris Chinæ Chinæ* cum Vino generoſo liberavi.

Obſtructiones viſcerum ſola maſticatione frequenti *Rhabarbari* curatas conſpexi.

Ophtalmias ſequenti remedio curavi: ℞ *Salis Saturni gr. xij. Salis Ammoniaci, gr. iij. aquæ Roſarum albarum*, ℥. *iij. Miſce*: inſtillabantur in oculum affectum mane, & veſpere. Menſium ſuppreſſionem in aliquibus fœminis ſolo uſu vini in quo infuſum fuerat *Abſinthium* Ponticum, ſuſtuli.

Adoleſcentem ætatis annorum XIII. Lichenem in palmis manuum admodùm fœdam habentem vidi, & purgato prius communiter corpore, tandem ſequenti unguento ſanitati fuit reſtitutus. ℞ *Lithargyrii auri, & argenti per noctem in aceto infuſi, & macerati, ana*, ʒ. . *Sulphuris vivi*, ʒ. j. *pulveris Hellebori nigri*, ℈. j. *ſucci Limoniorum*, ʒ. j. *adipis porcini, & butyri loti in aqua Roſarum, ana*, ℥. ß. *Ceræ modicum, Miſce. Fiat unguentum molle S. A.*

Die tertia Julii 1726. delatus ad Xenodochium Sacerdos quidam Mutinenſis annorum ætatis 55. qui quinque dierum ſpatio ſtagnantem urinam paſſus eſt, & jam morti vicinus, meo juſſu, aſſumpſit pro hauſtu, *vini albi generoſi*, ℥. *iiij. ſucci Liminiorum*, ℥. j. *ſpiritûs Therebentinæ*, ʒ. j. *ſpiritus Salis dulcis, gutt.* x., & poſt tres horas copioſè minxit, & ſaluti fuit reſtitutus, & poſt injectum clyſterem è Xenodochio ſanus demiſſus fuit.

Menſe Auguſti Faber lignarius Ferrarienſis annorum XLIX. moleſto hæmorrhoïdum dolore affectus ad noſtrum hoſpitale confugit, iſque brevi duorum dierum ſpatio ſanatus eſt ſola applicatione mei unguenti de Cepa; id eſt, ℞ *Cepæ ſub cineribus coctæ*, ℥. *ij. Unguenti Populeonis*, ℥. *j. olei Lini*, ℥. ß. *Vitelli Ovorum*, ʒ. *ij. Salis*

Saturni pulverisati, ʒ. j. *Extracti opii*, ʒ. ß. *adipis Ranarum*, ʒ. ij. *Misce*, fiat linimentum S. A., & benè misceatur in mortario plumbeo.

Febres omnes duplices tertianæ, quarum non est numerus, pari modo curatæ sunt, nempe per simplicem alvi purgationem, Venæ sectionem, alterantia, ac usum *Chinæ Chinæ* ter in die sumptæ *in aqua Cardui Sancti*, vel *vino* nostrate generoso, & vix unus ex talibus Ægris fato cessit: Et hîc admonere debeo, me observasse, usum corticis Peruviani magis proficuum esse in febris declinatione, quam in principio accessionis, & ante paroxysmum.

Uxorem unius Militis Præsidii nostri Ferrariensis curandam habui, quæ affecta erat Abdominis musculorum Scirrho, & purgato prius communiter corpore, sequenti apposito cataplasmate ritè convaluit: ℞ *Ammoniaci*, *Galbani*, *Bdellii*, *ana*, *partes æquales*, terantur in mortario cum *oleo Liliorum alborum*, deinde *adde mucilaginis Seminum Fœnugræci*, *Lini* & *Ficuum* ad pondus omnium prædictorum, contundantur omnia simul, donec in unum coeant, & fiat S. A. Cataplasma; & hoc medicamentum præscriptum fuit quondam à *Joh. Zecchio in Consult.*, scripsit enim, illud esse ad scirrhos emolliendos, & discutiendos omnium sanè efficacissimum.

Dolores articulares sola assumptione iterata *specierum Hermodatyl. Officinal. ad* ℈. *iiij.* in jusculo vituli calido sanatos observavi, absque Venæ sectione, & alio remedio.

Narium hæmorrhagiam bis in Nosocomio sistere vidi stupâ sequenti madefactâ naribus inditâ: ℞ *Aceti fortissimi*, ℥. *j. Croci Martis adstringentis*, ʒ. *j.*, *Colcotharis*, ℈. *ij. Misce.*

Ad nostrum Valetudinarium anno 1727. mense Junio accessit Juvencula febre albâ laborans cum omnimodâ menstruorum suppressione, quæ priùs expiatis communi purgatione primis viis, mox sequentibus assumptis bolis, ab consuetum Catameniorum fluxum rediit, & sana à febri albâ evasit. ℞. *Aloës*, ℥. *j. Myrrhæ*, *Gentianæ*, *Aristolochiæ*, *Dictamni*, *Croci*, *ana*, ʒ. ß., *Rubiæ majoris*, *Mithridatii*, *ana*, ʒ. *j. cum Syrupo de Artemisia fiat massa*; capiat pro dosi *pil. iiij.* quotidie mane jejuno stomacho, superbibendo *decoctum Artemisiæ*, & *Cicerum rubrorum*.

 Obser-

Observavi insuper in malignis febribus, vini usum aliquando fuisse proficuum, utpotè insigne cardiacum, & malignæ qualitati maximè adversum.

Odontalgiam pessimam curatatum vidi *solo aceto*, cui summitas *Hyssopi* cum tantillo *Salis Absinthii* incoxerint, mox candentis vitri frustulo injecto, fortè quia vermes extinguit; suadente *Joh. Bapt. Vulpino Amico meo magno in sua Spasmolog.* qui fatetur se Odontalgiâ divexatum tali remedio salutem obtinuisse, ita ut per menses, imò annos dolorem non passus fuerit.

Singultum in febri malignâ sedavi non semel, solâ exhibitione *Laudani liquidi Sydenhamii*, superbibitâ *Emulsione quatuor seminum frigidorum majorum facta in aqua Melissæ ad lib.* 1., in qua *drachma una pulveris Salis Prunellæ* dissoluta fuerat; Externè inuncto Stomacho *oleo de Absinthio*, & *Emplastro de Crusta panis*, aut *de palmulis Galeni*.

Oculorum inflammationes, & pertinaces ophthalmias sola stimulatione ventris assumpta solutiva potione curatas vidi, absque Venæ sectione, cucurbitulis, & aliis hujusmodi remediis; hoc autem juxta *Hippocratis* monitum feci, ipse enim ait, *Lippientes alvi profluvio corripi, bonum.*

Mulierem curandam habui mense Julio anni 1727., quæ Cholera affecta fuit circa meridiem diei 30. ejusdem mensis; hæc primò Tertiana simplici videbatur afflicta, quæ primis duabus accessionibus, tanta fuit fermenti febrilis malignitas, ac ferocia, ut excitato vomitu, atque frequenti alvi fluxu cùm magna virium jactura summum Ægræ periculum impenderet; gravis aderat dolor in Ventriculo, ac Intestinis, ita ut corpus in assidua agitatione maneret; exhibita fuit *Emulsio quatuor seminum frigidorum majorum facta in aqua Portulacæ cum Scrup. ij. Cryssalli Montanæ præparatæ, & modico Laudani liquidi Sydenhamii*, & convaluit.

Molestissimum aurium dolorem in quodam Adolescente fugavi sola appositione *olei è ligno Coryli*: in alio verò hujusmodi dolore affecto fel bovis mirificè profuit, absque ulla Venæ sectione, quæ quia est remedium magnum, non tam de facili in usum

ſum ducenda, ſed in magnis morbis tantummodo adhibenda, ne temerè in abuſum ducatur, ut hodie à nonnullisMedicis fit, non ſine magno hominum damno; jure & merito igitur exclamat *Clariſſ. D. Joh. Bapt. Vulpinus* amicus meus recolendus in *præfat. ſuæ Spaſmolog. Proh ſtupor, cruenta hæc ſecta, fixaſque egit radices, ut alteram in naturam jamjam converſa, ſine ea qui tractari ſuſtineat vix reperiatur.*

Stranguriam poſt febrem Tertianam vidi, quæ fuit ſanata ope *Emulſionis ex quatuor ſeminibus frigidis majoribus factæ in aqua Malvæ, & cum pulvere Oculorum Cancri præparatorum,* nullo alio addito remedio, neque intrinſeco, neque extrinſeco.

Puerorum Serpiginem ſemper feliciter curavi ſola appoſitione *cretæ* pulveriſatæ, & mixtæ cum *ſucco ſempervivi* ad formam linimenti, quo locus affectus inungitur, eſt de facilè parabilibus remediis, & tamen ſummoperè juvat, ſine Pharmacopolæ lucro, & incommodo.

Succum Liquiritiæ adverſus raucedines ſemper feliciter adhiberi obſervavi, imò juſtè fateri poſſum, aliquando in vocis deperditione *oleum Sacchari*, & *Syrupum de Rapis*, atque *aquam Hordei* tepidam cum ſolo Saccharo profuiſſe.

Virum noſco in peſſimam Cachexiam delapſum ob frequentem uſum purgationis Verno-autumnalis,quamobrem cum amiciſſimo noſtro *Jo. B. VVerloſchnig* in ſuo *de abuſu purgat. pag. 99.* dicendum puto, Purgationem, & Venæ ſectionem Verno-autumnales miſeros homines in jacturam virium præcipitare, undè vitæ filum decurtant, & vitæ finem anticipant. Cautè igitur ſemper in talibus purgationibus præſcribendis procedendum, nec unquam ſine cauſa purgandum, non enim ad præſervanda corpora à morbis faciunt, verùm ad evocandos morbos in ipſa ſana corpora tendunt; & hìc optimè quadrat Noſtri Servatoris oraculum, *non eſt opus benè valentibus Medico, ſed malè habentibus.* Caveat ergo Dominatio Veſtra Excellentiſſima, ne purgationem, & Venæ ſectionem ſine cauſa, & ratione inſtituat, nam tunc contra artem, contra conſcientiam, & in Mortalium perniciem Medicinam ageret, quod nefas eſt cogitare.

Arthri-

Arthriticum Sacerdotem ſolo uſu aſſiduo, & quotidiano *aquæ Lentiſci* per ebullitionem factæ ad ordinarium potum, & omnimodâ abſtinentiâ à vino, ſanatum obſervavi: Sicuti fœminam hyſtericam ſola abſtinentia à vino ſanitati reſtitutam vidi. Hæc igitur, Vir Excellentiſſime, ſunt, quæ tibi poſſum ſignificare, circa obſervata in Medicina ultimis menſibus elapſis, ut petiiſti.



JOSEPHI LANZONI


Philosophiæ & Medicinæ Doctoris Ferrariensis, in Patria Universitate Lectoris Primarii, ac S. R. I. Academiæ Cæsareo-Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum Socii, &c.

OBSERVATIONES MEDICINALES

Olim MISCELLANEIS NATURÆ CURIOSORUM insertæ, nunc conjunctim editæ.



LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.
MDCCXXXVIII.



OBSERVATIONES MEDICÆ D. JOSEPHI LANZONI

OBSERVATIO I.

Ex Miscellan. Natur. Curiof. Decur. II. Ann. VIII. Obf. 21.

De Verme ab Utero



UERPERA quædam annorum. 23. temperiei biliofæ, poft enixum fœtum vivum ac fanum, fenfit nonnullos diros cruciatus circa matricem; ideòque Me in confilium vocavit. At paulò poft ab Utero ejecit Vermem ad inftar lacertæ, magnâ cum adftantium admiratione; Vermis autem intra horæ fpatium expiravit, qui longitudine palmum unum cum decenti latitudine æquabat. Nunc Puerpera melius fe habet, & in publicum prima vice prodit, dum hæc fcribo.

OBSERVATIO II.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. 199.

De magnis Calculis renalibus.

POſt longam ac diris concomitatam ſymptomatibus ægritudinem, Innocentius XI. Pontifex Romanus æternæ memoriæ, frequentibus arthriticis inſultibus afflictus, tandem die 12. Auguſti Ann. 1689. mortuus eſt. Aperto Cadavere, in Renibus reperti ſunt lapides iſti in figuris ſequentibus delineati; licet antea Sanctiſſimus Pontifex nullum paſſus fuiſſet unquam nephriticum dolorem. Calculus autem Renis ſiniſtri in parte ſuperiori albicabat, reliquo corpore nigricabat, pondereque uncias novem æquabat: qui verò in dextro Rene fuerat, totus erat albicans, & uncias ſeptem ponderabat.

OBSERVATIO III.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. 200.

Ulcus in Pulmone Sanatum.

SIſto hîc obſervationem, quam Excell. D. *Ludovico Mariæ Barberio*, Medico Imolenſi celeberrimo debeo: Scil. Dominus Lottus, civis Imolenſis, annorum circiter quinquaginta, in Maſſa Lombardorum degens, immani fato circumdatus, incidit in Peripneumoniam die 27. Junii elapſi anni, quæ dierum progreſſu veſicularem ipſius pulmonis ſubſtantiam ulcere labefactavit, ut à Practicantium corona infeliciſſimus empyematicus haberetur: puris ſanguinei ſputum, difficilis reſpiratio, ſudores nocturni, febris maraſmodica & conſumptiva eum comitabantur. Imolanum delatus 8. Auguſti

ferè

ferè excarnificatus, uſu *balſami Sulphuris* per dies quadraginta, diæta rationali, ex his, quæ ſolent in his affectibus à Practicis uſurpari, uti *pulmentis hordeacis* &c feliciter fuit ſanatus: mane capiebat guttas duas balſami Sulphuris in cochleari inſulſi juris, qui balſamus paratus extabat è floribus Sulphuris philoſophicis, cum Spiritu vini rectificatiſſimo, per circulationem ad lumen lucernæ, vitro ſubtiliſſimo, per dies quadraginta uſque ad rubedinem. Deintres horas à paſtu ſumebat aliud cochleare cum balſamo Sulphuris, prout communiter præparatur in pharmacopœis cum *Spiritu Therebentinæ*, *Syrupo de ſucco violarum* admixti, quibus remediis ultra ſpem ſanatio eſt ſubſequuta.

Probabile eſt, ſi licet internas minimorum explorare actiones, impetum Sanguinis ex Sulphurearum & Salinarum particularum ſuperfluitate (ordinata & certa enim quædam eſt textura, qua proportionaliter miſcentur particulæ omnes ſanguineam maſſam conſtituentes, quæ, ſi aliqua earundem erodatur, morboſam conſtitutionem fas eſt oriri) febrili, & efferato motu ſanguineam maſſam extra arterioſa & venoſa clauſtra urgente, laxiores membranaceas fibrillas, Pulmonis veſiculas componentes, deprehendendo, eas laceraſſe ac diſrupiſſe, quibus ulcus formatum in ipſo Pulmone lethale morbum compoſuit. Pus itaque non tantùm lymphaticis retrogradis, ſed & ſanguineis vaſis redditum, perenne fermentum ſanguini indidit efferveſcentiæ febrilis, ex quo deficiente nutritione, maraſmus ortum duxerat. Uſus itaque nutritionis ut habeatur, neceſſe videtur, ut in partibus nutriendis ab evolantibus particulis (unde nutritionis neceſſitas) non tantum impetu tranſeuntis Sanguinis, ſed elaſtica preſſione nitro-aërearum particularum ſuper extimam corporum ſuperficiem collidentium; pori figurati relicti ſuccis denuo impleantur, qui ſi ſucco evolanti non fuerint proportionales & figuratæ mixtionis, partem nutriendam reficere non valebunt, anguloſumque pus fibrillas tracheales, & veſiculares Pulmonis ſtimulando contractiones in ipſis inducit, (villum enim ſtimulo contrahi dubium non eſt) unde contactus ſpiritus aërei & ingreſſus ipſius in Sanguinem intercipitur, præ nimiaque contractione etiam laxati villi veſicularum, neceſſe eſt Sanguinem ad illas appellentem

coagulari, unde infarctus Pulmo difficilem induxit respirationem. Chimico-balsamica igitur medicaminis constitutio succum sic proportionaliter particulis coagmentatum Sanguini impartita est, ut purissimum sulphur sine angulatarum particularum obstaculo (sulphurea enim corpora simul ramositate conjuncta nequeunt à salinis angulatis menstruis penetrari) ita aptum nutritioni redderetur, ut dierum progressu paulatim imbibita sanguinea massa, non tantùm partes omnes nutriendas restituere valuit, sed ulcus Pulmonis confirmatum istius purissimi sulphuris appulsu vesicularum refectione paulatim sanavit.

OBSERVATIO IV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Decur. II. Ann. VIII. Obs. 201.

De Diarrhœa annua.

CIvis quidam Ferrariensis, annorum triginta duorum, temperamenti biliosi, diarrhœa laborans, Me hebdomada elapsa in consilium vocat, ac interrogatus de morbi causis, narrat, se septem ab hinc annis, semper in fine mensis Junii affici molesta hac diarrhœa, biliosa, cum facili ad vomitum propensione, quæ post septem dies evanescit. Rara mihi visa est hæc affectio, cui similem aliam Me legisse non recordor: sequenti autem præscripto remedio ad formam Electuarii, sumendi ad cchleare dimidium ante pastum, septimam observaturus diem, discessi. Remedium autem hoc est: ℞ *Conservæ Rosarum veteris*, *Citri*, *ana*, ℥.j.ß. *Cornu Cervi præparati*, *Corallii rubri præparati*, *Lapidis Alabastrites pulverizati*, *Hæmatites præparati*, *Margaritarum præparatarum*, *Terræ Sigillatæ*, *Spiritus Vitrioli*, *ana*, ℈.j. Cum *Syrupo acetosæ simplicis*, Fiat Electuarium S. A. Et septima die, doloribus mitigatis, & cessante nausea, terminavit Diarrhœa more consueto; ipse autem Patiens nunc læto animo vivit; sic enim quovis anno dicit naturam suam pravos elicere a corpore humores, sine medicaminum usu, sperans ita, nec autumno, nec æstate amplius se ægrotaturum.

OBSER-

OBSERVATIO V.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Dec. II. Ann. VIII. Obſ. 202.

De Lacte concreto in Stomacho.

ADoleſcens quidam elapſis diebus maximam copiam vaccini lactis ingurgitavit jejuno ſtomacho, hincque duabus tranſactis horis, tumefacta Stomachi regione, dolores fortes ſurrexêre, ac diri ventris cruciatus: Me in conſilium Parentes vocarunt, qui ſtatim lac eſſe in ventriculo concretum conjeci, ideòque juſſi, ut Æger comederet *Allium*; hoc autem manducato, ſtatim lac diſſolutum fuit & per alvum expurgatum. Quod remedium didici *in parte* 2. *Promptuarii Chirurgici Anton. Phil. Ciuccii pag.* 170.

OBSERVATIO VI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 38.

Partus mirabilis Scandiani editus 26. *Maii Ann.* 1690.

QUam hîc ſiſto Obſervationem curioſam Exc. D. Antonius Vallisnerius Medicus, ut Nobiliſſimis noſtris Dom. Collegis innoteſceret, communicavit, quam etiam propriis ejus verbis exhibeo. Mulier annorum XLVII. temperamenti melancholici, ferè ſemper erumpentibus menſtruis dolori dexterum hypochondrium lancinanti obnoxia, non ſine flatu, & interdum vomitu, quam ipſa ſibi duriorem moleſtiam declinatura ſponte movebat, Viro ſeptuagenario nupta quatuor fœmellas, atque unicum marem, ſpatio novem annorum, enixa eſt. Dum autem hunc poſtremum fœtum, tenera nimis, & imbecillis conſtitutionis, cum magno propriæ valetudinis detrimento lactabat, oborta in fauces ſalſo-acri deſtillatione, & multis per imum ventrem doloribus,

loribus, præterito proximè Februario, menses illi omninò defuerunt, aliàs etiam tempore lactationis, quanquam minori rivo, prodire assueti; quamobrem se gravidam esse juramento credidit. Verùm mense Martio iterùm aliquid ex utero fluxit, & veteri dolori hypochondriaco, plus quam assueverat, vellicanti cordis oppressio, flatus, inappetentia, sitis, stypticitas, vigiliæ, ac acidissimæ materiæ vomitus sese comites adjunxêre, excitata insuper febricula, quæ cum urinis subobscurè rubentibus horis vespertinis invalescebat. Vigesima sexta ejusdem mensis accessit Medicus, qui propter frustula Sanguinis ex utero quotidiè decidentia nequaquam illam utero gerere rationabiliter arbitratus, leves primò purgationes, posteà pharmaca humectantia, & vehementer aperientia ipsi præbuit, ac venam pedis secari jussit. Cùm tamen memorata symptomata nihilominus insævirent, & extillare Sanguis ab Utero non desineret, vigesima secunda Aprilis habita fuit cum altero Medico consultatio, qui omnibus ritè perpensis succorum acrimoniam, atque acorem accusavit, & cachexiam instare portendit. Ejus consilio secta iterum vena pedis, medicamenta acidum infringentia, atque absorbentia largè assumpta, & die nona mensis Maii, Sanguis ad quatuor uncias ex manu detractus Die X. fluxus ex Utero major, & fractarum virium imbecillitas, recensitis symptomatibus perpetuò sequentibus, die XXI. gravem vomitum multi Sanguinis excretio secuta, & per quatuor circiter horas multa de patientis salute trepidatio; resurgentibus tamen viribus visa sunt ipsa mala deficere, & parcius fluente Sanguine per quinque dies minus turbida rerum facies. Jam nox diei vigesimæ sextæ adoleverat, cùm ferocientibus iterum symptomatibus magno nisu ovatum corpus suis tunicis involutum, & ovo anserino magnitudine proximum, ex Utero expulit, quam expulsionem ingens, ac mira vesicularum multitudo immediatè secuta est. Membranæ corpus illud continentes teneræ, ac fragiles; iis reclusis non distincta humani corpusculi figura, sed rudis, & obscura moles apparuit, illis destituta machinamentis, quibus divinum hoc opus confici, ac exornari consuevit. Non caput, non brachia, non crura dignosceres, sed truncum tantummodo negligenter intextum, quem ex viscerum inchoata quadam, & informi structu-

ra

ra ruditer vixiſſe deprehendebatur. Cæteris viſceribus minus imperfectum Cor erat, ejus tamen magnitudo grandior, quam parvi, & gracillimi Corporis menſura requireret. Sacculi duo membranei valdè laxi, ac in ſeſe concidentes pro Pulmonibus habiti ſunt, nec aorta defuit, ac vena cava, quæ ſurculos hac illac per thoracem emitteret. Hepar in abdomine obſcurè ſanguineum, ſine lobis & figura Hepatis, & Pancreas, ac Lien binas glandularum maſſulas referebant, quas non naturæ ſolertia, ſed fortuita quædam, atque inconſulta congeries excitaſſe videbatur. Ventriculus, & Inteſtina paululùm rubeſcebant, & tum ipſa, tum moles univerſa tenuiter admodum, ac molliter contexta fuerant, ut quamvis odorem nullum putredinis exſpirarent, ferro tamen, vel leviſſimè contacta diſſolverentur, ac fluerent, quæ inter manus tabeſcendi facilitas obſtitit, quin reliquas Fœtus indigeſti, ac mirabilis latebras minutiùs inſpicerem.

Intentis deinde ad ova, ſeu veſiculas oculis, tam ingens earum multitudo, tam denſa implicatio viſa eſt, ut nequaquam exactè numerari potuerint.

Cùm tamen ſextam ex illis partem numeraverim, quæ ad mille circiter globulos aſcendebat, fas mihi ſit arbitrari univerſum acervum ſex millia veſicularum continuiſſe. Non communi aliquo trunco gaudebant, ex quo propagines tenui, ac vario filo veſiculas eleganter ſuſtentaturæ progrederentur, ſed rude, ac nullo conſilio digeſtum rete conſpiciebatur, quod varios hinc inde non unius tenuitatis, aut longitudinis ſurculos emittebat. An elegantiorem in Utero formam habuerit, per exeundi labores, & obſtetricis contrectationem poſteà corruptam, ignoro; multas ex illis unicus ramus ſuſpendebat, aliæ racematim diſpoſitæ, aliæ longo limite unum latus inſequebantur, omnes tamen pedunculo fultæ, quo ſuo veluti ſtipiti inſertæ manebant. Diſpar illarum magnitudo, graciliores milium, grandiores pilam ſclopetariam referebant, illæ cæteris rotundiores, niſi mollis, ac tenera, quâ velabantur, cuticula, quacumque de cauſa comprimerentur, orbem ſuum amitteret. Aqua quam continebant, guſtu judice omnis expers ſaporis, Solique expoſita nitoris non admodùm limpidi judicabatur: nec omninò fluxibilem illam dixiſſes, ſed aliquanto commu-

 ni

ni aquâ lentiorem, ovi tamen albumine magis fugacem. Cum alkali commixta non effervescebat, nec coagulabatur cum acidis. Vesiculæ in aquam collectim, aut sigillatim conjectæ fundum petebant. Si decoqueres igni, multùm suæ molis amittebant in se se concidentes, ac macriores redditæ, cùmque tunica illarum arctior fieret, crassior evadebat, & conclusus latex non viscidior, sed albidior apparuit, ideoque ex tunicâ vulneratâ, tanquam arctiori, & per calorem contracta, liquor expressus ad aliquam distantiam exsiliebat, nec post coctionem ampliùs diaphanæ, sed remissè albescentes conspiciebantur. Propter subjecti albedinem vix plura detexi microscopio, quàm simplici oculo videram: illud tantùmmodò patuit, ramosas nempè propagines, quibus vesiculæ annectebantur, nihil aliud esse, quàm tubulos, qui humorem ad vesiculas deferebant. Vasa sanguiflua nulla sese visui obtulerunt, quanquàm penè me vasis specie deceperit tenuissimè protensum Sanguinis vestigium, quod acriùs intuenti posteà compertum; minima enim Sanguinis portio tunicæ vesiculosæ rugis detenta venulas mentiebatur, tunica ipsa fibris longitudinalibus, & alterius generis decenter contexta, non secùs ac in vesicæ structurâ fieri consuevit. Relictas per aliquot dies in nudâ mensâ vesiculas nulla putredo fœdavit, colorem tamen glaucum, ac obscurum induerunt, & liquore, quem continebant, per poros exudante, paulatim inaruêre; non sine aliquâ odoris gravitate, quæ adstantium nares acido habitu vellicabat.

An hydatides, an *Regneri de Graaf* ova illa sint, an genus aliquod Hydropis ab *Aëtio* memoratum, an aliquid aliud adhuc Medicis irrepertum, aliàs peculiari disceptatione disquiram, & rudem sententiam meam amico cupidè ac perhumaniter expectanti detegere non verebor.

Post eorum exitum, quæ inconditè superiùs retuli, duravit Sanguinis expurgatio non sine patientis levamine, & quinque transactis diebus placenta nullo fœtore polluta paulatim, ac per fragmenta defluxit. Lochia quoque feliciter prodière, à quibus Ægra se in pristinæ valetudinis lætitiam sensim recepit.

OBSER-

OBSERVATIO VII.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. IX. Obſ. 39.

Noxa ex frigidiſſimo potu.

MErcator quidam Ferrarienſis. annorum XL. temperiei calidæ ac ſiccæ, menſe Julio Anni 1690., incidit in febrem tertianam ſimplicem, quæ cum magno vomitu ac frigore invadebat, dolore capitis, ac calore, ſitique intolerabili ſubſequentibus. Tranſiens autem per viam Medicus quidam, aſinus togâ indutus, ſine methodo medicinam faciens, vocatur ad Ægrum, ſtatimque jubet, ut magnam quantitatem aquæ gelidæ bibat, inſcius illius, quod circa hanc rem ſcripſêre *Foreſtus*, *Fabricius Hildanus*, *Poterius* & alii multi. Aſt bibita hac aqua, Æger dolore in ventre maximo affectus, totus frigefactus eſt. Me itaque vocant in Conſilium Parentes, quem morientem jam jam conſpicio, id quod etiam poſt ſex horas factum eſt. Pro remediis ergò ad ſacramenta confugiendum eſſe decrevi.

OBSERVATIO VIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. IX. Obſ. 40.

Mira antipathia cum Pœonia.

MIlitem juvenem novi annorum XXVI., qui Pœoniæ odorem aſpectumque nullo pacto ferre poteſt, ac niſi diffugiat, ſyncope ſudoribuſque frigidis corripitur.

OBSERVATIO IX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Decur. II. Ann. IX. Obs. 41.

Febrifugum pluries expertum.

D. N. N. Quartana laborabat vehementi, at post septimam accessionem exhibui sequentem pulverem, & febris abiit, quem posteà pulverem sæpè, & in Tertianis, Quartanis, Erraticis, ac aliis febribus intermittentibus feliciter sum expertus, ejus autem descriptio hæc est: ℞ *Salis Absinthii*, *Pulveris Cremoris Tartari*, *ana*, ʒ. *ij*. *Chinæ Chinæ*, ℥. ß. *Santali rubri*, ʒ. *j*. *Spiritus Vitrioli rectificati*, ℥. ß. Hunc Spiritum affunde guttatim, pulverem miscendo spatula lignea; inde lente igne exsicca & pulveriza, dosisque sit ʒ. ß. ad ʒ. j. in Aqua Cardui benedicti vel Absinthii.

OBSERVATIO X.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 42.

De Alvo adstricta.

JUvenis quidam XXVII. annorum bilioso præditus temperamento, alvo semper est adstricta, quam duarum hebdomadarum spatio semel tantùm exonerat: Ossa prunorum deglutita plurima etiam per sedes non dejicit, nihil tamen per hoc incommodi sentit, valetudineque semper utitur integra; nec, postquam ipsum Ego cognosco, nisi Tertiana simplici, ac brevi Ægrotantem eum scio. Porrò vir honestus annorum XLVIII., de prostrato appetitu laterisque doloribus sollicitus opem petebat, interrogatus utrùm alvi fæces quotidie exoneraret, respondit à decem jam diebus nihil quidem se excrevisse, sed istam cunctationem sibi perpetuam ab infantia fuisse, sine salutis dispendio, neque enim hactenus,

tenus, nisi octavo, aut nono, quandoque etiam duodecimo die ventris onus se deposuisse. Interrogatus: an capitis dolorem passus fuerit, respondit, nihil tale unquam se persensisse.

OBSERVATIO XI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 43.

Raucedinis remedium.

RAucedo malum est non tam periculosum, quàm admodùm molestum, & frequenter accidit, quando membrana, quæ Laryngem ac Asperam Arteriam investit, præter naturam afficicitur, exasperatur, & inæqualis redditur, ita scribente *D. Sim. Schultzio in Ephem. Cur. Dec. I. Ann.* 3. quod ut plurimùm à nimia humidate, hoc vocis organum irrigante, accidit; quo in Casu commendantur varia à Scriptoribus Medicis, & præcipuè *Syrupus de Erysimo Lobelii.* Quod ad me attinet, affirmare verè possum, Reverendum D. Franciscum Suzium, Sacerdotem Ferrariensem, pluribus in vanum tentatis auxiliis, à Raucedine liberatum esse, sumendo quavis vespere *pulverem oculorum Cancri* ad ʒ. j. & hoc per tres vices adhibito remedio rectè convaluisse.

OBSERVATIO XII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 44.

De rara Cordis Palpitatione.

CIvis Ferrariæ annorum XXXI. gracilis corporis habitûs, temperiei calidæ & siccæ; per multum tempus laboravit Cordis continua Palpitatione, cujus remedium unica fuit Saguinis missio. Verùm symptomate recrudescente tandem Syncope correptus interiit. Aperto Cadavere, cor maximum in mole apparuit, solùm unam continens cavitatem, seu ventriculum, plenum Sangui-

ne nigerrimo; Cordis corpus autem erat emaciatum, arteriæ præ pondere elongatæ & conniventes, ita ut cruor ſpirituoſus motu cordis ampliùs non potuerit expelli ad arterias; & loco alterius Ventriculi vena cava aſcendens in ingentem elevata tumorem

OBSERVATIO XIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 45.

Gulæ & Narium coalitus à Variolis.

CUm anno 1688. Variolæ multùm hîc Ferrariæ graſſarentur, id mihi obſervatu dignum accidit, quod filiolo D. N. N. OEſophagus à Variolis ita coaluerit, ut denegato cibi potuſque per illum tranſitu, miſero puero fame & ſiti miſerrimè non ſine magno parentum luctû pereundum fuerit. Sic pariter in Puella coalitum à Variolis relictum Narium, ſectione à Chirurgo feliciter inſtituta, video eodem Anno, ſublatum.

OBSERVATIO XIV.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 46.

De Sternutatione cum Singultû.

NObilis Virgo annorum XXIII. feliciter debellatâ Tertianâ Febri, Singultum vehementer moleſtum experta non ita pridem eſt, in quo tollendo operam perdimus quot quot Medici à Patre rogati conſilia dedimus; inuſitatam enim faciem induit Singultus miſerè tenellum corpus excrucians, & vix deglutitioni tempus indulſit. Quandoque ceſſare videbatur, ſed ſingulari metaſtaſi ſuccedebat Sternutatio perenni motu Ægram exagitans, tamque vehemens, ut lecto excuteretur, niſi ab adſtantibus impedita fuiſſet. Vitium in OEſophago hærere tuberculo quodam impedito

dito suspicio fuit; quia, quæ exhibebantur, difficulter deglutiebantur. Sternutatio verò unde? Divinare non facile fuit: An Vermes in abdomine? aliquid hos contribuisse inficiari non ausim; magni illi satis per enemata expurgati; omnibus tentatis nihil profecimus, quanquam Pharmacopœorum officinas evacuaverimus; hinc aliquot menses sunt protracti inter has pœnas; leniri subinde malum videbatur, sed recurrebat, donec tandem corpore prorsùs expurgato, variisque tum Galenicis, tum Chemicis medicamentis præparato, solo *Spiritu vini* exhibito a Muliercula convaluit, & nunc sana vivit; unde benè Proverbium ait: Beata vetula quæ venit in fine morbi.

OBSERVATIO XV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 47.

De Nummo deglutito & post duos menses vomitu excluso.

Adolescens quidam pauperculus victum labore quæritans nummum argenteum in ore servavit, donec necessariam confecisset operam; ast inter labores fortè in fauces decidit nummus, & in medio gutturis hæsit magno cum dolore, sputo cruento, & difficultate deglutitionis rerum solidarum; ita per multum tempus affectus, sensim in Ventriculo delapso nummo, nihil inde incommodi sensit; tandem LX. transactis diebus, inter labores artis suæ, nato sponte vomitu & tussi valida excrevit nummum ærugine, ut mihi ostensus fuit, obductum.

OBSER-

OBSERVATIO XVI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 48.

De Fluxu Hepatico curato.

NObilis Mulier per totum ferè vitæ ſuæ curriculum Fluxu Hepatico vexata, tandem remediis multis fruſtrà tentatis, uſu *aquæ Cichorei* curata fuit; poſt multos menſes eodem fluxu denuò laborans, ab eodem etiam remedio levamen accepit; adeò ut adhuc plenaria ſalute fruatur; ſumebat autem aquam dictam Cichorei ſtillatitiam quovis die ad uncias viginti.

OBSERVATIO XVII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 49.

De Pure in Coxa tumore collecto, per Alvium expurgato.

MIles quidam annorum XXXV., temperie calida ac ſicca præditus, in Tertianam Febrem incidit; poſt cujus ſeptimam acceſſionem tumor apparuit in Coxa dextera, magno cum dolore, duritie, ac magnitudine, adeò ut in dies magis, magiſque increſceret. Emollientibus adhibitis remediis, tandem ad ſuppurationem venit; quare Chirurgus eum aperire mane ſequenti decreverat; verùm Æger medio noctis maximos ſtimulos alvum exonerandi ſenſit, & cùm ter id ſucceſſiſſet, dolor & tumor ferè diſparuerunt. Adveniens etiam Chirurgus vidit omninò detumefactam Coxam, & inſpecto excrementorum vaſe, puris concocti magnam quantitatem admiratus eſt; ſicque Miles ſanus evaſit. Per quas autem vias Puris hujus tranſitus ad alvum fuerit factus, nullus adhuc ſcit; hæc enim ſunt illa naturæ arcana, quæ me cogunt dicere: hoc unum ſcio, quod nihil ſcio.

OBSER-

OBSERVATIO XVIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 50.

Partus quinque Puerorum.

DE tali partu mentionem facit *Aulus Gellius lib.* 10. *cap.* 2. *Noct. Attic.* Et Sacerdos elapsis diebus jurato edixit, se Imolæ vidisse fœminam quandam annorum XXXV., uxorem cujusdam Barbitonsoris, quæ Anno 1688., quinque filios peperit, qui pauco temporis intervallo obierunt, quos eodem fato paulò post mater insecuta fuerat. Et ego quondam Comaclensem Mulierem, atque aliam Ferrariensem vidi, quæ tres gnatos uno partu peperêre.

OBSERVATIO XIX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 51.

De Inedia novem dierum in Muliere.

ANno 1690. Mense Julio accessi, vocatus à Parentibus, ad Mulierem quandam annorum circiter XXXII., temperie calidâ ac humidâ præditam, quæ paroxysmis sævis tentata hystericis, spatio dierum novem sine sensu ac motu ferè mortua videbatur; id autem mirum fuit visum, ipsam sine alimento superstitem, solo *olei succini* odore ad se tandem rediisse; modò verò sana conservatur, nullumque, post assumptum sequentum bolum, sensit amplius hystericæ passionis impetum. Bolus autem talis fuit: ℞ *Pulveris Castorei, gr.* vij., *Salis Artemisiæ*, ℈.ß., *Conservæ Borraginis, Q.* S. M. Fiat Bolus auratus, & cum jusculo calido sumatur jejuno Stomacho. Hinc & Monialem quandam XXII. annorum isto Bolo ab Epilepsia Uterina liberatam vidi, ut & Puellam XVII. annorum in Conventu S. Margaritæ ab hysterica passione per eundem restitutam.

OBSERVATIO XX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 52.

Sera dentitio.

VIdi cujusdam Pharmacopolæ filium, qui non nisi post septimum ætatis annum dentes emisit, & primò loqui incepit, adeò ut omnes priùs crederent, eum esse mutum. E contrà Mercatoris alicujus Ferrariensis gnatum vidi, qui natus fuit habens quatuor dentes valdè visibiles.

OBSERVATIO XXI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 53.

Dysenteria aquæ frigidæ potu curata.

OPtimis remediis nihil proficientibus, interdum simplex aliquod & vulgare præsidium desperatos curare morbos, Medicorum historiæ demonstrant. Hinc Vir quadragenarius Ferrariensis, optimi habitûs, Mense Septembri anno 1690. postquam æstate præcedente fuisset multùm exercitatus in Venatione, incidit in febrem continuam cum forti Dysenteria, ita ut nihil conducentibus medicinis lege artis à me exhibitis, jamjam mortem expectaret. Inter autem cruciatus, qui ægrum nostrum tormentaverant, sitis inexplebilis eminebat, ita ut loqui ferè haud posset. Petiit igitur, ut in tot languorum copia permitterem, ut sitim longo haustu *Aquæ Nucerianæ frigidæ* extinguere posset, sicque enim posteà contentum se mori jurabat; quare permisi, ut Aquam ad plures cyathos biberet, ceu optaverat, post quam assumptionem remissa non tantùm est febris, sed & cruciatus, alvi dejectiones cruentæ, & sitis, sicquè cessantibus pravis symptomatibus, paulatim & morbus cessavit; ipseque contra omnium spem evasit.

OB-

OBSERVATIO XXII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 54.

De Infidis Experimentis Medicis.

PLuries expertus fui, nullius efficaciæ esse remedium hoc à multis præscriptum ad inhibendum somnum videlicet *Cor Corvi* gestatum; nam multos Lethargicos vidi qui hoc adhibito remedio nihil opis senserunt. Pariter vanum esse remedium contra Febres intermittentes, præscriptum à *Longino in suo Trino Magico*, nempe *Cor Turturis* vivum, calensque comestum; expertus fui ter in diversis hominibus febri tertiana & quartana affectis; hi enim tali assumpto, nihilominus febricitarunt. Nugas esse novi notatas *in Kiranid. cap. de Hirund.* dicit enim hic liber, comestas *hirundines* sanare Epilepsiam. Duos enim Epilepticos jussi ut assiduè ederent hirundines, at sine ullo levamine. Fabula est, quam multi narrant, scilicet *Sanguinem Leporis* calidum inunctum podagricos pedes perfectè curare; contrarium enim usus evicit. *Fel & sanguis agniculi* tanquam verum præsidium ab Agyrta contra Epilepsiam venditabatur; hoc autem bis à me in duobus experto, falsum esse inveni. *Cor Vulturis* in pelle ligatum, omnes fluxus sanguinis sistere, apud multos legi; at dictis facta non respondent, pluries enim in hæmorrhoïdali ac menstruo nimio fluxu præsidium hoc nullum dedit levamen. Fœmina quædam docuit juvenem, ut amaretur à dilecta Muliere, debere ipsi porrigere amasiæ nescienti assata *interiora Cornicis* comedenda; sed inde non tantùm Mulier eum non dilexit, sed odio percita, eum semper fugiens, à tali dilectione omninò abhorruit.

OBSERVATIO XXIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 55.

De Fœmina tres Mammas habente.

CLariss. *Cabrolius* observavit in quadam Muliere quatuor Mammas; totidem quoque vidit *Joh. Faber*, quæ lac omnes habebant. Tres mammas se vidisse in quadam fœmina juravit *Joh. VValæus*, & tres pariter *Olaus Borrichius*, ac *Gerh. Blasius*. Egoque Ann. 1690. vidi hîc Ferrariæ uxorem fabri lignarii tres mammas habentem, ex quarum una nunquam lac effluxisse dicebat.

OBSERVATIO XXIV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 56.

De Liene eximiæ magnitudinis.

MUltos fuisse maximo donatos liene narrant *Hippocrates*, *Bartholinus*, *Forestus*, *Sennertus*, *Blasius*, *Smetius*, *Columbus*, *Donatus*, *Vesalius*, *Horstius*, *Kerckringius*, *Cabrolius*, *Helvvigius*, aliique plures Authores. Quibus nunc addo, vidisse me anno 1685., in publico Ferrariensi Anatomico Theatro in cujusdam Militis cadavere Lienem eximiæ magnitudinis, quem à me ponderatum inveni octo libras æquare; cùm autem esset dissectus, optimæ conditionis ac substantiæ est repertus, quod non parvæ admirationis fuit causa.

OBSER-

OBSERVATIO XXV.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 171.

De Vipera duplici capite prædita.

ILluſtr. *Franciſcus Redi*, Italicæ Medicinæ decus, Patronus ac amicus meus ſemper colendus, in principio ſui libri, cui tit. *Obſervat. Animal. viv. in animal. viv.* narrat ſe vidiſſe ſerpentem duobus capitibus ornatum; quod idem ego obſervavi anno 1690. Vidi enim apud quendam Circulatorem Viperam duplici capite præditam, quæ ab ipſo cuſtodiebatur magna diligentia, hac enim curioſitate multos alliciebat Auditores, ex quibus major lucri ſpes accedebat.

OBSERVATIO XXVI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 172.

De Epilepſia Arthritide ſuperveniente fugata.

MUlier quædam Ferrarienſis plurimum liberorum parens, annorum XL., à frequenti Epilepſia XXV. annorum ſpatio tormentata fuit; at nunc poſt pedis ſiniſtri Arthritidem non amplius jam per tres menſes ſenſit ſonticum affectum.

OBSERVATIO XXVII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 173.

De Phrenitide Vena jugulari ſecta curata.

JUvenis XXXI. annum agens, temperamenti calidi & ſicci, negotiis impenſè deditus, adeòque vigiliis obnoxius, meri potui

maximè indulgens, sævo capitis dolore ac febri acuta corripitur, cum siti, vigiliis, somnisque turbatis & clamoribus, à quibus temerariè loqui cœpit, floccos ac festucas carpere, & nugari, atque continuè delirare; familiares non distinguendo. Vocatus ego, clystere primò acri injecto, jubeo jugularem venam secari, & Sanguinem ad uncias decem extrahi; quo facto cessavit delirium, ac febris remisit; hinc *Laudani Opiati* grana tria cum *Conserva Rosarum Q. S.* assumpsit, ad somnum conciliandum, post quem meliùs se habuit, atque post copiosum sudorem perfectè convaluit, & nunc sanus vivit, nec minimum doloris capitis sentit.

OBSERVATIO XXVIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 205.

Ex fumo candelæ sebaceæ mors.

FOetorem candelarum sebacearum extinctarum obtinere veneni naturam multi docent; de quo videatur *D. Pauli Ammanni Medicina Critica pag. m.* 367. Id quod casus præsens confirmat: Erat Adolescens in caupona, dormiens post vini largam assumptionem. Fumigantem ab extinctione candelam sebaceam naribus sæpè obtulerunt adstantes sic dormienti, unde nonnihil expergefactus, iterum tamen obdormivit; illi verò continuarunt per semihoræ spatium istam insolentiam, à qua convulsio, difficilis respiratio, tandemque mors successit misero Adolescenti, nocte subsequente.

OBSERVATIO XXIX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 206.

De squamula Ossis per Nares excreta.

QUam hîc scribo observationem, communicavit nuper *Exc. D. Francisc. Justinus* Medicus noster Ferrariensis, Xenodochii

D. An-

D. Annæ Chirurgus; talis autem est: Miles præsidii nostri Ferrariensis, temperamenti calidi & sicci, XXXV. annum agens, vulneratus fuit cum angulo bacilli ferrei intra supercilia, cum fractura ossium cavitatis frontis, & aliqua depressione. A Chirurgo quodam Urbis nostræ vocato instituta fuit cura communis pro capitis vulneribus; at post quindecim dies exivit squamula ossis vulnerati, unde Chirurgus putans, totam ossis substantiam læsam fuisse exsquamatam, balsamo vulnus clausit. Sanato sic exterius vulnere, capitis dolor successit, atque inflammatio partis offensæ, ejusdemque intumescentia. Unde in consilium vocavit Patiens prædictum D. Justinum, ut auxiliatrices porrigeret manus, qui tangendo partem læsam, videbat exire è naribus non exiguam puris copiam, postquam excreta fuit squamula ossis, phaseoli magnitudine; postea totum opus naturæ per triduum commissum est, & Æger sanus evasit; qui nunc fatetur, se ante vulneris inflictionem continuò ferè afflictum fuisse à sævo dolore capitis, jam verò post peractam vulneris curam, ne quidem minimum cephaleæ passum fuisse; natura tamen per nares frequenter aliquam puris portiunculam adhuc deponit.

OBSERVATIO XXX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 207.

De fluxu Mensium immodico, Scabie superveniente curato.

VIdua quædam Nobilis Ferrariensis, XXXI. annum agens, temperie calida ac humida donata, habitûs plethorici, quæ juncta marito, sex annorum spatio ter concepit & peperit, tandem orbata Viro, in sævam ac inconsolabilem incidit mœstitiam, quam sequebatur fluxio immodica ac continua menstruorum, cum virium languore, lumborum laxitate, pallore ac tumescentia præsertim in facie ac cruribus. Pluribus incassum tentatis remediis, tandem Scabie superveniente curata est.

OBSER-

OBSERVATIO XXXI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 208.

Mulieris Gravidæ antipathia cum Anguillis.

FEles, Canthărideſque nonnulli oderunt, ait *Plutarchus in Opuſcul.* & Rubetas, & Serpentes: Germanicus verò neque Gallum aſpicere poterat; at Perſarum Magi Mures interficiebant, tum quia illos oderant, tum quod Diis immortalibus ejus generis animal moleſtum eſſe arbitrabantur. Sic de mira Monialis cujuſdam antipathia mentionem feci *in meis Animadvers. med. pag.* 221. Liceat mihi jam ſequentem hiſtoriam proferre: Eſt hîc Ferrariæ Uxor cujuſdam noſtri Civis, annorum XXXIII. quæ dum utero gerit, ſtatim antipathia cum Anguillis laborare incipit, ita ut hoc ſolo ſigno ſe Gravidam eſſe judicet. Tunc enim nec edere, nec videre anguillas poteſt, ad earum ſolùmmodò præſentiam in vomitum incidens. Poſt partum autem hæc ceſſat antipathia, imò eiſdem coctis tanquam delicato ferculo ipſa utitur.

OBSERVATIO XXXII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 209.

De Mortuo ex Tertiana Simplici.

MErcator Ferrarienſis XL. annum agens, temperamenti calidi & ſicci, liberè vivens, diarrhœa bilioſa quovis ferè menſe trium dierum ſpatio laborans, poſt longum iter, æſtivo tempore, ſitiens valdè, æſtuansque domum reverſus, in magna copia vinum generoſum glacie refrigeratum potavit; ſequente nocte tertiana corripitur ſimplici, quæ eum die intermiſſionis in plateam prodire permittebat ad expedienda ſua negotia. In tertio autem paroxyſmo, delirio affectus, ac ſudore frigido undiquaque perfuſus,

ex

ex improviso fuit mortuus, magna cum Parentum admiratione, qui mortem ex tali febre haud expectabant.

OBSERVATIO XXXIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. IX. Obs. 210.

De Stercoris excretione in Mortuo.

TOmum Ephemeridum Curios. Acad. nostræ Leopoldinæ Anni 1689. nuper perlegens, incidi in Observationem *Clar. D. Joh. Ludov. Hannemanni*, qui narrat duas fœminas maligno morbo exstinctas, altero die post obitum urinam excrevisse. Circa quod Me quoque vidisse recordor Ann. 1686. mense Martio, Civem quendam Ferrariensem, XLV. annorum, sæva Peripneumonia exstinctum, altero post mortem die non tantùm urinam, verùm etiam stercus excrevisse; idem quoque, observavi in puero Variolis defuncto.

OBSERVATIO XXXIV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 85.

De Remedio facili ad Quartanam.

AD fugandam Quartanam Febrem, multi multa parant remedia; per literas autem Illustr. *D. Paulus Mar. Terzagus*, Medicus Mediolanensis præstantissimus, Amicus meus maximus, communicavit mihi remedium à se expertum felici successu, ex facilè parabilibus, quod est, Coriandri præparati, ℥.ß. contusa quæ infundatur per horas 24. in ℥.v. Vini albi, inde coletur, & Vinum bibatur ante accessionem. Sed lubet idem ipsissimis verbis prælaudati Viri etiam proponere: „il doctissimo tuo trattato della „Quartana, non piu tanto opprobrio de Medici, come un disgra-„tiato penello la dipense, essendosi ritrovata forma di domerla.

„ Non può andar più in carro trionfale tirato da *Hippocrate*, e *Ga-*
„ *leno*, gran Lumi dell' Antichità; mentre facilmente il suo furore
„ rintuzaffi: Un remedio *de facile parabilibus*, che più volte m' è
„ riuscito; *una mez' oncia di Coriandoli præparati*, e amaccati posti
„ in infusione in cinque oncie di vino biancho per hore 24. poi co-
„ lato, beverlo avanti l'accessione fa mirabile effetto; e la Signora
„ Marchesa N. N. fù da me con questo rimedio sanata aborrendo
„ della China China da me variamente usata.

OBSERVATIO XXXV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 86.

De Cephalalgia Capitis Vulnere curata.

FAber Lignarius quidam Cephalalgia per tres menses affectus, varia expertus est remedia, quæ tamen omnia frustranea fuêre. Casu autem cecidit super caput ejus, lapis è fenestra cujusdam domus, caputque læsit, sine tamen cranii læsione. Vulnus ordinata methodo curatum est; sicque Patiens & à Vulnere, & à Cephalalgia sanus evasit. Sic me legisse recordor apud *Adolph. Brachelium in histor. sui tempor. ad ann.* 1635. *pag. m.* 27. *partis secundæ*, Adolescentem Stomachi languore ac Vomitu affectum fuisse, qui, immisso per Oesophagum in Ventriculum cultello, & è Ventriculo à perito Chirurgo ope vulneris arte facti, extracto, post Vulneris sanationem, etiam à Stomachi languore ac Vomitu convaluit; sectio autem ista infra costas sinistri lateris facta fuit.

OBSER-

OBSERVATIO XXXVI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 87.

De Cœcitate ex adstricta Dysenteria.

NObilis quidam Vir XXXVIII. annum agens, gracilis habitûs, ad iram pronus, Dysenteria corripitur sæva, morbo scilicet magno, & periculi pleno, longo, laborioso, & lethali ab *Hippocrate* dicto, si tertium gradum attigerit. Vocat ipse turpem Pseudomedicum, qui, ut citò sanaret hunc Illustriss. Virum, summè adstringentia propinat remedia; At cessante alvi cruento fluxu, dolores circa articulos insurgunt; anodynis ungit Medicus affectas partes; & patiens paucos post dies oculorum afficitur dolore ac inflammatione, quam cœcitas sequuta est, quæ multis adhibitis remediis à doctissimis etiam Medicis rectè administratis adhuc non cessat.

OBSERVATIO XXXVII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 88.

De Vomitu & Singultu ex Venere.

MIhi retulit Civis quidam Mantuanus, se fratrem annorum XXX. habere, qui quotiescunque in clinopali se exercet, post dulces Veneris gustatus vomitu tentatur, & materias flavas amaricantes ejicit ad pondus unciarum duarum. Et Ego olim me vidisse Hebræum recordor, post coitum Singultu affectum per semi horæ spatium durante.

OBSERVATIO XXXVIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obſ. 89.

De Muliere Gravida Epileptica.

UXor Civis cujuſdam noſtri Ferrarienſis, annorum XXVI., temperiei bilioſæ, trium filiorum parens, quotieſcunque gravida eſt, ſontica paſſione afficitur bis in menſe, tranſacto autem nono menſe & partu finito, ab Epilepſia liberatur, & pro ſigno infallibili (ut ipſa ait) novæ conceptionis ipſi eſt Epilepticus inſultus: Modò eſt gravida, & ego obſervavi verè ipſam Epilepſiam affici, nam levi cauſa in iram erumpit, ex improviſo in terram cadit, ſpuma ex ore exit, violenta concuſſione totum corpus quatitur, membra modò inordinatè retrahuntur, modò diſtenduntur, in ſe autem reverſa non recordatur eorum quæ ab aſſiſtentibus fuerunt peracta. Multa adhibita fuêre remedia, ſed omnia fruſtra; nunc etiam Epileptica & quinquemeſtris gravida vivit, ſemper rubore genarum ac capitis calore moleſtata.

OBSERVATIO XXXIX.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obſ. 90.

Mira calculorum excretio.

SUpra laudatus *D. Paul. Mar. Terzagus* mihi nuper per literas communicavit ſequentes de Calculis obſervationes: Menſe Julio Ann. 1691. Monialis annorum XIX. intra octo dierum ſpatium LXXIX calculos depoſuit, quorum aliqui pondus trium denariorum æquabant; duo autem erant longitudinis & latitudinis ungulæ mediani digiti, in quibus lucidæ apparebant atomi; cæteri autem Calculi colore variabant, aſt illi, qui milii granum æquabant, non fuêre numerati, ſed cum arenulis abjecti. Porrò Conciona-

cionator quidam totius Quadragesimæ tempore L exclusit calculos, inter quos unus erat curiosæ figuræ; Sceptrum enim Turcicum repræsentabat, in cujus summitate semiluna conspiciebatur. Tandem in vesica fellea cujusdam Cadaveris humani reperti fuerunt LXXX. lapilli lucidissimi, nigri coloris.

OBSERVATIO XL.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 91.

De Puero Diabete laborante.

PUer erat septennis, temperiei calidæ & humidæ, qui post scabiem, quæ sponte evanuit, urinæ magnam quantitatem mingere cœpit, ita ut ejus quantitas per multas libras excederet potus quantitatem; urina verò à curiosis bis & ter ponderata libr. XX. pondus quotidie æquabat. Attamen lege artis nostræ curatus in fine mensis convaluit. Sic Me legisse recordor apud *Schenckium*, *Cardanum*, aliosque puellam quandam passam olim fuisse tale urinæ profluvium, ita ut singulis diebus libras XXXVI. ejus emingeret, idque spatio duorum mensium, & tamen quotidie non assumebat pro cibo & potu nisi ad summum libras septem. Qua autem ratione urina, seu aqua in tanta copia egredi queat, inquirere mihi nunc placet. Cogitavi enim in puero ac puella supra dictis, potuisse à nimio calore colliquari Sanguinem, ac secundum majorem sui partem in aquosum laticem verti; Credidi insuper potuisse dilatari vasa tum emulgentia, tum lymphatica, tum ea quæ sunt à Ventriculo ad Renes; Pariter putavi totum ferè potum ac cibum in aqueum humorem potuisse reduci. Verùm istis omnibus unitis, nec decimam aquæ egredientis partem æquare potui. Insuper admisi & intemperiem Renum & Viscerum cum Antiquis, & vitriolico-austera ac fundentia fermenta cum Recentioribus. At hæc omnia convincunt equidem materias, quæ in corpore sunt, posse fundi, colliquari ac egredi, sed non convincunt id quod non est posse diffluere. Cùm igitur interior causa non sit de-

monstrabilis, ad causam exteriorem confugiendum est, concludendumque, ab aëre denso & humido, plurimaque aqua vaporibusque referto, pendere; Aër enim aquosis illis vaporibus impraegnatus, in Pulmones delatus, immediatè Sanguini immergebatur, ac nimiam aquae quantitatem in eo deponebat, sicque ad Renes delatus Sanguis aquam jam susceptam dimittebat. Cur autem in his potius quàm aliis ibidem degentibus contigerint isti affectus, recurrendum ad peculiarem istorum patientum constitutionem. Suspicari autem quis potest, quod cùm in hisce morbis ingens sitis adsit, patientes isti ingentem aquae quantitatem furtim potarint; sicque haec promptior causa videtur; nam quò plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.

OBSERVATIO XLI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 91.

De Fluxu Menstruo imminuto Hirudinum appositione curato.

FOrmosa Virgo Bononiensis, annorum XXII. parum felici praedita sanitate, continuo capitis dolore afficiebatur, qui tempore menstruae purgationis imminutae magis exercebatur; tandem sequuta est febris lenta cum nausea & alvi stypticitate. Me in consilium vocaverunt Parentes, & varia medicamina secundùm artis leges exhibui, sed omnia frustra. Ultimò proposui Hirudines Utero apponendas; quod remedii genus aegrè admisit patiens, & tamen appositis internae Uteri parti duabus Hirudinibus, eodem modo, ac eadem arte, quam olim docuit in suis Progymnasmatibus *Hieron. Nigrisolus* Medicus noster Ferrariensis melius Juvencula se habere incepit, paucisque elapsis diebus omninò sanata fuit. Domesticos tamen monui ac hortatus fui, ut Virginem Sponso conjungerent, quò constantiori frueretur sanitate. Et hisce diebus intellexi, ipsam desponsatam jam esse, imò gravidam, nec unquam ampliùs passam fuisse nec minimum quidem capitis dolorem.

OBSERVATIO XLII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 92.

De Variolis in Vetula.

ME legisse recordor apud *Franc. Ignat. Thiermaierum Lib. I. Consil.* Monialem LXX. annorum, Variolis laborasse, cui similes observationes etiam leguntur apud *Corn. Stalpartum van der VViel, tom. II. Observat.* Egoque anno 1691. mense Septembri vidi fœminam LXXII. annorum, Variolis in magna etiam copia correptam, quæ in septimæ diei principio mortua est.

OBSERVATIO XLIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 94.

De Remedio Arthritidis prodigioso.

PEdum Præfectum jam per tres septimanas pessimè à podagra habitum, solâ nive, tam eandem affricando, quàm super eam nudo pede ambulando convaluisse refert *D. Jo. Nic. Pechlinus lib. 2. Observ. med.* 28. Egoque notavi Religiosum quendam maximè podagra affectum, doloribusque sævis cruciatum, qui desperatione ductus aquam gelidam postulavit; quam famulus cùm concessisset, ipse pedes affectos unda gelida perfusit, & paucos post horas liber à dolore evasit, fluxioque podagrica evanuit.

OBSER-

OBSERVATIO XLIV.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Dec. II. Ann. X. Obſ. 95.

De Fiſtula curata.

SIſto hîc hiſtoriam curioſam mihi per literas communicatam ab Eruditiſſimo *D. Joh. Coſmo Bonomo* Sereniſſ. Electricis Palatinæ Archiatro, de fiſtula curata. Literæ autem ipſæ hæc habent: „ Nel noſtro publico Oſpedal di Livorno queſta ſettimana è occorſo il tirar fuori d'una ferita ſotto l'omoplata nella ſpalla deſtra di un ſoldato una candelleta di lunghezza otto deti, che da „ venti meſi ìn qua v'era ſtata meſſa, e non piu trovata, ne tan „ pocho penchata che vi foſſe, ſolo attribuendo la continuatione „ della fiſtola alla cattiva qualità della ferita, che haveva reſo il „ patiente quaſi gobbo, mà a pena eſtratta la candeletta ò moccolo immediatamente tornò ad alzarſi & à drizzarſi come in tempo di ſalute, & ora à momenti ſi rende guarito.

OBSERVATIO XLV.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Dec. II. Ann. X. Obſ. 124.

De Ulcere in inguine, Alvi fæcibus tranſitum concedente ſanato.

MUlier annorum XLVII. poſt Herniam Inteſtinalem abſceſſu in Inguine laborabat, cui tam alta ſucceſſit putredo, ut portio Inteſtini, longitudine duorum digitorum tranſverſorum, ad omnimodam ſuppurationem fuerit deducta, & in toto curæ curriculo fæces per ulcus prodierunt. At præter ſpem ſalutis, multi enim impoſſibilem tamen curationem aiebant, balſamicis adhibitis remediis, intra XX. dies ſucceſſit conſolidatio, indeque cicatriſatio, hodiè excrementa per alvum excernuntur, nec ullum patiens ſentit in parte affecta dolorem.

OBSERVATIO XLVI.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Dec. II. Ann. X. Obſ. 125.

Mors à Narium Hæmorrhagia ſuppreſſa.

JUvenis quidam annorum XIX., temperiei calidæ & ſiccæ, habitûs corporis macilenti, gulæ deliciis valdè deditus, conqueritur derepentè de magna corporis laſſitudine, cui ſuccedit horror & rigor maximus, poſtea calor cum ſiti, capitis dolore & vigilia; pulſus eſt languidus, cæterùm naturalis ferè; urinæ boni coloris; Deliquia & Syncope ſuperveniunt, diarrhœa bilioſa. Acceſſi & maligna illum febri affici judicavi; die ſextâ non pauca Sanguinis quantitas per nares exit, ita ut hoc videntes Adſtantes, de vitæ periculo timerent, ſtatimque ideò ad Barbitonſorem currerent, ut hæmorrhagiam ſiſteret. Ille ſine meo juſſu, turundis ovi albumine imbibitis, ac adſtringentibus pulveribus inſperſis cruorem ſupprimit. Poſt hæc ſomnus ſupervenit lethargicus, & Æger in fine diei ſeptimæ moritur.

OBSERVATIO XLVII.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Dec. II. Ann. X. Obſ. 126.

Mania ex amore nimio.

ADoleſcentula, Mercatoris cujuſdam noſtratis filia, vitam ducens otioſam, annorum XVII, honeſto pulchri Adoleſcentis amore capta, nihil niſi matrimonium cum ipſo optabat: Amantes ambo ad colloquia venerunt, & noctibus integris, nihili pendentes & æſtivum calorem, ac hyemis frigus, aſſiduè vigilando, inter dulces amoris ſermones delectabantur. Creſcit tali via amor, & Adoleſcentula ſuppreſſione menſium afficitur, color faciei mutatur, & pallet, ſic ut ait Poëta

Palleat ommis amans, color hic est aptus amanti:

Febres succedunt nocturnæ, & obstructiones viscerum fiunt. Vocatus à Patre, solus in cubiculo interrogo Juvenculam de morbi origine; amorem accusat; ad curam me compono, febres sequentes fiunt exiguæ, tamen delirare incipit, & fit maniaca; à quo tamen affectu secundùm Artis nostræ regulas curata, libera evasit, ac fluxus mensium ordinarius rediit; nunc sana vivit, ac se ad matrimonium optatum citò ineundum accommodat.

OBSERVATIO XLVIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 127.

Epilepsia per subsequens Matrimonium curata.

VIdua quædam, annorum XXXI., temperie calida ac sicca donata, vitæ sedentariæ dedita, rarum fluxum mensium experta, vinumque in quantitate potans, ex improviso in terram cecidit, spumâ ex ore prodeunte, totum corpus violenter concussum, & membra retracta fuerunt. In se reversa horum non recordatur, & bis saltem in mense hoc affectu corripitur. Plura medicamina exhibeo; at omnia sunt frustranea. Unde consului, ut secundas accedat ad nuptias. Quo consilio usa, sequenti mense secundum amplectitur maritum, civem scilicet Ferrariensem, Amicum meum, annorum XXVIII. optima temperie præditum; primo statim mense impraegnatur, & nullos amplius patitur Epilepticos insultus, imò gratias Altissimo Deo agens nunc sana vivit, & jamjam se accingit ad partum.

OBSERVATIO XLIX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 128.

Quartana Venere curata.

MUltos à Quartana febri fuisse liberatos timore, lætitiâ, ebrietate &c. adnotaverunt Doctores, & scripsi *Ego* de hac re *in mea Dissertatione de hac febre.* Verùm historiolam curiosam de Quartana fugata in Amico meo narrare nunc volo, ut pateat, aliquandò erroribus edomari morbos pertinaces. Juvenis annorum XXVII, Quartana trium mensium spatio laboravit, bis *pulveris Chinæ Chinæ* ʒ. *ij. in Vino Malvatico* ante accessionem assumpsit, sed frustra. Multa Amuleta ac remedia, quæ ipsi porrigebant quoque Agyrtæ & Mulierculæ, pari successu adhibuit. At Studiosus quidam Rhetoricæ eum docet Venerem optimum esse remedium. Juvenis Quartanarius ut remedium probet, meretricem invenit, cum ea rem habet, nec amplius Quartana afficitur. Nuper etiam alium Juvenem, ignei temperamenti, ad iram maximè pronum, & in victu intemperantem, frustra adhibitis per annum ferè aliis, assumptis die paroxysmi, ante accessionem, jejuno Stomacho, *unciis quinquo Spiritus Vini* optimi, à febre liberum evasisse observavi.

OBSERVATIO L.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 129.

Usus Aquæ Tettucianæ in Dysenteria.

DUos ego Dysentericos liberavi usu *Aquæ Tettucianæ*, imò celebrem esse hanc aquam in hoc morbo non miror, siquidem cùm uniformes sint auctores in assignanda humorum acredine (adderem Ego nimiam fluiditatem) pro causa interna Dysenteriæ, rationi congruum videtur posse notabile derivari beneficium ab aliquo

 liquo

liquo medicamento promovente expulsionem per urinæ vias materiæ pravæ aut sudorem, refermentando, simulque Intestina detergendo & exsiccando, cujusmodi esse autumo *aquam hanc*; unde & in potu & in Clysteribus usurpari potest cum utilitate, quod verò talem usum præstet hæc aqua, legisse Me olim memini apud *Nicol. Cæsium in lib. 5.*, *Andr. Baccium de Therm.* aquam esse exquisitè salsam & siccantem gustu.

OBSERVATIO LI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 130.

Dysenteria Scabie soluta.

ANni præteriti æstivis mensibus hîc Ferrariæ Diarrhœæ ac Dysenteriæ plurimæ occurrerunt, pertinaces adeò, ut frustranea fuerint remedia, licet Artis lege exhibita. Duas tamen observavi Ego Dysenterias, quæ post decimum quartum diem succedente Scabie sanatæ sunt; imò cùm miles Dysentericus ita liber à morbo evasisset, & unguentis ac lotionibus ad scabiem abigendam usus fuisset, Dysenteriâ ipsum denuò correptum fuisse vidi.

OBSERVATIO LII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 131.

Coma Somnolentum ex nimio pulveris Tabaci usu.

CIvis quidam Ferrariensis ex nimia quantitate pulveris Nicotianæ assumpta, Comate somnolento detinebatur, ut neque ab acclamantibus Domesticis expergisceretur, ac in cubili sedens stupidus & immotus maneret; quem proximum esse Apoplexiæ prædixi; nec mea Me fefellit suspicio, nam post septimam morbi diem eâ extinctus est. Simile quid à nimio vini usu legisse me recordor apud *P. Forestum*; & satellitem novi, qui ob continuam

Ta-

Tabaci pulveris ac vini assumptionem immani Phrenitide mortuus fuit; unde Poëta Italicus cecinit: *Molto Bacco e Tabacco uccide un uomo.*

OBSERVATIO LIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 132.

Pleuritis Spiritus vini potu fugata.

Miles quidam noster Ferrariensis, temperamenti calidi & sicci, ætatis annor. XXXIV, in hyemis principio valdè frigido post exercitium violentum, ac nimium, & multos in re venerea errores, conqueri cepit de dolore sub mamma sinistra, & die sequenti febre cum dolore, tussi sicca, respiratione difficili, omniaque aderant signa quæ veram Pleuritidem denotant. Urinæ autem erant veluti aqueæ. Vocatus statim jussi educi è sinistro cubito sanguinis uncias decem, *oleo cucurbitonis* calido latus affectum inungi; *pulverem etiam dentis Apri*, *Mandibulæ Lucii Piscis* &c. *cum Aqua Papaveris Rhœados* exhibui. Die quarta morbi iterum sanguinis missionem celebravi in salvatella manus sinistræ. Dolor tamen non cessabat, sputa pauca erant, tussis molesta, somnus paucissimus. Sexta die Æger è cubili surgit, & cùm nullum domesticum in cubiculo observasset, arculam aperit, in qua erat vasculum vitreum, non exigua quantitate *Spiritus vini* plenum, cujus ad quantitatem libræ unius bibit, ad cubile denuò redit atque ad soporem se componit; in somno nonnihil delirat, ac varia incomptè loquitur, expergefactus sudore eximio perfusus invenitur, dolorem non amplius sentit, cessant omnia symptomata, & ita septima die liber à febre evadit. Sic multa in Praxi accidunt omninò contraria rectæ curationi morborum, & sæpè Ægri erroribus suis, *al dispetto de' Medici e della Medicina*, ut ipsi dicunt, sanantur.

OBSERVATIO LIV.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obſ. 133.

Uſus Euphraſiæ in Oculi caligine.

VIr quadragenarius Oculorum caligine laborabat. At cùm multis, & diverſis remediis fruſtrà uſus fuiſſet, me tandem vocari juſſit; Imperavi ut è cephalica dextri brachii ſanguinis miſſio fieret ad ℥.x. cruoris exhauriendas, indè vinum aſſiduè bibendum *Euphraſia* medicatum exhibui; ſicque convaluit.

Univerſa ferè Botanicorum cohors in oculorum caligine *Euphraſiæ* uſum extollit, & vinum in quo macerata ſit hæc herba propinant; verùm cùm Euphraſia manifeſtè ſit calida ut ejus ſapor ſubacris indicat, ideò non omni oculorum caligini convenit, ſed tantum illam fugat, quæ à frigiditate provenit, non verò à calore; in hac enim produceret ſpirituum inopiam, & ſic officeret diſſipando; cavere ergo in tali adhibendo remedio debet Practicus, ne plus noceat Ægro, quam proſit, memor ejus, quod obſervavit *Lobelius* qui teſtatur ex trimeſtri *Vini Euphraſiati* potu, ſocium ſuum penè ambobus oculis orbatum fuiſſe, quod idem etiam confirmat *Sim. Pauli Quadrip. Botanic. Claſſ.* 3. *cum Theophilo Boneto in Mercur. Compitalit. lib.* 13.

Hinc ergo eruditè poſt *Camerarium Hoffmannus* defendit, *Euphraſiam* non quamvis Oculorum caliginem fugare, ſed illam, quæ eſt à frigiditate; in hac enim Euphraſiæ uſus tàm internus quàm externus optimus eſt. Idcircò ut paulo antè dicebam meritò in Oculi caligine fuganda adhibetur à Medicis *Vinum Euphraſiatum*, quod fit monente Clariſſ. *Ettmullero*, infundendo ſcilicet *Euphraſiam* in Muſtum efferveſcens, ut unà quaſi ebulliat.

OBSERVATIO LV.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obſ. 134.

De Vulnere Aqua Vitæ curato.

MIles quidam præſidii noſtri Ferrarienſis Annorum XXXII, patria Forolivienſis, vulneratus eſt ab alio milite in brachio dextro; à quo vulnere ipſe ſine ulla Chirurgi ope, aut unguentorum appoſitione, ſola *aquæ vitæ* applicatione intra octo dies ſanus evaſit; Hinc Me quoque legiſſe recordor in libro cui titulus, *Acquiſti del Moroſini pag.* 231. *part.* 1. Turcas etiam vulnera ſua *Aqua Vitæ* curare, abſque longo medicamentorum apparatu; quod ego verò tantùm feliciter accidere puto in ſimplicibus vulneribus.

OBSERVATIO LVI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obſ. 135.

De Vagitu Uterino.

UTerinum vagitum multi annotarunt, uti *Mart. VVeinrichius lib. de Monſtr.*, *Sennertus in Praxi*, *Andr. Libavius*, *Sitonus Jatroſoph. Miſcell.*, *Thom. Bartholinus Hiſt. rar.*, *&* *Chriſtian. VVaterus in Miſcell. Curios. Ann.* 1689. Idem elapſis ego diebus obſervavi in Muliere Annorum XXXIII. quæ ſecunda vice gravida, menſe octavo, ſentiebat maximas fœtus commotiones, poſt quas vagitus triplicatus ſecutus eſt, quem, & maritus, & ſoror ejus audivêre.

OBSER-

OBSERVATIO LVII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obſ. 136.

De Narium Hæmorrhagia ſola aqua ſimplici curata.

ADoleſcens quidam robuſtus, cùm in cœna largiùs bibiſſet, correptus eſt immodica narium hæmorrhagia, ut vires dejiceret; ad ipſam cohibendam multa adhibita fuêre præſidia; verùm hoc unum profuiſſe expertus eſt, nempe *aquam ſimplicem fontis frigidam* per nares frequenter attractam, qua ſtatim cohibitus eſt cruoris fluxus.

Non tantùm verò narium hæmorrhagiam, verùm alias quoque ſanguinis effuſiones cohibere poſſe *aquam ſimplicem* monet *Doctiſſ. Joſeph. Cignocius Florentinus Chirurgus in ſuis notis ad libr. de Ulcerib. Hippocr. pag. 21. cujus verba hæc ſunt.*

„ Jo sò di certa ſcienza, che il *Sigr. Franceſco Redi*, che qui „ nomino per apportar luſtro & onorevolezza non ordinaria à „ queſta mia Scrittura, sò dico di certa ſcienza, ch'egli in alcune „ ſue eſperienze, che fece per rinvenire la vertù d'una cert' aqua „ medicata chiara, e limpida, che gli anni adietro veniva atalmen„ tè predicata per un certo ſicuro rimedio à guarirè tuttè quante le „ piaghe, e tutte le ferite, e per iſtagnare ſubitamente ogni più „ ruvinoſo fluſſo d' ſangue che dalle vene, e dalle arterie ſgorgaſ„ ſe, ritrovò il citato Signore, e aſſicurò con indubitabile evidenza „ che l'aqua ſemplice d' Pozzo, e di Fontana, di Fiume, o Piova„ na produceva i medemi buoni effetti di guariggione, che produr „ ſoleva quella ſopradetta tanto celebre aqua medicinale, è pure „ eſſo *Signore Redi* adoprava l'aqua naturale non in què ſimplici ta„ gli di lanzeta, che ſi fanno nelle flebotomie, mà comandava, che „ nel collo delle pecore, e de Cani fuſſe aperto un largo, e profon„ diſſimo ſdruſcio &c.

De hac re vid. etiam *Ephemerid. Eruditorum Romæ impreſſæ Ann.* 1670. & *Joſeph. Zambeccar. in ſuis Experimentis impreſſis Florentiæ Anno* 1680.

OBSER-

OBSERVATIO LVIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 137.

Diarrhœa solo Plantaginis succo curata.

NObilis quædam Mulier gracilis complexionis, quæ proxima præterita æstate febrem tertianam duplicem experta est, Autumno autem adveniente, eo morbi genere perturbata est, in quo liquidiora excrementa, & frequentiora per alvum dejiciuntur quàm instituto naturæ conveniat, quæ quidem excrementa flava bile perfusa apparebant; multa adhibita fuêre remedia; verùm omnia frustranea; hinc Muliercula Nobilis patientis famula non exiguam *Plantaginis foliorum* copiam recepit, succumque exprimit, quem expressum, & depuratum manè jejuno Stomacho assumendum porrigit ad uncias quatuor; & hoc per trium dierum spatium; A quo remedio non tantum Diarrhœa cessavit, verùm omninò evanuit, ac perfectè Ægra sanata evasit; Sic de Rustico etiam recordor, qui à Diarrhœa biliosa liberatus fuit, sola jusculi potatione, in quò bullita fuerunt *Plantaginis folia*.

OBSERVATIO LIX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Decur. II. Ann. X. Obs. 138.

De Papillis duabus in unica Mamma.

MUlierem vidi ex Romandiola Annorum XXXIII. Lauram nuncupatam, quæ binas papillas in una tantùm mamma habebat, nec multùm inter se distantes; cui similem observationem refert *Clariss. D. Petr. Borellus Centur.* 1. *observat. Medic. rar.* 69. *pag. mihi* 55. *Confer Ephemeridum. Decur. I. Ann. II. Obs.* 72.

OBSERVATIO LX.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obſ. 139.

Colica bilioſa uſu aquæ frigidæ curata.

FRigidæ aquæ uſum in bilioſa Colica commendat *Thom. Burnetus in ſuo Theſaur. Med. Pract. tom.* 1. *lib.* 3., maximè in iis quorum vires robuſtæ, & partes principes illæſæ ſunt; Sic *Amatus Cent.* 1. *Curat.* 2. hiſtoriam notat de Muliere Colicâ ex cauſa calida laborante, quæ ex potu aquæ frigidæ ſubitò incantamenti inſtar dolore eſt levata non ampliùs redeunte; Ad cujus hiſtoriæ confirmationem ſequens à me elapſa æſtate viſa obſervatio facit, de Ruſtico Annorum XL. Colica bilioſa laborante, ſolo aquæ frigidæ uſu ſanato; non tantùm enim frigidam intrò ſuſcepit undam, verùm etiam lineum pannum aqua gelida madidum umbilici regioni feliciter admovit.

OBSERVATIO LXI.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Dec. II. Ann. X. Obſ. 140.

De uſu Chinæ Chinæ ad fugandos Vermes.

USum Chinæ Chinæ valdè proficuum ad necandos vermes eſſe, docuit jam in ſua Diſſertat. *de Epidem. Anni* 1690. *pag. mihi* 45. *n.* 49. *Clariſſ. Ramazzinus* Medicus Mutinenſis Præſtantiſſimus, ac Amicus meus in æternum colendus; Quod idem ego bis feliciter eveniſſe obſervavi. Primò in Puero annorum ſex magna vermium copia laborante, qui uſu Chinæ Chinæ ſaluti fuit reſtitutus; Secundò in Adoleſcentula annorum ſexdecim quæ per multos dies vexata eſt alvi fluxu, & nauſea, cum febre, quæ omnia à Lumbricis in inteſtinis, ac ventriculo contentis naſci vide-

deban-

debantur; Post varia frustrà adhibita medicamina, cùm jam jam Ægra in summo vitæ periculo versaretur, ipsi exhibui vinum Chinatum, in quo scilicet infusa fuerat *China Chinæ*; Hinc vomitus, & alvi fluxus excitati sunt, quibus mediantibus ab ingenti vermium sarcina, se feliciter liberavit, ac sana evasit.

OBSERVATIO LXII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 141.

De Veneris Stimulo ex assumpto Pharmaco purgante.

ASsumpta medicamina ansam Veneri dare, scribit *Doctiss. Christian. Frideric. Garmannus Academ. Curios. in suo de Miraculis Mortuorum libro tit. XI. §. 12. pag.* 105. & de hoc cum eo mentionem faciunt, *Forestus*, *Sinibaldus*, *& Platerus*; idem quoque confirmat sequens historia à me nuper observata.

Civis est Ferrariensis, qui ut à Vertiginoso affectu se liberaret, *pilulas Aggregativas & de Agarico* à Medico præscriptas assumpsit, verùm nullam ab illis sensit per alvum evacuationem, sed tantummodò stimulos Venereos, à quibus tota die divexatus est, adeò ut pruritum ægrè ferens, talem expertus est ad Venerem impulsum, ut bis Uxorem compresserit, ne ullam quidem sentiendo alvi solutionem.

OBSERVATIO LXIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 142.

Præservatio a Calculis.

SAcerdotem nosco sæpè Calculosam affectionem expertum, qui nunc sanus vivit, & immunis à Calculi doloribus, ob solum, ut ait ipse, *baccarum Juniperi decorticatarum* & singulis diebus jeju-

no Ventriculo deglutitarum, usum; sic edoctus à quodam Empirico Hispano.

Hoc autem remedium etiam commendatur *à Clariss. Nicolao Francimont à Franckenfeld in Lithotomia Medica, aliisque.*

OBSERVATIO LXIV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 143.

Abortus ex Tenesmo.

MUlier quædam Ferrariensis annorum XXVII. uxor cujusdam Fabri Lignarii, duorum filiorum mater, gravida, jam quintum tangebat mensem tertiæ suæ prægnationis, cùm assidua, crudeli, & præacerba desidendi cupiditate, eaque frustranea affecta est, quæ septem dierum spatio perduravit, eique successit Abortus cum doloribus maximis; quod etiam monuit *Hippocrates in Aphorism. 27. Sect. VII.* dum scripsit, *Mulieri Utero gerenti, si crebra, & inanis desidendi voluntas accesserit, abortum facit*; idemque confirmat *Paulus Zacchias Lib. 1. Quæst. Med. Legal.* Hinc docemur abstinere nos debere in curandis Gravidis à purgantibus remediis; faciliter enim ex his abortus causari potest, quemadmodum ex Tenesmo accidit.

OBSERVATIO LXV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 144.

Lac in Infante.

IN Infantulis recenter natis ex uberibus Lac effluxisse ait *Clariss. Joh. de Muralto Medicus Famigeratissimus, Academicus Curiosus atque Patronus, & Amicus meus magnus, in suo Vademec. Anatom. pag. 15.* Quod quodque nuper mihi confirmavit Obstetrix quædam nostra, quæ fassa est, se bis vidisse, infantes recenter editos

exiguam

exiguam Lactis quantitatem ex uberibus emittentes; Non ergo Mulieres tantum sunt lactantes, sed, & Pueri, & Viri; qua de re videantur *Borellus*, *Cardanus*, *Alex. Benedictus*, *& meæ Animadversiones &c.*

OBSERVATIO LXVI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 145.

Dolor Capitis à solo odore Sulphuris.

De Generoso quodam Sexagenario refert *Clariss. Nathan. Highmorus in exercit. de Affectione Hysterica*, qui ex *Moschi*, & *Ambræ*, aut hujusmodi, vel levi odore, statim de dolore capitis insigni conquerebatur; Egoque observavi elapsis diebus in muliere Capitis dolorem ex solo *Sulphuris odore* oriri, quæ postea mihi fassa est, se semper ex tali odore Capitis dolorem persentire, at æstatis tempore vehementiorem.

OBSERVATIO LXVII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. II. Ann. X. Obs. 146.

De remedio ad Tremorem.

Ad Tremorem egregiè conferre *urinam propriam* ait *Petrus Forestus in schol. obs. 5. lib. 8.* referente & confirmante *Thom. Burneto in Thesauro Med. Pract. Libr. 17. Sect. 14.* quod remedium optimum esse notavi Ego elapsis diebus in famulo cujusdam Civis Ferrariensis magno correpto tremore, ex nimia Venere nato; Rusticumque olim vidisse me recordor, qui tremores partium corporis humani curabat applicatione *urinæ pueri calidæ*; imò tantam esse putabat hic Rusticus *urinæ pueri* virtutem, ut eam posse hydropem sanare crederet; quocirca Rustico ascitico ter calentem *urinam in-*

fantis propinavit, verùm frustrà, paucos enim post dies hydropicus mortuus est, licet nauseabundam hanc ingurgitaverit potionem; ostendendo, quid non mortalia pectora cogat spes quoque vana salutis.

OBSERVATIO LXVIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Decur. III. Ann. I. Obs. 20.

De Ictu Scorpionum.

QUam hic sisto observationem, *Excell. Dom. Dom. Francisc. Evangelistius*, ut Nobilissimis nostris Dom. Collegis innotesceret, communicavit; quam etiam propriis ejus verbis exhibeo: Elisabetha de Tursanis sub fine mensis Junii 1692. cùm sese ad latrinam 5. hora in loco præhumido situm contulisset, à Scorpione ibidem latente icta fuit circa ultimas Recti Intestini plicas. A re inopinata perterrita Me accersitum voluit, ut prædicta narraret. Petii ab eadem, num esset certa quod verè Ictus Scorpionis fuisset, quem statim mortuum mihi ostendit, quia ab inflicto vulnere illum calceamentis contriverat. Interea, ut mortem, quem imminentem arbitrabatur, evaderet, medica poscebat præsidia. Unde præcepi, ut locum sauciatum cum eodem Scorpione optimè trito fricaret, quod non permisit. Quapropter suffumigium cum eodem animali perficiendum commendavi, quod factum fuit; quamvis pudibunda dilatationem puncturæ opera Chirurgi peragendam renuisset. Interea nulla sæviora accidentia apparebant. Post duas horas à maxima viscerum commotione, vomendi stimulo, sudore frigido, & quadam veluti lipothymia infestata, denuò ad visitationem Adstantes me vocant. Ego indicatione sumpta à veneno repente ad superiora, hirudines ad locum sauciatum, unam post aliam, apponendas consului, & interim specifica alexipharmaca assumenda præscripsi, quæ omnia integrè peracta fuerunt. Post sex horas incidit in adeò perversum Intestinorum motum, ut omnia quæ per os assumebat, statim evomeret. Unde

cùm per superiora non posset dari medelæ locus, clysteribus, fomentis & unctionibus alexipharmacis, & spiritus refocillantibus usi fuimus. Primus Clyster vix injectus fuit, cùm jam per superiora redderetur, de certitudine Volvuli nos certiores faciens. Interea pluries animi deliquia ipsam apprehenderunt, & post horas aliquot convulsâ obiit.

Venenum Scorpionis esse minimum mole, sed facultate & immanitate maximum & potentissimum, *Galenus* ab experientia edoctus pronunciavit. Et quamvis in Italia lethale virus non emittere, *Plinius* testatus sit, attamen summa rerum magistra, experientia contrarium confirmat. Cur verò tam citò, & tot tantorumque morborum syndromes evenerit, non assequor, ni forte credam, quod per venas & arterias non solùm virus ipsi cordi communicatum fuerit, spiritusque vitales infecerit, sed etiam pro certo habeam, quod in humoribus centuplicata fuerit quantitas veneni, non secus ac Chimici auri argentique multiplicationem invenerunt: Nam, *Apponense* dictante, Venenum perniciosam ac destruentem vim cordis habet, & quidquid attingit in humano corpore, hoc convertit in suam speciem venenosam, & seipsum ita multiplicat, inficiendo humiditates corporis nostri in venenosam naturam, qua multiplicata, augetur virtus Veneni. Geometricum enim est axioma: *Geminata quantitas exauget virtutem.* Mihi insuper persuadeo, nostram patientem tam citò obiisse, quod Chlorosi laboraret, & per consequens valetudinaria esset: hinc facilè credo, quod veneno in suo corpore genito scatuerit, idque adventitio, & forsan sibi analogo adjunctum, deleteriam vim exeruerit, ac citam mortem attulerit. *Nam ubi abundat venenosus spiritus, venenum denuò ingruens est magis perniciosum*, ut probat *Castrensis Lusitanus in* suis *Meteoris Microcosmi.*

Iliaca passio, quæ successit, magis miranda videtur; cùm aliàs ex occlusione Intestinorum, & præcipuè gracilium ortum ducat; quæ tamen in casu nostro supponenda non erat, quia novissimè fæces ejecerat, quando à Scorpione icta fuit; neque ab inflammatione circa Rectum Intestinum premebatur, ex qua clausum orificium supponendum fuisset, tum quia ex febris absentia, imo ex autopsia abfuit inflammatio, tum etiam quia Clyster summa cum

facili-

facilitate injectus fuerat: Ergo omnis causa ad pravam Veneni qualitatem referenda videtur, quæ annulosis Intestinorum fibris communicata, & spiritibus in ipsa animi commotione versus principem suæ originis locum remeantibus, associata, secum fluida vasorum ad superiora per motum antiperistalticum stimulavit, & Convolvulum prædictum excitavit. Hinc duo fatenda videntur: Primum quod detur motus convulsivus, præter causam inanitionis & repletionis, ut plurimùm ex causa venefica, & hac calida vellicante, quia ex frigida aut humida, potius resolutio, non convulsio succedit. Alterum, quod Scorpionis virus calidum, urens, & nervos mordens credendum sit, ut cum *Cæsalpino* plurimis placuit; non verò frigidum, ut multis aliis Medicinæ Principibus arrisit.

OBSERVATIO LXIX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 21.

De Corporis totius Pruritu periodicè recurrente.

MOrbos dari periodicos quotidiana ostendit experientia; sic Vomitus periodicos observavit. *Clar Dom. Dom. Georg. Francus* in *Miscell. Curios. Ann.* 1690. Cephalæam periodicam notavi Ego in Rev. Sacerdote annorum XXXIII: Cephalalgiam periodicè recurrentem vidit *Exc. Dom. Dom. Vit. Riedlinus.* Præstantissimus *Dom. Dom. Francisc. Evangelistius*, *Medicus Burgi S. Sepulchri* mihi nuper per literas communicavit observationem de Juvencula totius corporis Pruritu periodico affecta, quam ipsissimis ejusdem doctissimi Viri verbis subjungo: Lucia filia Johannis, filii Matthiæ ex rure Ruoti Diœcesis Burgi S. Sepulchri annorum XXVI. optimo prædita temperamento, nisi quod ad superfluam caliditatem inclinet, vitam traducit incolumen, circa menstruas purgationes benè se habet, & robustissima est. Hæc mulier Ann. 1688. die 24. Junii, duabus horis ante meridiem, magnam fœni quantitatem per tractum unius milliaris ægrè, ob pondus improportionatum, & excedens, in capitis vertice portavit. Pondere demis-

demisso, sub umbra patulæ fagi, fessa ut lassitudinem auferret, quiescebat. Post spatium unius quadrantis horæ vehementissimo totius corporis pruritu adeò correpta fuit, ut sese scalpendo, totum ferè corporis ambitum excoriaverit; hinc in magnum omnium artuum tremorem incidit per spatium duarum horarum; demùm dormivit, & expergefacta, præteritæ affectionis alia non persensit vestigia, præter excoriationem prædictam; imò robustissima è solo surrexit, & iterum ad rusticales suas operationes rediit. Integro anno elapso, eadem hora, eodem die 24., eodem mense Junio, anno 1689. absque alia causa externa, in easdemmet ipsas affectiones eodem modo incidit. Convaluit pòst horas tres per alium integrum annum. Annis 1690. & 1691. eodem die, & eadem hora, easdem ad unguem affectiones iterum atque iterum passa fuit. Demùm die 9. mensis præsentis Aprilis hujus anni 1692. ad Me venit, & petiit, num hoc præsente anno Medicinæ ope tam dirum pruritum molestumque tremorem evitare posset; Cui etiam medica præsidia pollicitus fui. In hoc casu sicuti nihil observatione dignum censemus, præter determinatum diem, quo morbus invadere solet, sic in investigatione causæ, per quam stato tempore prædicta affectio corripit, solummodò intenti esse debemus. Quam quia fateor me assequi non valere, à Doctioribus enodationem difficultatis exopto. Interim ut meam aperiam sententiam, paucis Me expediam, & ne ad occultas qualitates, à quibus nostri sæculi Doctiores abhorrent, confugere videamur, dicemus quod stato tempore dentur commotiones humorum alimentitiorum à Sole, sicuti excrementitiorum à Luna. Et quamvis nostri sæculi peritissimi Philosophi & Medici Astrorum influxus negent, tunc in eorum placitis acquiescendum fore putabimus, quando præscripti casus dabitur causa potissima absque eo, quod recurramus ad motum Solis. Morborum solstitialium meminerunt Veteres, & quamvis dies solstitiales latius sumantur à Medicis, attamen nobis multæ offeruntur observationes, per quas aptissimè patet, quod dari possint morbi, qui eadem hora, eodem die, & eodem mense invadunt. Elucescit hæc veritas ex *Plinio Secundo*, *lib.* 7. *cap.* 51. qui refert Antipatrum Sidonium Poëtam, omnibus annis uno die tantùm notabili febri corripi solitum fuisse, & ea consumptum satis longa

senecta. Sic Joh. Architectus, referente *Antonio Benivenio lib. de abdit. cap.* 84. singulis annis stato die, id est in quo natus fuerat, febri corripi solitus erat. Ex quibus manifestissimè patet, quod constitutio naturalis, quæ ad integram perfectionem tendit, à Sole tantummodò gubernatur & regitur, & individuum valdè sanum, cùm ad finem anni non possit proficere in melius, movetur in deterius, (si deterius illud dici potest quod tendit ad conservationem naturæ, in hoc enim casu hæ febres sunt potius coquinariæ naturæ, ut cum *Helmontio* loquar, non destructivæ) ut in casu nostro succedit. Non est ergo quod cum aliquibus ex Neotericis pro fabulosis habeamus hos morbos, cùm evidentissimi sint, & prædicta Lucia ad hanc diem idem experiatur. Quod verò tales morbi, qui ad motus Solis, & stato die recurrunt, perfectionem naturali constitutioni adaugeant, patet in nostra prædicta patiente, quæ post somnum horæ unius, robustior surgit; & in præfato Antipatro Sidonio Poëta elucescit, qui, referente *Plinio loc. cit.* satis longa senecta consumptus est: Morbi enim, qui ad motus Solis statos dies observant, non succedunt, nisi in corporibus valdè sanis, & benignissimi sunt, quia horas 24. non transcendunt.

OBSERVATIO LXX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 22.

De Risu Lethali in Puerpera.

HAnc quoque observationem mihi nuper per literas communicavit prælaudatus *Dn. D. Franc. de Evangelistis.* Salacissima quædam Muliercula tempore diuturnæ absentiæ Fratris sui adulterè compressa, masculum concepit, & hunc die 21. Novembris 1691. feliciter peperit, sed partum ab oculis Fratris occultare non potuit, uno enim eodemque tempore, quo Obstetrix filiolum vix natum in ulnis tenebat, ex improviso ejus Frater ad eam ingreditur, & ex crimine sororis ira percitus, ipsam strangulare contendit. Mulier perterrita in syncopen incidit, & vix ope aceti refocil-

lata,

lata, laboriosè respirare incepit, hinc singultire, & in Singultu valdè concussivo per plures horas perseveravit. Secundinam ope Singultus ejecit quidem post duas horas à Syncope, sed Lochia retrocesserunt adeò, ut muliebria pudenda omnimodè exsiccata apparuerint: Tandem post septem vel octo horas cessit majori ex parte Singultus, sed incidit in alium perversum diaphragmatis motum, quem à similitudine veri risus, Risum præternaturalem appellare liceat, sed hunc valdè atque iterum valdè tumultuosum, cum lachrymis continuè largèque profluentibus, qui Risus perseveravit supra horas XXX. & intermittebat solùm per spatium, quo salutatio angelica recitari potest, & tempore hoc intermedio bis, ter, & quater singultiebat, postea ad eundem risum revocabatur. Non bibere, non manducare, nec loqui poterat. Oculi adeò prominentes erant, ut ex orbita prolapsuri viderentur. Ego vocatus post horas XXII. à partu, obstupui ob similem affectum apud me omnimodè novum, ejusque causa pensitata, & indicatione sumpta ab animi pathemate, & lochiorum retrocessione ad partes spiritales, medicamenta cordialia, & quæ sale volatili abundant præscripsi; Sed hæc ob Risum & Singultum sumere non potuit, undè solummodò externis uti coactus fui, inter quæ nonnulla, quæ lochia prolicere poterant, Uteri regioni admovi. Interim quamvis pulsus valdè obscurus (ex nimia sarcina) appareret, unam tamen ex saphænis tundi præcipio, sed incassum, quia nullus Sanguis ex aperta vena prodiit, idque non alia ex causa, quam quod in formam gelatinæ abierat, ut ex duabus vel tribus guttulis observare potui. Tandem cùm ex carnosa, valdè extenuata evasisset, & per tot horas cachinnasset, lachrymasque profudisset, à valido terrore correpta, vitam cum morte permutavit post horas quadraginta à partu. Puerperæ postquam parentatum fuit, cadaver aperuimus, & quod observatione dignum, vidimus ejus venas ferè sanguine destitutas, ac qui aderat, sine humiditate apparebat. Observavimus insuper diaphragma undiquaque vesiculis polyporum colore protuberans, quarum nonnullis phlebotomo adapertis, emanebat serosus liquor colore aqueo, sed acidissimo odore ita imbutus, ut ob acutiem nares offenderet. Cum isto humore gossypium imbuimus, & aliquot guttulas expressimus in tincturam floris cærulei

 coloris,

coloris, cum qua plura experimenta ad explorandas differentias saporum acidorum olim feceramus; invenimus autem istam tincturam in colorem rubro-flavescentem conversam fuisse, non aliter ac si in eandem spiritum nitri instillassemus. Atque ita ab insigni aciditate hanc mutationem evenisse credidimus. Quod naturaliter possit dari tam insignis aciditas in humoribus, aut saltem in succo pancreatico, pro impossibili habemus. Quare putamus, probam hujus Mulieris Sanguinis massam, à vehementissimo animi pathemate, illam insignem aciditatem contraxisse, unde Sanguinis fusio in instanti, ut ita dicam, sequuta sit, & in serositates abierit, ut demonstrarunt copiosiores lachrymæ, non secus ac paulatim in quam plurimis accidit; quia prægnantes & puerperæ habent corpus prædispositum ad quascunque impressiones & mutationes subeundas; Citissimè enim fit metastasis ab anima ad corpus, nam in iis valdè pollet imaginationis vis, ex qua spiritus commoventur, humoresque alterantur. In eam insuper devenimus sententiam, quod Singultus in casu nostro vel ortum duxerit ex affecto septo transverso, non ventriculo (ni dicamus sympathicè) ut Medici communiter statuerunt, aut pulmonibus, ut *Aristoteli* placuit *Sect.* 33. *problem.* 1. Risum præter naturam non alia ex causa inductum fuisse arbitremur, quàm ex vellicatione, quam inducebat ipse humor acidus, vibrationes spasmodicas suis puncturis excitando in ipso diaphragmate, non aliter quam accidit Tychoni telo leviter in septo transverso percusso, ut refert Veterum Medicorum maximus *Epidem lib.* 5. Cur verò tam citò mortua fuerit, difficile non erit rationem reddere, & maximè si sectemur opinionem *Platonis* qui 3. *de Republic.* dixit, quod effusum risum vehemens mutatio sequatur, id est, mors, ut explicat Platonicorum Princeps *Ficinus.* Nec moraliter interpretandus videtur. Et maximè quia extat exemplum apud *Homerum*, videlicet: *Tum Proci illustres manus extollentes risu emoriebantur.* Quod si tanquam à Poëta prolatum pro fabuloso judicetur, alia exempla patent apud *Valerium Maximum*, & præcipuè de Philemone, qui nimio ex risu obiit. Et meritò ait insignis Philosophus *Lælius Peregrinus*: *Risus intempestivus inter mortales est grave malum, quia ad mortem usque perducit.* Et mul-

multò magis hæc efficere valebat Riſus non naturalis in Puerpera, ad quam plurima malorum ſyndrome acceſſerat.

OBSERVATIO LXXI.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. I. Obſ. 23.

De Imprægnatione nullis unquam præviis Menſtruis.

OBſervationem habet Clar. *Dom. Dom. Cornel. Stalpaert van der VViel Cent.* 2. *obſ.* 31. de imprægnatione nullis unquam præviis menſtruis; ſimilia plura exempla habentur apud *Ariſtotelem lib.* I. *de Gener. Animal. Rondeletium, Joubertum, Sennertum, Schenckium, Donatum, Th. Bartholinum, Rhodium, Riverium, Braſſavolam*, & alios, quibus etiam me adjungo. Vidi enim mulierem, cui nunquam Menſes fluxerunt, & tamen ſana degit, ac quinque filiorum eſt mater. Ruſticæ etiam recordor, quæ bis peperit abſque præviis menſtruis.

OBSERVATIO LXXII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obſ. 24.

De Præſagio ex Somnio.

MUlier plebeia in lectulo dormiens jacebat, ut feſſos ſpiritus ope quietis recrearet; hæc cùm per quietem Fratrem militantem in Sabaudiæ caſtris, morientem vidiſſet, ſomnians gemitus edebat; at à ſocia quæ cum ipſa dormiebat, interrogata de querelæ cauſa, reſpondit Fratem mortuum in bello ſe vidiſſe. Nonnullis autem elapſis diebus Ferrariam venit Miles quidam, qui retulit mortem Fratris ſomniantis Fœminæ; hic interrogatus de mortis tempore, aſſeruit, facto à nobis computo, fuiſſe eandem noctem, qua Mulier ſupradicta in ſomnio vidit Fratrem morientem.

Similes historias me legisse recordor apud *Alexandrum ab Alexandro Genial. Dier. lib. I. Cap. II.*

OBSERVATIO LXXIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 25.

De Longævis.

NOnnulla de Longævis leguntur in *Tomo Ephemer. Anni* 1690. *pag.* 382. quibus addere sequentia mihi liceat: Fœminam rusticam novi duobus abhinc annis defunctam, quæ ætatem annorum centum & octo attigit. Atque Religiosum quendam nosco, qui constitutus in ætate centum & sex annorum, adhuc vivit, ac benè edit, bibit, & dormit, arthritide verò sæpè tentatur.

OBSERVATIO LXXIV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 26.

De Vanitate nonnullorum remediorum.

VAna esse quæ de lapide Ætite ad partum promovendum nonnulli scripsêre Doctores, ait *Jacob. Primerosius*, *lib.* 4. *de vulgi error.* Idemque ego confirmo experientiâ ductus, non semel enim nullius esse efficaciæ observavi. Varias pariter magicas ac superstitiosas scripturas, & incognitos caracteres, ridiculasque figuras, ad febres, epilepsiam, dolores, erysipelata, aliosque morbos, nullius esse virtutis notavi, & præcipuè carmina à multis commendata pro epilepsia: *Caspar fert myrrham* &c. *Draconteam herbam*, quam pro sanando Capitis dolore laudat *Kiramides*, ut & *ejus semen* ad visum acuendum, nullius esse momenti, sæpè expertus sum. Urinæ suppressionem minimè reserare *vesicam Suis* suspensam, quæ non tetigit terram, quod nonnulli volunt, observavi in quodam Reli-

Religioso, & Hebræo. Fluxum Hæmorrhoïdum non compescere *Smaragdum* umbilico impositum, quater in variis deprehendi. Contra matricis suffocationem singulare periapton non existere *Ungulam Alces* pluries, præcipuè in nonnullis Conventus S. Margaritæ adolescentulis, notavi. Neque *filum sericum Chermesinum* parti affectæ circumligatum erysipelata fugat. Neque *Adamantis* præsentia, uti quidem scribit *Sitonus* in *Miscell. Jatrosoph. tract.* 25. vim Magnetis tractivam tollit. Radix Pœoniæ collo appensa in Incubo non juvat, nec *radix Cyclaminis* foris adplicata in Liene indurato. *Amethystus* gestatus ebrietatem non prohibet; nec *Smaragdus* & *Jaspis* puerorum Epilepsiam. Plura alii observabunt.

OBSERVATIO LXXV.

Ex Miscellan. Natur. Curiosf. Dec. III. Ann. I. Obs. 27.

Obesitas curata.

Civis quidam Ferrariensis annorum XLVII. cùm extremè obesus esset, ita ut proximus suffocationi videretur, multa adhibuit incassum remedia. Jussu tandem meo Acetum bibere incepit, & nunc etiam maximè jejuno Stomacho bibit, ac à pane abstinet sicque ab obesitate est liberatus. Quod remedii genus didici apud *Fam. Stradam de bell. Belg. lib.* 8. ubi refert, quendam Castrorum Præfectum ope Aceti ab Obesitate fuisse liberatum.

OBSERVATIO LXXVI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 28.

De Dente molari orto in Quinquagenario.

Dentem molarem è mandibulæ superioris parte in Matrona quinquagenaria, cum febre ardente, acerbo capitis dolore, ac

ac delirio natum recenset *Dom. Dom. Luc. Schroeckius* in *Schol. ad Observ. 29. D. Hellvigii.* Sic pariter Ego Ann. 1691. mense Decembri, in Viro Nobili, LIII. annorum, arthriticis doloribus sæpè laborante, post magnam cephalæam, ac febrem ardentem molarem dentem in dextra parte mandibulæ inferioris enatum observavi. Multoties Natura dentes ante nativitatem profert, & multoties pariter ante mortis tempus ultimos emittit dentes, quasi ultimos agens conatus.

OBSERVATIO LXXVII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 29.

De Convulsione Febri excitata, curata.

FEbrem accendi, si cornuti Scarabæi in oleo decoquantur, atque ex eo pulsus inungantur, ait *Cardanus de Variet.* confirmatque *Jacob. VVeckerus lib. 5. de Secret.* Ego idem adverti *in mea Zoologia, part. 4. cap. 11. pag. 156.* Sic nuper erat Vir nobilis, XLIV. annorum, temperiei calidæ ac humidæ, qui nebuloso atque pluvioso cœlo, itinere facto, tandem demum reversus somno se tradidit. Is media nocte de occipitis dolore conqueri cepit ad scapulas protenso, ita ut caput ad posteriora convelleretur cum dolore. Vocatus Medicus varias præscripsit unctiones, Venam secat, sed frustra; à quodam Empirico febris ope olei Scarabæorum, quo pulsus illiti sunt, excitatur, sicque perfectè sanatus est.

OBSERVATIO LXXVIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 30.

De Arthritide usu Betonicæ & Vini abstinentiâ curata.

VIr Nobilis annorum quadraginta quinque per mensem articulorum dolorem passus est, qui modò dextrum femur, modò

do sinistrum, nunc humerum infestabant, quorum sævitia per aliquot dies cùm intermisisset, post longam sub Solis radiis moram rediit, & præcipuè in articulis manuum, crurum & femorum cum tensione nervorum in cervice, ac in manu sinistra, tumoreque levi rubore notato. Quare à Medicis varia præscripta fuêre remedia; omnia tamen frustranea. Tandem meo consilio usum *Betonicæ* sibi fecit familiarem, & omninò à vini potatione abstinuit, sicque sanus evasit. Ita etiam legisse Me recordor apud *Thom. Burnetum in Thes. Med. Pract. lib. I.* generosum quendam Bernensem exsiccatam *Betonicam* in pulverem redegisse, & saccharo permixtam ad ʒ.j. usum fuisse cum bono fructu in Arthritide. Multi verò sunt qui *tabellas ex pulvere Betonicæ* cum saccharo aqua Betonicæ soluto parant, & ad fugandam arthriticam passionem adhibent.

OBSERVATIO LXXIX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Decur. III. Ann. I. Obs. 31.

De Lactis examine ope Microscopii facto.

SAnguinem multis globulis rubicundi coloris constare observarunt Clar. Dom. Dom. *Schraderus*, & Dom. Dom. *P. Philippus Bonanni S. J. Sacerdos* omni eruditionis genere instructus in sua *curiosa micrographia Cap. 6. §. 8.* Lac autem multorum animalium meo subjeci microscopio, & observavi non dissimiles Sanguini globulos albos in sero notantes; plures autem notavi in lacte Nutricis annorum XXI, pauciores verò Fœminis duabus, quarum una XL. viderat annum, altera verò XXXVII vix complebat. Lac Capræ plurima constabat serositate; Asinæ non absimile Muliebri apparebat; Vaccæ denique moleculas plurimas continebat & paucam serositatem.

OBSERVATIO LXXX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 32.

De dolore Capitis diurno.

MUlti hoc anno 1692. dolore Capitis diurno affecti sunt, tali scilicet modo: adveniente Sole Cephalæa appropinquabat, crescente crescebat, occidente evanescebat, noctis tempore liberi erant patientes, mane autem facto morbus redibat. Ego quoque post ephemeram, qua laboravi mensis Augusti die 20. & 21. tali Cephalæa correptus fui, quæ usque ad septimum diem perduravit, postea exigua superveniente diarrhœa biliosa evanuit.

OBSERVATIO LXXXI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 33.

Singultus ex Diarrhœa suppressa.

DE Febre singultuosa maligna ex intempestivè suppressa Diarrhœa, vide *Ephemer. Cur. Dec. II. Ann. VIII. obs.* 212. Pariter ego in Nobili quodam Viro temperiei calidæ & siccæ annorum xxx. Ann. 1692. Mense Augusti, Singultum ortum observavi valdè pertinacem, ab intempestivè suppressa Diarrhœa biliosa per turpem Pseudomedicum. Vocatus à Parentibus, *potione solvente* exhibita, statim eum curavi. Sic mulieris recordor, quæ Anno 1688. à sæva Dysenteria liberata fuit superveniente singultu, qui postea curatus fuit ope *Laudani opiati.*

OBSER-

OBSERVATIO LXXXII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obſ. 34.

De Iſchiade facili remedio curata.

ADdoleſcens quidam diu Iſchiade laborabat, & cùm multis ac diverſis, à variis quoque Medicis, præſcriptis fruſtrà uſus fuiſſet remediis, Ruſticum medicaſtrum vocavit ad ſui curam; qui aſſeruit ſalutem ejus ſumi debere ab urtica, ſi ea locus affectus ad rubedinem uſque cæderetur, & vino albo generoſo poſtea ablueretur; quo peracto ſanatus eſt, non ſine Adſtantium admiratione. Tale verò remedium mihi novum non fuit, nam ſimile quid me legiſſe recordor apud *VVolffg. Hœferum lib.* 4. *Hercul. Med.*

OBSERVATIO LXXXIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obſ. 35.

De Juvene in tenebris vidente.

AUguſtum Octavianum adeò lucidos habuiſſe oculos, legitur, ut, cùm acrius quenquam intueretur, cogeret eum quaſi ad Solis fulgorem oculos ſubmittere; Tiberium etiam in tenebris vidiſſe refert *Caius Suetonius Tranquillus.* Ego etiam vidi Juvenem in tenebris rectè videntem, adeò ut epiſtolas etiam noctis tempore abſque luminis ullius auxilio perfectè legeret, ac ambulantes per vicos agnoſceret; quem Juvenem ſæva Peripneumonia anno elapſo mortuum obſervavi.

OBSERVATIO LXXXIV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 36.

De Raucedine Syrupo Raphani curata.

VIr quidam Ferrariensis annorum XXXIX, Raucedine diutissimè laboravit, ut vix, cùm loqueretur, intelligeretur; varia cùm frustra tentasset, tandem ope *Syrupi è succo Raphani confecti* sanatus fuit. Exc. etiam D. Franc. Justinum, Amicum & Compatrem meum in æternum amandum, Raucedine pertinaci affectum, prædicti Syrupi usu sanatum vidi.

OBSERVATIO LXXXV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 37.

De Febre Chronica metu ac terrore curata.

VIr annorum LII. Chronica Febri laborans, pluribus frustrà adhibitis remediis, jam desperabat salutem, cùm aliquando media nocte, fractâ domus januâ, cum fustibus & laternis satellites Ægri cubiculum ingrederentur armati, totam scrutarentur domum, at non invento eo, quem quærebant, è domo exeuntes, Ægrum magno affectum timore linquerent; cui hinc tremores magni, postea sudores copiosi advenêre; sequenti tamen die liber à Febre evasit, & intra mensem perfectè convaluit. Historias similes de ægritudinibus metu fugatis dabunt *Joh. Petr. Langius Cent. 2. narrat. p. m. 370. Ludov. Richeomus de valet. anim. Franc. Valleriola lib. 2. Observ. 4. & Ephemerides Curios. Academiæ nostræ Leopoldinæ.*

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 38.

De Faucium ulcere ab Unguento Mercuriali.

MErcurialibus non semper esse fidendum docuit Illustr. Dom. Dom. *Joh. Dolæus in Epist. 3. ad Dom. Waldschmidium*, narrando historiam de quodam Artifice ulcusculis Faucium lethiferis ab Unguento Mercuriali inductis affecto; quam etiam mihi sequente Observatione liceat confirmare: Miles Lue Gallicâ infectus erat, qui inunctione Mercurii usus est ad morbum debellandum; verùm ab usu talis linimenti non tantùm sæva exorta est salivatio, sed ulcus ingens in faucibus sævire incepit, quod non sine magna difficultate, ac longo patientis & Chirurgi incommodo sanatum fuit.

OBSERVATIO LXXXVII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 39.

De Fluore albo, usu Syrupi Coralliorum Quercetani sanato.

FOEmina quædam Nobilis, annorum XXXIII, vidua, conquerebatur de Fluxu albo, facies pallebat, caput dolebat, hypochondria tremebant, cordis palpitationes erant frequentes. Hæc multis frustrà tentatis remediis, tandem frequenti *usu Syrupi Coralliorum Quercetani* sanata est, ac modò iterum desponsata, gravida, prolem expectat. Aliamque mulierem à Fluore albo curatam vidi Ann. 1689. usu *tincturæ corralliorum & pulvere Terræ sigillatæ*

OBSERVATIO LXXXVIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obſ. 40.

De Sudore Vino ſimili.

NArrat *Cl. Franc. Zypæus in ſuis fundam. Med. phyſ. anatom. part.* 2. *cap.* 3. *artic.* 17. aliquem à largo potu Vini Hiſpanici, ſudorem illi ſimilem reddidiſſe. Similiter Ego quoque obſervavi Militem à vini generoſi liberali potu ſudorem vino nigro ſimilem effudiſſe; & de quodam Hebræo recordor, quòd æſtatis tempore ſudorem ſub axillis præcipuè emiſerit, quo induſia tingebat, & veſtes rubro colore fœdabat.

OBSERVATIO LXXXIX.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. I. Obſ. 41.

De Doloribus poſt partum Spermate Ceti ſedatis.

DE honeſta muliere ſcribit doctiſſ. Collega noſter Dom. *Chr. Franc. Paulinus* in ſua *Salvia ſect.* 2. *membr.* 8. *cap.* 4. quæ ſummis doloribus à concreto Sanguine laborabat, & ſumpto *Spermate Ceti recenti in decocto Zedoariæ, Salviæ* & *Corticum Aurantiorum*, brevi liberata fuit. Ego curavi Fœminam quandam magnis doloribus poſt partum affectam, ſola exhibitione *Spermatis Ceti recentis in decocto Artemiſiæ.*

OBSER-

OBSERVATIO XC.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. I. Obſ. 42.

De Gallina pullum pariente.

GAllinam non ovum, ſed pullum peperiſſe, ait *L. Apuleius Aſin. aur. lib. 9.* quod ſanè monſtroſum fuiſſe ac admirabile ſcripſit *Philippus Beroaldus* in *Comment. pag. mihi* 411. *tom.* 2. Mihi quoque narravit Vir omni fide dignus, ſe anno elapſo 1691. dum ruri eſſet, pullum abſolutum fuiſſe ortum à Gallina, magna cum ruſticorum admiratione, qui nunquam tale prodigium ſe obſervaſſe dicebant; pennis enim, unguibus, oculis & voce perfectus erat, qui matrem ſuam mox ſequi cepit.

OBSERVATIO XCI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obſ. 43.

De Magnetis virtute non interrupta ab Allii ſucco.

CRediderunt nonnulli, ſic ab inſano edocti vulgo, qui multa dicit, ſed nulla probat, imò neſcit, cur multa, quæ ignorat, dicat; crediderunt, inquam, Magnetem virtutem ſuam amittere, & ferrum non attrahere, ſi Allium interponatur, vel ejus ſuccus adſpergatur. Quod falſiſſimum eſſe non ſemel expertus fui, multis Amicis præſentibus; Magnetem enim ſucco Allii madefeci, & tamen obſervavi, ſtatim fieri ab eo fieri attractionem, eodem modo, quo antea fiebat; inſuper cultrum Magnetis virtute ſolo attactu armatum, licet ſucco Allii madefactum, vidi attrahere ferrum ſine ulla vel minima retardatione.

OBSERVATIO XCII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obſ. 44.

De Singultu alapâ cohibito.

LYſimachus apud *Platonem* ſternutamento, aſperſione aquæ frigidæ, & reſpirationis cohibitione Singultum excuti tradidit; multique juſſerunt auriculari digito intus aures diu confricari ad Singultus ſedandos. Ego verò nuper Juvenem pertinaci Singultu laborantem ſanatum vidi ab alio Juvene, qui eum ex improviſo alapâ percuterat.

OBSERVATIO XCIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obſ. 45.

De Riſu in Puero, primo nativitatis die.

Z*Oroaſtrem* primo vitæ ſuæ die riſiſſe, legitur, de qua re videatur *Lud. Bonacciolus* Ferrarienſis noſter Medicorum ſui ævi Dux in *lib. de fœt. format.* Rarò hoc autem contingere, quotidiana oſtendit experientia; nam in Pueris riſum ante XL. dies alienum eſſe dicitur ab Authoribus. Mihi verò fidiſſima narravit Obſtetrix, ſe obſervaſſe filium cujuſdam Piſtoris noſtri, qui duas poſt horas à nativitate in riſum erupit, non ſine matris admiratione & timore. E contra ſcio multos nunquam riſiſſe, ut fuerunt Socrates, Diogenes Cynicus, Heraclitus, Craſſi in Parthis interempti avus, & alii, quod profectò, judicio *dicti Bonaccioli*, rigorem quendam, naturæque duram atque inflexibilem torvitatem ſignificavit.

OBSER-

OBSERVATIO XCIV.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obſ. 46.

De Excrementis per umbilicum emiſſis.

MUltos fuiſſe qui non tantùm ſanguinem & pus, ſed excrementa quoque per umbilicum emiſerunt, referunt Medicorum hiſtoriæ *Greg. Horſtii*, *Job. Meckerani*, *Alex. Benedicti*, *Schenckii*, *Fabricii Hildani*, *Bauhini*, *Hoëchſtetteri*, *Cabrolii*, *Foreſti*, *Donati*, *Corn. Stalpaerti vander Wiel*, aliorumque: Quod idem quoque obſervavi in quodam Puero annorum quatuor, qui ventris excrementa per umbilicum exonerabat, Iliaca paſſione affectus, à qua occiſus eſt. Aperto cadavere, ulcus apparuit in Inteſtino Colo, & nonnulli tumores in aliis Inteſtinis, ac in Meſenterio.

OBSERVATIO XCV.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obſ. 47.

De Spiritus vini vi ſolutiva.

MIlitem vidi, qui cùm lubricam vellet efficere alvum, ac corpus ab humoribus pravis, in primis viis ſtabulantibus liberare, uncias duas *ſpiritus vini* optimi aſſumebat; hoc enim aſſumpto, tanquam ſi ſolutivam ſumpſiſſet potionem, alvum ter quaterve exonerabat, ſine ullo incommodo, vomitu, aut dolore.

OBSERVATIO XCVI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obſ. 48.

De Morte ex Singultu.

LEgiſſe Me recordor apud *Lucianum*, acino uvæ ſuffocatum periiſſe Sophoclem; & Zeuxin, inter Pictores ſua ætate facilè

lè principem, ex risu nimio mortuum fuisse; imò de Pistore suburbano post vigesimum quartum sternutamentum extincto narrat. *Fam. Strada prolus. Academ. lib.* 3. Ego autem anno 1689. observavi Rusticum quendam territorii nostri Ferrariensis, post largam aquæ potionem in Singultum incidisse pertinacem, à quo frustra tentatis multis remediis, extinctus fuit.

OBSERVATIO XCVII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. I. Obs. 49.

De Tumore vento pleno.

QUod de Viro quodam, morbo chronico diu detento, tandem inflammatione gutturis & spinæ dorsi tumore affecto & mortuo refert *Petr. Borellus Cent.* 1. *observ.* 8. ejus dissecto cadavere, omnia viscera sana reperta fuisse, tumorem verò illum apertum nil nisi ventum emisisse: id ego similiter anno 1691. in alio Viro conspexi, tumore sine rubedine ac dolore in brachio sinistro affecto, qui dissectus nil nisi ventum emiserat, non sine adstantium admiratione. Confer Historiam oppido raram, hucque apprimè facientem à Dn. D. Hünnio Dec. II. Ann. I. obs. 176. descriptam.

OBSERVATIO XCVIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Decur. III. Ann. I. Obs. 50.

De Monstro Mentulato & bicorpori.

DE Mamma mentulata observationem habet Nobil. *Dn. D. Lochner in Dec. II. ann. VII. Obs.* 123. *Ephemer. Cur.* Curiosa pariter est facies mentulata, in filio ab Hebræa Romæ die 31. Februarii Ann. 1692. nato, qui tenebat instrumenta generationis palato

palato annexa in oris cavitate, cæterùm autem in corporis dispositione reliqua non peccabat. Die 10. Julii, anni ejusdem, in suburbio S. Sebastiani Aesii, paupercula Mulier peperit binos masculos in latere in ventre conjunctos, & se decenter ulnis amplectentes, qui in exitu perierunt, postquàm crura prius apparentia sacrum Baptisma ab obstetrice receperunt. Erant grandiusculi, æquabant enim altitudinem pedis unius cum quatuor digitis transversis, pulchra ornabantur facie, pulchrisque capillis, sed dissimilibus oculis, quos unus nigros, alter cæruleos habebat. Medici in exenteratione invenerunt duos ventriculos, ab ingenti hepate æqualiter amplexos, cor unicum, sed quadam profunda linea ferè divisum, intra tamen duas habens solitas cavitates, splenes duos perparvos, renes duos magnos, qui quidem quatuor æquare poterant: pulmones ritè divisos, & intestina denique utrimque distincta, usque ad proprium cujusque terminum.

OBSERVATIO XCIX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Decur. III. Ann. II. Obs. 29.

De Epilepsiâ Ulcere in crure sanata.

MUltos & ingenio, & rerum gestarum gloria Excellentes Viros Comitiali morbo sæpè laborasse testantur historiæ: uti hoc morbo correptum bis fuisse in rebus agendis Julium Cæsarem scribunt. Hîc autem Ferrariæ Epilepsia sæpius afficiebatur Excellentiss. Dom. N. N. Juris utriusque Doctor & Advocatus celebris, Annorum L. qui Ulcere sponte aperto à Natura in crure dextro, adhuc perseverante, non amplius eam passus est, in reliquis etiam sanus vivit.

OBSERVATIO C.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. II. Obs. 30.

De Lapillis multis vomitu rejectis in Arthritico.

CUriosum narrat *Isaac. Casaubonus Comm. ad Auli Persii Satyr. V.* de Arthritico quodam è cujus corpus plus lapidum extractum fuerat, quàm ipse penderet. Egoque in Arthritico quinquagenario nuper excretos vidi multos lapillos albos, mediante vomitu, post diros stomachi cruciatus exeuntes, Mihique ipse Patiens narravit, se etiam cùm annum trigesimum ageret, quantitatem ferè similem similium lapillorum per vomitùm ejecisse.

OBSERVATIO CI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. II. Obs. 31.

De Ebrietate à nimia Mellis assumptione.

APud Orpheum legitur, referente *Josepho Laurentio in Polymathia lib. 1. dissertat. 34.* Saturnum ab Jove filio per mellis poculum insidiis captum, quo saturatus, inebriatus fuit, & acto in vertiginem quandam capite, qualem vini copia excitat, obdormit: Ego anno 1691. mense Septembris, observavi Adolescentulam rusticam, annorum tredecim, quæ à nimia mellis ingurgitatione inebriata fuit, ac tota die dormivit, imo etiam subsequenti die non benè mente constitit, adeò ut domestici eam quoque ebriam omnes dicerent.

OBSER-

OBSERVATIO CII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. II. Obſ. 32.

De Dolore Capitis, ſonitu campanarum ſanato.

ADoleſcens quidam Ferrarienſis, dolore capitis ferè continuò affligebatur: cùm Ann. 1691. ob mortem Sanctiſſimi Domini noſtri Alexandri VIII. omnes Urbis campanæ ad longum temporis ſpatium pulſarent ac ſtrepitum ingentem ederent, hîc cauſa fuit fugæ doloris Capitis; dolor enim ea die intolerabilis factus eſt, alia autem die abiit, nec amplius rediit. Hinc Aſclepiadem Medicum me legiſſe recordor, phreneticorum mentes morbo turbatas, ſæpè per ſymphoniam ſuæ naturæ reddidiſſe; & me non latet, Herophilum quoque docuiſſe, venarum pulſus rythmis Muſicis moveri.

OBSERVATIO CIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Dec. III. Ann. II. Obſ. 33.

De Ictero vini potu ſanato.

OPtimè cecinit de Vino *M. Terentius Varro*: Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt, & Illuſtr. *Franciſc. Redi* in libro ſuo, cui titulus *Bacco in Toſcana*, vocat Vinum adverſus morbos bonum venenum, & reverà copioſa potatio vini ſæpè multas ægritudines ſanavit; hinc *Petr. Borellus Obſerv.* 77. *Cent.* 2. narrat, tres Viros Nobiles antiquis oculorum doloribus cruciatos, *vini potu* quaſi miraculosè ſanatos fuiſſe; unde *Hippocrates in Aphoriſm.* 31. *Sect. VI.* ait, oculorum dolores meri potionem ſolvere. Quod elapſis diebus verum eſſe obſervavi in Mercatore Ferrarienſe annorum XXXII. non febricitante, benèque valente, ſubi-

tò ictero correpto, at *larga vini potatione* facta, ſanato, copioſo ſubſecuto ſudore.

OBSERVATIO CIV.

Ex Miſcellan. Natur. Decur. III. Ann. II. Obſ. 34.

De Malo Hypochondriaco Lactucæ uſu curato.

LActucas in prima, & poſtrema menſa apponebant Antiqui, unde *Martialis lib.* 23. *Epigram. II.* cecinit:

Claudere quæ cœnas Lactuca ſolebat Avorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illic dapes?

In cœnæ principio apponebant ad concitandam appetentiam, in fine autem cœnæ ad ebrietatem reprimendam & ſomnum conciliandum, de qua re videatur *Lipſius lib.* III. *Antiq. Lectionum.* Novi ego Virum quadragenarium, longo Hypochondriaco malo affectum, in quo ventriculi imbecillitas, anxietas à cibo, reſpirandi difficultas, aurium tinnitus & flatus copioſi in ructus erumpentes aderant, is frequenti *Lactucæ* uſu, quam & in prandio & in cœna comedebat, ſanatus eſt. Sic Auguſtus olim priſtinam valetudinem *Lactuca recuperavit*, Muſæ Medici prudentia, cui idcircò Romanus Populus ſtatuam juxta ædem Æſculapii erexit, monente *Suetonio.*

OBSERVATIO CV.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. II. Obſ. 35.

De variis Remediis expertis.

TUtiora & conducibiliora eſſe remedia ſimplicia, quam ex variis multiſque rebus compoſita, atque in unum congeſta, ſem-

ſemper credidi, & Auditoribus meis perpetuò commendavi, illa enim præterquam quod paratu facilia, ſtomacho minus moleſta eſſe ſolent, minuſque diſſolventes ejuſdem ſuccos fatigant, nec inter ſeſe colluctationem paſſa, vim aut agendi energiam aut amittunt aut immutant; ſed & non ſolùm, quæ ſimpliciora ſunt, verùm quæ ex vilioribus nulliuſque pretii rebus conficiuntur, plerumque ſunt magis conferentia & efficacius morbum, morbique cauſam adoriuntur. Quis unquam crederet, ex fœtidis excrementis arcana poſſe comparari ad graviſſimas Ægritudines debellandas præſtantiſſima? In horum cenſum referam, quod ipſe expertus ſum de *Nitro noſtro vulgari*, quod colligitur ex fimo equino cæteriſque recrementis in putrefactionem tendentibus, ſi hoc in cryſtallos redactum, & in pulverem tritum ad grana X. vel XX. ſingulis vicibus cum liquore conveniente Febricitantibus exhibeatur jejuno ſtomacho, & ante futuram acceſſionem, Febres ſenſim moderatur, & tandem delet. In pluribus tertiana febre diuturniori laborantibus experiri licuit maximo cum fructu etiam cum *pulvere Caffè* & *aqua Cardui benedicti* datum; aſt efficacius eſt illud, quod colligitur ex iteratis abluitionibus Stibii diaphoretici, quod ſi cum alterutro pari doſi commiſceas *antimonium ipſum diaphoreticum*, longè efficacius remedium nanciſceris, quod ad Gonorrhœam Gallicam, affectus Renum & Veſicæ, Icterum, ſitim, ſtomachi ardorem, ſimileſque Ægritudines, miram opem præſtare conſuevit: Inſuper Me per literas commonefecit *Excell. Dn. D. Lucas Tozzius*, Medicus inſignis Neapolitanus, ſe nonnunquam cum catharticis illud miſcuiſſe, indeque ſucceſſivè evacuationem blandam ac felicem, ſine ſtomachi faſtidio aut ventris moleſtia ſecutam. Porrò *pulvierem corticum Aurantiorum* pluries expertus ſui, magnæ eſſe efficaciæ ad tollendas Febres intermittentes. Inſigne eſt arcanum ad Icterum etiam cum Febre junctum, *albumen ovi*, quouſque in ſpumam abeat conquaſſatum, & cum *aqua graminis* commixtum, veſperi & manè ad uncias quatuor aſſumendum, cui ſi placuerit, tantillùm ſacchari adjici poterit. Mirum quam ſuaviter Stomacho gratificetur, ſenſim ſitim ſedet, appetitum ſuſcitet, jecoris æſtum temperet, croceum cutis colorem deleat, ut millies expertus ſum. Quis crederet tantam vim ineſſe ei, quod plerique à cibis ſalutaribus

ribus rejiciunt? *Smilax aſpera*, magnum ſolamen facta eſt miſeris Podagricis, ut illos ab iteratis cruciatibus tueatur, frondes ejus ſalutariter admoventur utrimque tarſis pedum, malleolis, tibiis ad ſuram uſque, & ſingulo quoque die renoventur, ſenſim abſque manifeſto ſenſu extrahunt ichores fœtidos, inducto leni in ſuperiori cuticula attritu; arbitror eos à lympha per glandulas ſubcutaneas excurrente prodire. Invaluit nunc etiam apud Noſtrates uſus *caninæ pellis* in tibiæ integumentum aptatæ, ad leniendam podagram.

OBSERVATIO CVI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. II. Obſ. 36.

De Somnio mortem prædicente.

SOmnia non omnia eſſe contemnenda, ait *D. Cyprianus Epiſt. 69.* Exemplum hìc Ferrariæ habuimus, ubi Civis annorum XLVI. plethoricæ complexionis, poſtquam cum Domeſticis quadam veſpera cœnâſſet lætanter, ac inter riſus frequentia pocula miſcuiſſet, nocte dormiens, ſe eſſe mortuum ſomniavit. Manè narrat ſomnium Domeſticis atque Amicis, qui omnes vanitatem ſomniatam mortem dixerunt, aiebant enim cum Poëta Italico ſomnia eſſe.

Imagini del diguaſte, è corrote
dal ſomno è dalla notte.

Aſt, poſt prandium derepente apoplecticus cecidit, & mortuus eſt ita intra trium horarum ſpatium.

OBSERVATIO CVII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. II. Obſ. 37.

De Ficu & Aloë, ſimul cum Poſſeſſoribus ſuis emortuis.

DE Ficu Logothetæ cuidam unicè dilecta, curioſam hiſtoriam narrat *Eruditiſſ. Cauſobonus in Animadv. ad Suetonium lib. 7. pag.*

pag. mihi 591. ait enim, hanc arborem die mortis amatoris sui exaruisse, ac postridie à summo ad imum se aperuisse, magnâ omnium admiratione; Pariter Ego annis elapsis observavi pulcherrimam Aloës plantam, quæ à Rev. Sacerdote, amico meo olim, fuerat plantata, & ipsi semper cara; hæc die obitus prædicti Sacerdotis pariter emortua est. Et ut à Plantis ad Animalia sermonem convertam, notavi cujusdam Militis canem, qui die mortis heri sui, à febri maligna occisi, pariter vitam terminavit. Confer *Observ.* 189. *Dec.* 11. *Anno* VI. *p.* 379.

OBSERVATIO CVIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. II. Obs. 38.

De Verme ex Nare in Rustica, Cephalalgiæ causa.

MUltorum Animalculorum sedes homo est, & præcipuè Vermium; nullus namque vivens est, qui ab hac peste sit immunis; hinc sæva Lumbricorum turba Infantes jugulat sæpè, Adolescentes invadit, Juvenes lædit, Viris non parcit, Senesque interficit, ac tandem Cadavera brevi ad nihilum redigit, imò in omnibus animalibus, inque eorum omnibus partibus generari quotidiè experientia rerum magistra ostendit; sic vivos Vermes in cruore balæniformes vidit *Borellus Centur.* 3. *observ.* 4. & *Moufetus* animalia Lumbriciformia oriri in Sanguine ex *Plinio* retulit. In scabie Vermes eruditissimus, ac nunquam satis laudatus Amicus meus *Joh. Cosmus Bonomus* observavit, & in Variolis *citatus Borellus Cent.* 2. *Obs.* 72. In semine humano *Thom. Bartholinus* & *Antonius Leuvvenhoeckius*; in fellis vesicula *Guil. Fabricius Hildanus*, in auribus *Plinius*, in renibus Insignis *Bellinus*, Medicus Florentinus, unà cum Doctiss. Franc. Mar. Nigrisolo, Medico nostro Ferrariensi; Hinc etiam in Corde vitalis flammæ sacrario, & Sanguinis spirituumque officina vermes se observasse scribit *R. P. Christinus*; in cerebro *Schenckius*, *Zacutus* & *Tulpius*; in urina *Kircherus*, in dorso *Borellus*, & in saliva *Joh. Leuvvenhoeck*, de quibus etiam meminit *Clariss. P. Bonanus*, Dominus meus semper amandus, *in observ. circa*

vivent. quæ in reb. non vivent. reperiuntur part. 1. *cap.* 64.

Vidit tamen *P. Borellus* in naſo multorum Juvenum Vermes nigro capite, ut ipſe refert in *Centur.* 3. cui Borellianæ obſervationi ſequens à me viſa meritò annumeratur.

Elapſis diebus perpaucis, Ruſtica quædam calidioris temperiei, & in flore ætatis conſtituta, tam acerbo atque immani laborabat capitis dolore, ut domeſticorum etiam per cubiculum greſſus quamvis exutis calceis, ſufferre non potuerit; videbantur enim ſibi cultelli cerebro infigi; Poſt multa fruſtrà adhibita remedia, tandem Vermis è naribus erupit, poſt cujus eruptionem non exigua ſecuta eſt Sanguinis copia cum tanto naturæ levamine, ut omninò dolor ceſſaverit, ſana ſic evaſerit, & hodienum optimè vivat.

OBSERVATIO CIX.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. II. Obſ. 39.

De Ligno per tumorem excreto.

RUſticus quidam vegetus annorum XXXVI. repentè incidit in epigaſtrii dolorem, mox in diarrhœam, quâ diu vexatus cum torminibus & doloribus lancinantibus, tandem ſponte & ſine medicamentis, ut mos eſt Ruſticorum, convaleſcens, cœpit crure ſiniſtro dolere, ut etiam inceſſu privaretur, ſenſim deinde interna ejuſdem cruris parte paulò infra inguinis regionem, acrius acriuſque dolente, rubor & tumor juxtà coccygem non levis conſpectus eſt, qui in ſuppurationem videbatur perducendus, in quam rem admotis congruentibus linimentis, atque adaperto in ejus ſummitate foramine, acumen ligni duriſſimi proſiliit, quod forcipe à Chirurgo extractum ad indicis digiti longitudinem inventum eſt, ac adſtantibus oſtenſum, unicuique admirationi fuit, unde nam? quo ductu? quomodo eò perlatum? ac tam benè lævigatum eſſet? ſuſpicatus Ego illud caſu fuiſſe deglutitum, aut veriſimiliùs ex potationibus hauſtum, nunquam tamen reſcire potui: Cæterùm ulcus relictum citò poſtmodum ad cicatricem devenit; Sic certè naturæ por-

portenta & fortuita penè incredibilia passim spectamus in dies,& admiramur.

OBSERVATIO CX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obs. 25.

De Arthritide Aquæ potu fugata.

DE Valesii filiis epota aquâ omni morbo liberatis, legitur apud *Cæsar. Cala Tract. de feriis*, *Quæstion.* 1. *N.* 224. *p. m.* 49. De Dysenteria frigidæ aquæ potu curata testatur *in Miscellan. Cur. Decur. II. Ann. IX. Observ.* 53. *pag.* 84. Miram etiam febris ardentis per frigidam curatæ, curiosam recenset historiam Excell. Dom. Dom. *Joh. Ludov. Hannemannus in modo dictis Ephemeridum Miscellaneis Curios. Decur. II. Ann. VII. Observ.* 69. *pag.* 130. quibus quid & Ego circa aquæ frigidæ usum annotaverim, in hac & binis sequentibus Observationibus, nunc jungam: Sacerdos quidam continuis doloribus arthriticis divexatus & miserè afflictus, meo consilio ab omni vini usu abstinet, & sola aqua simplici pro potu utitur, insigni cum effectu; ab hoc enim tempore ab omni articulorum dolore liber, arthriticus esse desiit; eodem successu & Societatis Jesu Sacerdotem quendam ex totali vini abstinentia, continuoque aquæ potu, ab arthriticis doloribus evasisse immunem, ex Amico quodam pro certo cognovi. Confer. *Observationem meam in Decur. II. Ann. X. pag.* 165. datam, cum eruditissimo Magnifici Dn. Præsidis annexo Scholio.

OBSERVATIO CXI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Decur. III. Ann. III. Obſ. 26.

De Diarrhœa Aquæ frigidæ potu ſanata.

GLoriari Averroen ſe frigidæ potu multos à morte liberâſſe, ait *Dionyſius Fontanonus de Morbor. internor. Curat. lib.* IV. *Cap. III.* quod equidem & in Arthritide me obſervaſſe, ex obſervatione præcedenti liquet: ſalutarem jam ejus uſum etiam in Dyſenteria, notabili probabo exemplo. Cùm enim Vir quidam robuſtus XXXV. ætatis anno tam acerba corriperetur Diarrhœa biliosa, ut humorum acrimonia anum non modò eroderet, ſed & inſignem urinæ ardorem inque mingendo dolorem excitaret, cum intenſiſſima & ferè inexplebili ſiti, fruſtra præſcriptis decantatiſſimis aliàs in hoc affectu remediis, frigidæ hauſtum anxiè appetiit, quo conceſſo, mox mitigatis hiſce ſymptomatibus fugata penitus podagra, integræ ſanitati ex voto reſtitutus eſt.

OBSERVATIO CXII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obſ. 27.

De Dyſenteria, balneo aquæ frigidæ curata.

SÆpiùs fiunt in medicina monſtra, ut quod in hoc vel illo morbo ex multiplici & confirmata experientia noxium eſſe veneranda jam annotavit antiquitas, & ceu veriſſimum modernorum Medicorum comprobavit curioſitas, nihilominus tamen quandoque in deſperatiſſimis caſibus ſalutare ſit & proficuum, quod Militis cujuſdam ſingulare exemplum haud ita pridem nos edocuit, hic enim cùm ſæva Dyſenteria atrociter confligaretur, accepit à ſocio ſuo conſilium, ut ſi vitam conſervare & amiſſam ſani-

ſanitatem recuperare vellet, in *balneum aquæ frigidæ* mox nudus deſcenderet, erat autem in vicinia puteus non adeò profundus, in quem Æger, cui hoc arriſit conſilium, alacriter conſcendit, ibique per mediæ horæ ſpatium in aqua frigida moratur, ceſſavêre ſtatim, mirum! tormina, & diri ventris cruciatus, cum cruentis per alvum dejectionibus, momentaneo quaſi auxilio, ſicque ex orci faucibus tunc ereptus eſt, qui ex voto hodienum ſanus & alacriter vivit.

OBSERVATIO CXIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Dec. III. Ann. III. Obſ. 28.

De Pica ſingulari in Gravida.

DE Mulierum gravidarum Pica eruditiſſimam Epiſtolam ſcripſit *Dom. Langius*; De Muliere quadam refert *Theophil. Bierlingius Miſcell. Curios. Decur. I. Ann. II. Obſerv.* 209. quæ carne Mariti veſci tanto laboravit deſiderio, ut eum etiam noctu occiderit. Rariſſimam Picæ ſpeciem narrat *in Actis Philoſ. Ann.* 1667. *Henr. Oldenburg* de Fœmina excipiente ventum ore aperto è follibus inverſis propria manu impulſum: De Malacia Fœminarum exempla varia leguntur apud *Joh.Helvvigium obſerv.* 137. *Marcellum Donatum, Salmuthum, Riverium. Bonetum in Medic. Septentr. Miſcellan. Curioſ. pluribus in locis*; & in Libro Italico nuper Neapoli impreſſo, variis curioſis enarrationibus referto, cui titulus eſt *Lettere memorabili*; hiſtoriam curioſam legi, quam ceu notabilem, nunc hic propriis Authoris verbis Italicis, ne fides minuatur, ſubjiciam; verba verò ſunt hæc: „ Poi che mi trovo encomiando le „ pietre di Napoli prego V. E. diſpenſarmi uſcir un poco dalla „ mia narratione per farle un curioſo racconto; Anna Margarita „ Jannoccaro Moglie D'Anello del Porto Serivano del Sacro „ Conſeglio, che abita alla Sellaria nelle caſe del Sig: D. Gaeta- „ no de Vencentiis, eſſendo l'anno 1686. gravida, le vene voglia

 di

„ di queste pietre, cosa stravagante ad udire, de quali prese à mangia-
„ re, e continuo senza prender altro per suo cibo per lo spatio di tre
„ mesi, e cio faceva con tanto suo gusto, che più volte have acer-
„ tato non haver mai più in sua vita assagiata cosa per delicata
„ si fosse; che più saporosa o dilettevole siasi resa al suo palato;
„ Venuto poi il tempo del suo partorire; fù assalita dà dolori,
„ ch'erano acerbissimi, & oltre ogni toleranza; nè qualli stette
„ per quatro giorni senza poter partorire; Alla fine essenda ridot-
„ ta all' estremo di sua vita, si fecero venire molti Chirurgici,
„ li quali allargando conferri la strada per la quale al mondo venia-
„ mo riusci un Bambino morto, cosi duro, come una pietra, è
„ nell'uscire fece una botta, come se una pistolla sbarrata si fus-
„ se, che i intese dà tutto il Vicinato; Campata dal pericolo,
„ torno ad esser gravida, partori felicemente, ed ora si trova altre si
„ col ventre pieno, ma non fà più simili pasti &c.

Ego Uxorem nosco cujusdam Sarcinatoris hujus urbis Ferrariæ, quæ Gravida dum esset unius Mensis spatio, esu carbonum famem explebat; & de alia recordor Fœmina, quæ dum Gravida esset, aliquot libras arenæ maxima voluptate, ac sine ullo incommodo una vice devoravit, & paulò post urinam propriam potavit.

Amicus meus fide dignus mihi narravit de alicujus Militis Uxore annorum XXXIII. temperiei sanguineæ, quæ dum esset Gravida, magna tentabatur voluntate comedendi pullum gallinaceum vivum cum plumis, ut ipsam se emori præ desiderio fateretur; Maritus ad ejus satiandum appetitum vulpinum, vivum pullum gallinaceum emit, & domum redit, eumque præbet uxori, quæ statim eum comedit incipiendo à capite, omnesque plumas, pedes, intestina & excrementa devoravit; & posteà fassa fuit ipsam nunquam majorem sensisse voluptatem in edendo, ac tunc, cùm vivum pullum manducavit; ex quo patet, quanta sit vis appetitus depravati in Gravidis.

OBSERVATIO CXIV.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. III. Obſ. 29.

De Puella ex horrore mortua.

DE Puero narrat *Anton. Benivenius de abditis morbor. & ſanation. cauſis cap. 63.* qui dum rure paterno degeret, ſingulisque diebus ad vicinum Sacerdotem ſtudendi cauſa, ſummo manè mitteretur à Patre, accidit ſemel, ut prope jam intranti illi Sacerdotis ædes, præſtò fuerint duo viri nigris veſtibus obvoluti, quibus adeò perterritus eſt puer, ut in admirabilem ſtatim ægritudinem inciderit, ac demum in mortem ultimam rerum lineam. Et ſanè maximas in timentis pectore tragœdias excitat horror ac terror, ut obſervavit *Nicol. Biſſius comment. in Claudian. de Rapt. Proſerpinæ*; unde *Ovidius* cecinit:

Extimui, ſenſique metu riguiſſe capillos
Et gelidum ſubito frigore pectus erat.
Et *Lucanus*:
Multos in ſumma pericula miſit
Venturi timor ipſe mali.

Quare timoris numen tanquam noxium procul à Civitate arcuerunt Antiquorum nonnulli, uti docet *Simon Majolus in dier. Canicular. tom. 2. colloq. 1.* idemque teſtatur *Lil. Gregor. Giraldus Ferrarienſis noſter in hiſt. Deor. Syntagm. 1. Annus III. Dec. III.*

Narrat *Joh. Rhodius Obſ. Med. Centur. 2.* Viro Clariſſimo Caſparo Bauhino Anno 1619. oblatum fuiſſe Ruſticum quendam, cui à ſpectro, ut ferebatur, perterrito, ſenſibus illæſis, & inoffenſo linguæ motu, deperditus erat ſermonis uſus; Ego verò anno 1693. menſe Februario, dum Bacchanalia celebrabantur, obſervavi Puellam quandam annorum quatuor, quæ perterrita à viſu perſonati cujuſdam Viri, ſubito terrore ac horrore correpta in terram cecidit ſemimortua; Accurrunt Domeſtici, ut opem miſeræ Puellæ fer-

ferrent; sed omnia frustranea fuere, nam septem post horas mortua est; ex quo patet, metum sæpè inferre lethum.

OBSERVATIO CXV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obs. 30.

De Epilepsia quartana superveniente sanata.

VIr Illustris Amorum natus XLIX. habitûs corporis laudabilis, calidi ac humidi, studiis maximè addictus, valdè prudens & eruditus, variis item conflictatus mentis angoribus, & octo abhinc mensibus Virgini honestæ connubio junctus, cùm optimè valeret ipsis Maii mensis Kalendis Anni 1695. dum à prandio fortè confabularetur, stomachum sibi leviter torqueri sensit, mox cùm Conjugem alloqui pergeret, illicò in sensuum omnium internorum eclipsim præceps est, snbsequentibus oculorum & oris distorsionibus leviusculis & crurum aliquali motu convulsivo, quæ omnia inscio Ægro, nihilque mali tum persentiscente evenêre, ita ut superato insultu, sensus amissos receperit ac veluti expergefactus ad consueta munia surrexerit; tertia transacta die iterum redit insultus pari modo, ad quam curandam passionem vocatur Medicus, qui multa exhibuit remedia non tantùm purgantia, sed Chirurgica & specifica; verùm omnia frustranea fuêre, nam quavis hebdomada redibat Herculea passio; Tandem mense Augusto ejusdem anni Quartana Febri correptus non amplius Epilepsiam persensit, & omninò a sontica affectione liber evasit; à Quartana verò, ope pulveris *Chinæ Chinæ* ad ℥. ij. in vino Malvatico assumpti ante accessionem, liberatus fuit, nuncque D. O. M. gratia sanus vivit.

OBSER-

OBSERVATIO CXV.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obſ. 31.

De Scabie Continua.

SCabies, quæ à ſcabendo nomen habet monente *Adriano Turnebo in* 1. *Cicer. de legib. com.* morbus eſt faſtidioſiſſimus, ac contagioſus, quo nonnulli ad menſes, imò ad annos afficiuntur; teſtatur hoc hîc Ferrariæ Plebeius quidam annorum XXXIV. qui à nativitate ſemper ſcabioſus fuit, licet multa adhibuiſſet remedia, ſed omnia fruſtra. Evanuit tamen anno elapſo menſe Octobris, Scabies hæc ex improviſo, febre maligna mox inſurgente, à qua ope remediorum difficulter quidem liberatus eſt, recurrente tamen Scabie, quæ me Judice miſelli hujus comes erit utut ingratus, attamen perpetuus.

OBSERVATIO CXVI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obſ. 32.

De Singultu & Sternutatione ante menſtrua.

MUlta curioſa de Menſium fluxu narrantur à Medicis Phyſicarum obſervationum collectoribus; ſic raram & curioſam diarrhœam ante menſtrua, ſe vidiſſe teſtatur *D. Vitus Riedlinus Obſer. med.* 53. Ego verò novi Fœminam quendam, quæ quotieſcunque ad menſtruorum fluxum accedebat, frequenti Singultu, per duas ſaltem horas afficiebatur; Et de alia mihi narravit obſtetrix quædam omni fide digna, quæ quotieſcunque Menſium fluxu detinebatur, à Sternutatione ſat frequenti atque moleſta per integrum diem affligebatur; imò aliquando & maximè æſtivo tem-

pore vomitu affecta, omne quod comedebat spatio trium dierum, durante simul mensium fluxu, per os invita ejiciebat.

OBSERVATIO CXVII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obs. 33.

De Insania diurna seu Solari.

DE Viro narrat *Clariss. Rembert. Dodonæus Medic. observ. cap. 11.* qui interdiu benè habebat mente, sensibus integris, si quando verò quieti se dabat & dormiebat, mox insanire incipiebat, clamitabat, & brachia huc illuc disjiciebat &c.: vigil autem factus iterum sanæ mentis erat, ita ut nocturnus insanus diceretur; E contra autem meum nuper expetit consilium Adolescens, qui noctu sanus mente erat, cùm autem aurora surgebat, Insania vexabatur, per totam diem durante, occidente verò Sole rursus Adolescens Insanus, mentis compos fiebat, durante enim Phœbi circuitu perdurabat Insania, terminatoque Solis itinere è stulto evadebat sanæ mentis: Simili ferè modo paucis abhinc annis curæ meæ subjectam recordor Mulierem dolore Capitis diurno laborantem; Capitis enim dolor in ipsa toto durabat die, nocte autem penitus evanescebat, Ægra nec minimum doloris sentiente. Sic tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

OBSERVATIO CXVIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obs. 34.

De Febris continuæ solutione ex sanguinolento secessu.

VIr, XL. Annorum, corporis habitu mediocriter carnosus, post frequentes & insuetos animi corporisque motus, Febri tertiana duplici continua laboravit; at undecima morbi die magnam

gnam cruoris copiam per alvum ſine ullo dolore, ac ne minimam exinde ſentiens moleſtiam, emiſit, ſicque à Febre liber evaſit, quæ cruoris quantitas quinque librarum pondo adæquavit. Similem obſervationem de Juvene triginta Annorum, vide apud *Cl. Co. Carolum de Caballis in Phænom. Medic. LXXXVII.*

OBSERVATIO CXIX.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obſ. 35.

De Syncope ex Imaginatione.

CIvis quidam annorum XXXVI. abhorrens à nativitate à caſeo omnibuſque epulis caſeo conditis, cùm die quodam in domum Parentum ſuorum ad prandium invitatus, Murænam comediſſet, Domeſticorum quidam facetus, magnam caſei partem admixtam eſſe, joci cauſa retulit; quid fit? illicò abſtemius ille à caſeo, totus frigefactus, imaginationis vi Syncopem patitur, levi tamen aquæ frigidæ aſperſione ſibi iterum datus, penituſque reſtitutus eſt.

OBSERVATIO CXX.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obſ. 36.

De Continua Icteritia, à felle in Veſiculâ ſuâ in lapidem coagulato.

DUm *in Zodiaco Medico-Gallico D. Nicol. de Blegny Ann. I. Menſ. Maji. Obſerv. VIII.* in Muliere Icterica lapidem pellucidum in veſicula ejus fellea repertum fuiſſe, lego, Militis cujuſdam recordor, continua Icteritia viſcerumque obſtructionibus laborantis, angina tandem vitam miſerè finientis, in cujus poſt mortem diſſecto cadavere hepar multis hydatidibus obſitum conſpiciebatur, inque veſicula fellea calculus reperiebatur coloris ſubviridis, ma-

 gnitu-

gnitudine nucem Moſchatam, pondere verò quinque adæquans drachmas.

OBSERVATIO CXXI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obſ. 37.

De Sudore poſt mortem.

MIrandum ſanè, quod in Adoleſcentulo Febri maligna haud ita pridem hîc defuncto contigit, dum tertia ab obitu hora, ex omnibus cutis ſpiraculis ſudorem frigidum liberaliter ſatis profuderit, id quod etiam ab aliis Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Collegis *Dec. I. Ann. III. pag.* 140. *Dec. I. Ann. VI. & VII. p.* 243. *& Decur. II. Ann. IX.*, 71. annotatum eſt. Confer Excell. Dn. D. *Garmanni Tractatum Curioſum de Miraculis Mortuorum.*

OBSERVATIO CXXII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. III. Obſ. 38.

De Fruſtulis Raphani per urinam excretis.

JUvenis annorum XXVIII. ex impuro concubitu Gonorrhœam contraxit, à qua ut liberaretur, conſilium ab Amico ſuo, qui olim eodem laboraverat malo, petiit, qui eum edocuit, ut continuè comederet *Raphanos*, & *Emulſiones ex ſeminibus Peponum cum aqua Malvæ paratas* liberalius potaret: *Raphanos* ergo & manè & veſperè manducavit, hinc ſubſequente nocte expergefactus, magnum mingendi pruritum perſenſit, quare magno conatu urinam provocare tentat, ſed fruſtra inſequuntur frontis ſudores, genarum rubor, advocat domeſticos, qui mox Chirurgum advocant, hic verò cùm ſine mora advolaſſet, præparat ac propinat Emulſionem ſequentem.

℞. *Emulſionis ex ſemine Peponis in aqua Ononidis paratæ*, ℥.VII.

adde

adde *Spiritus Chalcanti*, *Salis*, *ana*, *gutt. X.* Pulveris Oculorum Cancri fluviatilis præparatorum, ʒ.j. Misce: quâ hausta, elapso bihorio utut non sine acerbo satis dolore mingere incipit, excreto simul, ceu ex urina inspecta ad oculum comparuit, Raphani frustulo elapso vespere comesto.

OBSERVATIO CXXIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IV. Obs. *65.*

De Cornu in fronte Puelli.

DE Cippo Italiæ Rege, legitur apud *Thom. Garzonium in lib. cui titul. Il Seraglio de stupori. pag. mihi* 487. qui Cornua in fronte gerebat, ibi fortassis nata ob vim imaginationis, ut docet cum *Petro Messia citat Garzon.* quod an certum sit? fides penes Autorem; Certum tamen est, Me Anno 1693. Mensis Julii die 29. observasse puellum recenter natum à Plebecula annorum XXVI. bonæ temperiei, qui præter labia leporina, etiam in medio frontis tuberculum nigrum, durum, ac corniculo penè simile ferebat; hic tamen tertia ab ortu die obiit; post mortem secto tuberculo, corneæ apparuit esse substantiæ.

De Cornutis infantibus historias curiosas refert *Clariss. D. Fortun. Licetus de Monstris pag. mihi 225.*

OBSERVATIO CXXIV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IV. Obs. *66.*

De Febri Quartana larga Uvarum assumptione curata.

DE pertinaci Dysenteria larga casei dosi percurata, curiosam historiam narrat Clarissimus Dom. Dom. *Petrus Rommelius* Medicus Ulmensis præstantissimus, *in Miscellan. Acad. Nostræ Curiosor.*

Decur. 3. *Ann.* 2. *obſerv.* 213. imò Dyſenterias contumaciſſimas ex uvis recentibus, immaturis, item muſto recenti ſuperatas, in prioribus horum Miſcellaneorum Tomis recenſuit quoque, placet autem mihi in præſentia Quartanæ Febris curationem curioſam afferre, nuper à me obſervatam.

Menſe Septembris Anni 1695. multæ erant Febres Quartanæ in noſtra hac urbe Ferrariæ, quarum illæ meæ curæ commiſſæ, ferè omnes uſu *Chinæ Chinæ* curatæ ſunt; Plebeius autem aliquis annorum XXXIV. temperiei bilioſæ, ad Febrem Quartanam pellendam, ab aliis perſuaſus, quotidie multa in Victum errata committebat; modò enim vini magnam copiam ad ebrietatem uſque ſumebat, nunc multas cepas crudas edebat, modò magnam Salis communis quantitatem ingurgitabat; at omnia fruſtranea; donec à Juvene edoctus libras XII. Uvæ comedit, à cujus eſu alvi fluxus ſequutus eſt; ſicque febris abiit Quartana, nec amplius rediit, nuncque ſanus vivit.

OBSERVATIO CXXV.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Dec. III. Ann. IV. Obſ. 67.

De quinque Filiis Cœcis ex Patre Cœco.

Podagra afflictum Podagricum, Leproſum Lepra correptum aliquando generare, & maculas majorum quandoque etiam in pronepotibus inveniri ſcribit *Sapientiſſ. Bonif. Simoneta lib.* 4. *Epiſt.* 18. quod quidem Ego ſequenti obſervatione confirmo; Cœcus eſt hic Ferrariæ Pauperculus eleemoſynis vivens, qui a Conjuge quatuor maſculos ac unam fœminam ſuſcepit, qui omnes quinque gnati orbati lumine orti ſunt; imò circa hanc rem mihi narravit Sacerdos Romandiolus fide dignus, ſe obſervaſſe Faventiæ ſurdos Filios, è Matre ſurda natos.

OBSERVATIO CXXVI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IV. Obſ. 68.

De Epileptico ſaltante.

DE Epileptica cantatrice obſervationem curioſam narrat *Clariſſ.* D*n. Joh. Jacob VVagnerus* Collega noſter ſemper colendus, *in Ann.* 2. *Decur.* 3. *Miſcell. Curios. Obſ.* 161. Ego verò Epilepticam noſco, qui in paroxyſmo, & clamat, & ſaltat magna adſtantium cum admiratione; Plura de ſimilibus & aliis admirandis Epilepſiis leguntur apud *Marc. Donatum de Med. Hiſt. mirab.* & in ſpecie *Wînclerus in Ann.* 3. *Decur.* 1. *Miſcell. Curios. Obſ.* 304. meminit de Epileptica, quæ ſolebat in Paroxyſmo ridere.

OBSERVATIO CXXVII.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Dec. III. Ann. IV. Obſ. 69.

De Vomitu ex manu ſiniſtræ diſtorſione.

CLariſſ. *Joh. Bapt. Helmontius in ſuo Pylor. rector.* narrat, ſibi ex fortuita diſtorſione pedis rigorem accidiſſe, cum nauſea, vomituque; aſt repoſito in ſuum locum pede, ceſſaſſe vomitum, & rediiſſe appetitum priſtinum; Sic Ego pariter menſe februario Anni 1696. die 9. obſervavi Adoleſcentem, qui currens cecidit, illique manus ſiniſtra diſtorta fuit, & illicò vertigo, ac vomitus non exiguus ſucceſſit, cum totali corporis tremore; defertur hic domum; ſtatimque vocato Chirurgo, ſemidislocata manus repoſita eſt, cui repoſitioni ſubitò ſecuta eſt vomitus ceſſatio & vertiginis ablatio; Ex quo apparet maximum eſſe conſenſum inter Ventriculum ac nervos manuum & pedum: de conſenſu cum Capite nil addo, a Cerebro enim omnes nervi derivantur.

OBSER-

OBSERVATIO CXXVIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IV. Obſ. 70.

De Globulo plumbeo per triennium in corpore humano detento, tandem per tumorem in Inguine extracto.

DE Particula Gladii Anni unius ſpatio in thoracis cavitate Dom. *Simonis Capece* detenta, tandemque inter octavam & nonam coſtam feliciter à Chirurgo extracta hiſtoriam mirabilem narrat *Julius Jaſolinus in Iſchiæ Balneis lib. 2. pag. mihi* 164. ubi etiam iſte Autor delineat particulæ Gladii figuram, longitudinis ſpithamæ unius, & latitudinis duorum tranſverſalium digitorum, cujus enſis portiunculæ extractio facta fuit Anno 1581. die 6. Aprilis hora 20. Sic pariter Ruſticus quidam Annorum XXIX. ab alio Ruſtico vulnus mediante ſclopeto accepit in parte ſiniſtra Abdominis, à quo intra XL. dierum ſpatium ſanatus eſt; globulo autem plumbeo, quo vulneratus fuit, intra corpus manente, uti in aliis hujuſmodi caſibus fieri ſolet; clauſa cicatrice jam Ruſticus omnia munera ruſticalia feliciter, ut ante vulnus, ſubibat; elapſis tribus annis ei ſubortus eſt tumor in inguine ſiniſtro; ita ut omnes crederent bubonem eſſe venereum, quantumvis ipſe juraret de caſtitate ſervata; Tumor ad ſuppurationem paucis diebus pervenit, & ſponte ruptus eſt, quo aperto, non exigua puris quantitas effluxit, unà cum globulo plumbeo à tribus annis in corpore ipſius patientis detento, abſque ulla pridem noxa; Cæterùm brevi ſanatus eſt tumor, & priſtinam Ruſticus recuperavit valetudinem, quam etiam dum hæc ſcribo, Deo adjuvante poſſidet, ac bene viribus pollet. Hinc de alio recordor Adoleſcente, qui ſimiliter ſclopeto vulneratus fuit Anno 1683. in coxa dextra, globuloque intromanente ſanatum vulnus fuit; & Anno 1685. ortus eſt tumor exiguus ſuper genu ejuſdem partis, quo aperto, globulus plumbeus exivit, non ſine adſtantium admiratione. Imò multos noſco viventes, ac ſanos hìc Ferrariæ, qui intra ſuum corpus globulos plumbeos abſque ulla noxa ſervant; ex quo apparet amicitia Plumbi cum humano corpore.

OBSER-

OBSERVATIO CXXIX.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IV. Obſ. 71.

De Remedio ſingulari ad Luem Veneream curandam.

GLoſſopetram virtutem habere alexipharmacam tradit Clariſſ. Dom. *Jacob. Prancrat. Bruno in Amalth. Caſtell. Brunon.* unà cum *Frider. Hofmanno Clav. in Schroëd : & Chiocco in Muſeo Calceolar. &c.* ipſamque non parùm valere adverſus malignas febres calcinatam & in pulverem ſubtiliter redactam, ac ſumptam cum *aqua Scorzoneræ* expertus pluries in Praxi facienda didici; Communicare verò Curioſis Dom. noſtris Collegis de *Gloſſopetra* hoc in præſenti utile puto, quod non ſemel probavi, videlicet *pulverem Gloſſopetræ calcinatæ* ad pondus ℈. j. manè jejuno ſtomacho in juſculo, in quo bullita ſit parva quantitas *Salſæparillæ* & Aniſum ſumptum à Lue Venerea affectis, non levem ferre opem; quòd nuper etiam in juvene à decoctis & diæta ſudorifica abhorrenti feliciter eveniſſe notavi. Medicus etiam Mantuanus, amicus meus ſingularis, mihi de *Gloſſopetra* narravit, ipſius pulverem cum *aqua Theriacali* frigida ſumptum, ruſticum quendam à Fungonum veneno liberaſſe; Ac de Sacerdote recordor, qui ſemper ſecum ferebat *gloſſopetras*; cogitabat enim, has contra Vertiginem, Apoplexiam, Epilepſiam, morſus venenatos Canum & Serpentum externè quoque valere; At curioſum illud ad calcem hujus obſervationis circa *Gloſſopetras*, quod legitur apud *Plinium hiſtor. natur. lib. 37. cap. 10.* apponere fas mihi ſit, ſcilicet *Gloſſopetram* linguæ humanæ ſimilem, *ut loquar Pliniano ſenſu*, in terra non naſci, ſed deficiente Luna Cœlo decidere; quod quidem, nec à *Plinio* ipſo alioquin certè nimis credulo, tanquam certum acceptatur.

OBSERVATIO CXXX.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IV. Obſ. 74.

De Hydrope Aſcite urinæ profluvio ſanato.

Hydropicum urinæ profluvio ſenſim detumeſcentem, ſe notaſſe ſcribit *Clariſſ. Dom. Johann. Bapt. Scaramuccius in Theorem. Familiar. 4. pag. mihi 59.* Ego ſequentem de Aſcitico, urinæ profluvio excitato, curato, obſervationem modò obſervatam nunc addo.

Vir quidam non ignobilis, Annorum XLII., temperiei biliosæ, poſt longam febrem tertianam duplicem, inflatus eſt ventre, cæteris verò partibus emaciatis; à Medicis deſtitutus, & quaſi deſperatus, meo conſilio tandem quotidie mane jejuno ſtomacho aſſumebat ſequens remedium: ℞. *Therebint hinæ lotæ in aqua Malvæ* ʒ. ß. & cum *pulvere liquiritiæ*, Fiat *S. A. Bolus*, aſſumendus cum aqua ſequenti:

℞. Aquæ Ononidis, Malvæ, *ana*, ℥. ij. ſpiritus Salis, ℈. j. Miſce.

Poſt prandium verò ſyrupum ſequentem aſſumebat, ℞ *Syrupi, de quinque Radicibus; & de Althæa Fernelii, ana*, ℥. j. ß. M.

Poſt cujus aſſumptionem bibebat juſculum in quo bullierant *folia Malvæ* & *radices Aſparagorum*; Quibus adhibitis remediis, per urinæ vias Hydropis lympha excreta eſt; & poſtea Æger convaluit; nunc verò ſanus vivit.

OBSERVATIO CXXXI.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Dec. III. Ann. IV. Obſ. 75.

De Vino è Mamma excreto.

CErevisiam è Mamma excretam in quadam Matrona puerpera ſe obſervaſſe ait D. *Salomon Braunius in Miſcellan. Curios. Decur.*

cur. I. *Ann.* 4. *&* 5. *observ.* 15. Ego vero in Nutrice quadam honesta Ferrariensi Annorum XXVI. vidi Vinum nigrum sincerum suum proprium colorem & saporem habens, excretum è Mamma dextra tantummodo, à sinistra autem Mamma lac solummodo, nec Vini quidem exiguam quantitatem excretam; quod non parùm admirationis attulit Discipulis meis, & Nutricis prædictæ Domesticis.

OBSERVATIO CXXXII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IV. Obs. 76.

De *Partu quinque Filiorum.*

De tali partu memini etiam Ego *in Miscelli Acad. Curios. Decur.* II. *Ann.* 9. *observ.* 50.& ante Me meminerunt quoque *Auius Gellius lib.* 10. *Noct. Attic. cap.* 2. *&* *Joh. Bertrandus de Jurisperit. lib.* 1. *pag. mihi* 109. narrando de quadam Muliere, quæ tempore Caii J. C. quinque liberos enixa est, de qua re sic legitur in *L. utrum, D. de reb. dub. Et nostra quidem ætate Serapia Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta est cum quinque liberis quos uno fœtu enixa est.* Sic Ego Mense Martii Anni hujus 1696. Uxori alicujus Plebeii adstiti, quæ quinque filios peperit unica tantum die quæ septima mensis Martii erat, peperit scilicet tres fœminas, duosque masculos; quorum duo tantummodò vivunt. Confer *Observ.* 15. *D. Gabriel. Clauderi in Ann.* 4. *Miscell. Curios. Dec. II.*

OBSERVATIO CXXXIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. 118.

De Nævis Menſtruo ſanguine deletis.

SAnguinem menſtruum ob ſuam virtutem nitroſam curare Eryſipelata, Gangrænam, Nævoſque maternos Me legiſſe recordor in *Phyſiologia Reformat. Clariſs. D. Georgii Wolffgang. Wedelii cap. 16. pag. 576.* Et circa Nævos maternos expertum vidi elapſis diebus in Puella trium annorum, cui appoſitione menſtrui ſanguinis Nævi aliqui evanuêre; ſic enim fuit edocta Mater à quadam vetula ruſtica; Imò recordor Puerum quendam Anno 1690. à Nævis maternis liberatum me vidiſſe ſola, ſed frequenti lotione urinæ.

OBSERVATIO CXXXIV.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. 119.

De Noctambulatione periodica.

DE Noctambulonibus curioſa ſcripſêre *Petr. Salius Diverſus, Schenckius, Sennertus, Regius, Craanen, Græbnerus in Medic. Vet. reſtit.* & *Beat. Gabriel Clauderus* Acad. Curioſus eruditiſſimus *in Miſcell. Curioſ. Decur.* II. *Ann. 5. Obſ.* 189. raram hiſtoriam narrat; cui Ego etiam hanc de noctambulatione periodica obſervationem a'-do. Eſt hîc Ferrariæ Studioſus quidam Annorum ætatis XVIII. qui quovis menſe, tempore plenilunii, etiam patitur; media enim ſub nocte elevatis palpebris domus ſupremas conſcendit partes; imò tales pertingit ſitus, ad quos ſanè non perveniſſet ſi planè vigilaſſet, præterquam enim quod maximum portendunt periculum, etiam difficulter, & magno conatu, & virium jactura aſcenduntur.

OBSERV.

OBSERVATIO CXXXV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. V. & VI. Obs. 120.

De noxa Venæ sectionis & purgationis in Pleuritide grassante Ann. 1696.

HYems Anni 1696. modò borealis fuit, modò australis, ut mense Januario & Februario vernum tempus adventasse videretur; subsecutũ tamen est frigus prægrande in Martii principio, quibus diebus plurimæ Capitis intemperies, quæ vulgò dicuntur *Freddore* divagabantur, his accessêre Febres, quibus commixtus erat lateris dolor cum aliis symptomatibus, quæ Pleuritides comitari consueverunt; observatum est, omnes quibus Vena secabatur interiisse, propterea mutata methodo medendi cucurbitulis procedebatur, quibus cutis spiracula aperiuntur, ut sic causa antecedens amoveretur, ac revelleretur materia ab ambitu corporis ad thoracem fluens; hac occasione in memoriam revocatum est, annis etiam anteactis ex ingenti frigore enatis affectibus perperam administratam fuisse sectionem Venarum, & totum curationis cardinem aliquorum Practicorum nostrorum in hac omittenda stetisse, sed & in tali constitutione, hujus Anni nempe 1696. lethum acceleratum animadvertebant Clinici ab alvi fluxu, sive hic spontè accederet, sive arte promoveretur. Tantùm enim aberat, ut hac evacuatione morbus allevaretur, quin potius eadem adhibita ocyus Ægri deficerent; cùm itaque, & quæ per Venas sectas & quæ per alvum laxatum fiunt, evacuationes jure suspectissimæ forent, esset tamen hostis internus deturbandus, via alia excogitata est, quam exitus ipse comprobavit. Per urinas & per sudores ducere cœptum; Et tali methodo curatus est Civis quidam Ferrariensis noster, ætatis annorum XXXIV. qui uti mortuus deplorabatur; huic ope *lapidis Bezoard*, *decoctionis Carlinæ* cum *Hordeo* paratæ, ac magna quantitate assumptæ; nec non datis *gelatina Cornu Cervi* & *Electuario*

ex Carlina & ſimilibus, alvi fluxus mortis prodromus ſtetit, ſudor ſucceſſit, qui diu, largèque prorumpens Virum dictum ex Orci faucibus eripuit. Haud diſpari ratione per clariſſimos Artis Apollineæ Myſtas, Amicos meos, plures alii ſani facti ſunt Ægri, etſi à ſudore copioſo in lipothymias, ſyncopeſque incurrerint, majori potiùs terrore aſſidentium, quam languentium detrimento; quicunque verò ſecus tractati ab aliis fuêre medentibus, libitinæ mactati, curantium errores ſepulchris intulêre. Notabilis itaque Pleuritidis dicto tempore vagantis idea, quæ à Practicis judicabatur Pleuræ phlogoſis; quibus ſymptomatum ſeries favere videbatur, dolor nempe lateris punctorius, febris acuta, tuſſis, pulſus ad duritiem vertens, ac reſpiratio difficilis, non tanta tamen, quanta in Peripneumonicis eſſe conſuevit, & dum inter Medicos de ſede hujus morbi diſputaretur, è vivis ſublata eſt mulier tali affecta morbo, ego cadaver aperuï, ex quo lis tanta dirimeretur, & ecce Pulmonis medietas, abſque ulla Pleuræ læſione, eryſipelate apparuit infecta, tumefacta, ac inter flavum membranorum colorem diverſis etiam maculis conſperſa, quod ſanè Ego prius in conſultatione pro dicta muliere facta prædocui, conſtituendo morbum, quo vexabatur patiens, *Febrem continentem cum decubitu cauſæ morbificæ in Pulmones*, *Hippocrate* fretus, atque *Felicis Plateri*, aliorumque placitis adhærens, quibus hujus morbi natura erat magis perſpecta; ſymptoma notandum hos morbos conſequens, erat excretio per tuſſim multæ materiæ bilioſæ tenuis inconcoctæ; Urinæ aderant turbatæ, quæ ſudore erumpente clareſcebant; itaque ut primum curandi ſparta nobis imponebatur, cum cucurbitulis ſcarificatis & non ſcarificatis totum deplebatur, cutisque pori reſerabantur; mox apozemata ex *Pectoralibus* dabantur, cum guttulis aliquot *Spiritus Sulphuris* quod Pulmonum Balſamum habetur à Medicis ſanioribus; Anacatharſi juvandæ eclegmata non præſcribebamus ſaccharata, quæ in bilem faciliter verti ſolent, ſed largi hauſtus imperabantur *decoctionis Carlinæ* cum Hordeo factæ, quibus nedum thorax humectabatur, ſed & totum corpus, ad cujus circumferentiam pellebatur materia, quæ in venis majoribus fermenteſcens, tandem in Pulmonis anfractibus præcipitata morbum fovere, lethumque accerſere ſolebat; Pectus ungebatur *oleo*

noſtro

nostro cucurbitino pro Pleuritide nuncupato. Frictionibus, & dorsi inunctionibus cum *Aëtii* linimento celebri in Praxi Medica multum Me præstitisse exitus nos docuit; pulveribus *oculorum Cancri præparatorum*, *Cornu Cervi philosophicè præparati*, *Mandibulæ Lucii Piscis*, *Dentis Apri*, *sanguinis Hirci præparati* quibus *Bezoar* quoque accessit, usi sumus; hinc Ægris copiosi sudores, & magni lotii proventus, & hinc salus; sicubi res postularet, alvum segnem clysmatibus, ac glandibus irritabamus; Quod si morbo ansam dedisse constaret nobis menses suppressos, saphænam tundere non reformidavimus; cùmque phrenitides multoties Ægris supervenirent, Phœnigmos in scenam produximus; eosque suas partes optimè egisse notavimus; si curatio juxtà hanc nostram methodum procederet, morbi dies septima, nona, aut undecima ægros judicabant ad salutem; Paucos autem memini servatos, quibus in ipsa indicatione animus deficiebat; *Offa vino dulci*, *odoro*, *dilutoque imbuta*, pretiosioris cujus vis remedii cardiaci vices opportunè supplevit; Quæ omnia hùc retuli, ut posteritas noscat, quam periculosæ aleæ plena sit nonnullorum temeritas, qui omni in febre & morbo quovis, tanquam ad sacram anchoram ad Phlebotomiam, atque Catharsim confugiunt, cùm utraque hæc evacuatio exceptiones suas patiatur; adeò verùm nullam in Arte nostra Apollinea regulam generalem posse dari præter hanc unam, nempe, *nullam tamen in ipsa Praxi Medica Regulam assignari.*

OBSERVATIO CXXXVI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Decur. III. Ann. V. & VI. Obs. 121.

De Phrenitide Balneo Aquæ frigidæ curata.

RUsticus quidam in nostro Ferrariensi suburbio annorum ætatis XL. per aliquot dies strenuè vino generosissimo usus, paulò post gravi delirio, cum vigiliis perpetuis, ac febri continua affectus est anno 1696. Mense Junio; Vena ut aperiretur suasi, sed ob magnam inquietudinem feri minimè potuit; Die morbi quinta è

ta è cubili ſurrexit, ac in vicinum puteum ſe projicit, cui periculo accurrunt Domeſtici, & celeritate, qua potuêre, è Puteo extrahunt ſanum, qui in aquis fuit ſubmerſus Phreniticus. Tanta fuit humoris frigidi vis, ut calorem, atque efferveſcentiam cruoris, etiam externè compeſcere valuerit, ſic ergo ab aquis egreſſus Ruſticus, benè ſe habuit ac amplius non recordabatur ejus quod Phreniticus egerat.

OBSERVATIO CXXXVII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. 122.

De Corde pilis referto.

DE Corde hirſuto meminit Clariſſ. Dom. Dom. *David. Græbneius Med. Vet. reſtit. cap.* 16. *de Corde pag.* 121. & ante ipſum de tali corde alii; hinc narrat *Valer. Maximus Lib.* 1. *cap.* 8. *de Miracul.* Ariſtomeni Meſſenio cor repertum fuiſſe hirſutum, de quo etiam *Plinius lib.* 11. *Hiſtor. Nat. & Joh. Schenckius Obſerv. Med. lib.* 2. De corde Pilis referto ſcribunt curioſas Obſervationes *Petrus Crinitus de honeſt. Diſciplina, Bauhin. lib. Anat. Ant. Benivenius de abditis morb. cauſis; Theod. Craanen de homine; Plutarchus in Paral. Cæl. Rhodigin. Antiq. Lection. lib.* 4. *M. Ant. Muretus lib.* 12. *cap.* 10. *Var. Lection.* & tandem *Amatus Luſitanus Cent.* 6. narrat olim Ferrariæ noſtræ ſe obſervaſſe cor cujuſdam Latronis inſignis & audaciſſimi, pilis circumſeptum, ſic pariter hîc Ferrariæ Anno 1696. ſub fine Menſis Aprilis, quendam Plebeium ætatis annorum XLVII. forti pleuritide extinctum, in Hoſpitali S. Mariæ Novellæ, meæ curæ commiſſo, cultro anatomico aperui, & Cor inventum eſt undique pilis refertum, in pulmonis autem ala dextra abſceſſum vidimus mortis ac morbi cauſam; ſic monſtra naſcuntur in dies, & mirabilia depromit natura, ſemper admirabilis ſemperque curioſa in triplici ſuo regno, animali nempe, vegetabili & minerali.

OBSERV.

OBSERVATIO CXXXVIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. 123.

De Vermiculis cum urina profuſis.

VIr honeſtus annorum xxxix. temperamenti ſanguinei, menſe Auguſto anni 1696. poſtquam multam vini quantitatem ad ſitim extinguendam ingurgitaſſet, incidit in omnimodam urinæ ſuppreſſionem, & nihil conferentibus uſitatis remediis per triduum à ſuo Medico ſubminiſtratis, Me in conſilium vocat Ægroti Uxor, qui prædictorum relatione audita, injecto ſtatim clyſtere ex *Lacte vaccino* & *ſaccharo rubro*, juſſi, ut ſanguis à dextro pede ad uncias decem extraheretur; poſt verò ſanguinis miſſionem ſequentem Emulſionem exhibui: ℞. Seminum Violæ purpureæ, ℥. ß. cum aqua Malvæ q. ſ. Fiat Emulſio, cui adde *pulveris Oculorum Cancri fluviatilis præparatorum* ʒ. j. *Miſce.* Tribus autem elapſis horis ab hiſce remediis, multam urinæ copiam effudit in qua obſervati fuêre plurimi vermiculi rubri coloris, ſicque ſanus evaſit. Exiguos etiam Vermiculos in renibus genitos, cum urina profuſos, ſe vidiſſe teſtatur *Fernelius lib. 6. Patholog.*

OBSERVATIO CXXXIX.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. 124.

De Furore Uterino ex inflammatione Uteri.

MIhi nuper narravit Medicus quidam Mantuanus, Virginem quandam jam nubilem, vitam otioſam ducentem, poſtquam amorem clandeſtinum cum Nobile quodam contraxiſſet contra Parentum ſuorum voluntatem, in ſomnis fatigatam eſſe, & die clamaſſe, multa incompta atque laſciva pronunciaſſe, ita ut inſana

videretur, & quando Masculos videbat, illicò in eos ruisse ac petiisse venereos amplexus, oscula, & vigilabat perpetuò, nec comedens, nec potum assumens; Febre accedente continua, multa facta fuêre remedia tam Chirurgica, quam Pharmaceutica, ast omnia incassum; Decima quarta enim morbi die periit; Aperto Cadavere omnia viscera sana apparuêre, præter Uterum, qui inflammatus observatus est, quæ inflammatio etiam ad Tubas & Ovaria pertingebat.

OBSERVATIO CXL.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Decur. III. Ann. V. & VI. Obs. 125.

De Hysterica passione, Lactis Asinini usu sanata.

ANthysterica volatilia potiùs adaugere insultus hystericos ait *Clariss. D. Joh. Bapt. Scaramuccius Practicus Urbini celeberrimus, ac amicus meus, & Collega semper colendus in Theorem. familiar.* 18. *pag. mihi* 270. quoniam, ait ipse, libertatem majorem spiritibus imponunt; unde *Lac Asininum* massam humoralem dulcificans laudat; & sanè, ut verum fatear, Ego Anno 1696. Juvenculam annorum XX. hystericam curavi, usu *Lactis Asinini*, per XXIV. dies manè jejuno stomacho exhibiti, cum exigua quantitate Sacchari fini pulverisati ad pondus unciarum sex; Nuncque aliam Fœminam Hysterica passione affectam sub cura mea teneo, quæ frustrà anthysterica varia remedia experta est; nunc verò post communem purgationem, *Lacte Asinino* utitur & verè fateri possum, neque minimum hystericum insultum eam persentire.

OBSERVATIO CXLI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. 126.

De Hydrope ulcere aperto in Scroto ſanato.

DE Hydrope per abſceſſum in Scroto ſanato, curioſam obſervationem narrat Clariſſ. Dominus *Gerbezius* Medicus Labacenſis digniſſimus, Academicus Curioſus ac Amicus meus ſemper colendus, *in Miſcell. Acad. Natur. Curioſ. Decur. 2. pag.* 182. Ad cujus hiſtoriæ confirmationem ſequentem adjungere mihi liceat caſum: Miles quadragenarius Hydrope Aſcite confirmato laborabat Anno 1695. multiſque incaſſum tentatis remediis jam jam vitæ finem expectabat, & loculum; Chirurgus quidam ad deſperatam vocatus curam, ſetaceum aperit in Scroto, per cujus vias aqua Hydropis aſſiduè extillabat, magno cum Ægroti levamine; ſicque tandem ſanus evaſit; Pariterque Reverendus Pater Bernardus Zane Ordinis B. Petri de Piſis Sacerdos pius, & S. Mariæ Roſarum Ferrariæ Prior digniſſimus mihi nuper narravit, ſe Venetiis vidiſſe ſuæ Religionis Sacerdotem hydropicum confirmatum, qui ope ulceris arte excitati in Scroto à quodam Chirurgo Gallo, ſenſim ſine ſenſu quotidiè extillante lympha in abdominis cavitate ſtagnante, tandem convaluit; & ad plures ſupervixit annos, quin & quod notabile fuit, ulcus ſcroti, etiam ſanatum eſt.

OBSERVATIO CXLII.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. 280.

De prædictione ex Barba.

MUltos futura ex Barba prædixiſſe narrat Clariſſimus *Georgius Pictorius Villinganus in lib. 3. ſuæ Philologiæ, pag. mihi*

91. Et mihi quoque contigit videre Anno 1694. Mense Septembris, Rusticum quendam, Annorum ætatis XLIII. qui derepentè canitiem propriis in capillis & Barba vidit, non sine ipsius ac Conjugis admiratione; post triduum ab inimico clam est occisus sclopeto, dum Ecclesiam peteret; Mihi pariter tunc temporis, hanc ob causam narravit Sacerdos quidam Amicus meus fide dignissimus, se Anno 1673. observasse sexagenarium alioquin robustum, cui absque ulla occasione spontè cecidit tota Barba; & post septem dies ille apoplecticus obiit.

OBSERVATIO CXLIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. V. & VI. Obs. 281.

De Pure in brachii tumore collecto, per alvum expurgato.

PUrulentum humorem in alvum posse defluere, notavit olim Clariss. *Ambrosius Pareus, lib. de Vulneribus Sclop. cap.* 12. *pag. mihi* 351. Nuperque mihi videre contigit Militem robustum Annorum XXXIX. cujus in brachio dextro magnus sponte apparuit Tumor; Chirurgus alioquin gnarus, suppurationem tentavit, sed frustrà, nam tertia ab applicato suppurante remedio die, post ventris dolores, diarrhœa affectus est; per quam etiam purulenta tumoris materia excreta est per alvum, magna Chirurgi admiratione. De Pure quoque in coxæ tumore collecto, per alvum expurgato, egi *in Observat. XLIX. Miscellan. Academ. nostr. Curios. Decur. II. Ann. IX. pag.* 82.

OBSERV-

OBSERVATIO CXLIV.

Ex Miscellan. Natur. Curiosf. Decur. III. Ann. V. & VI. Obs. 282.

De Puero sine Ano.

ANno 1698. mense Octobris, observavi puerum, ortum à quadam Rustica bonæ temperiei annorum ætatis xxix. quæ Mihi fassa est tres se jam peperisse filios, & omnes sine ano; imò circà hoc à Me petiit consilium, & remedium, ad hanc arcendam miseriam in posterum; Arte apertus est anus, sed secundo à vulnere die mortuus est.

OBSERVATIO CXLV.

Ex Miscellan. Natur. Curiosf. Dec. III. Ann. V. & VI. Obs. 283.

De Muliere barbata.

DE barbata Muliere mentionem facit Eruditissimus *Casp. à Reies, in Camp. Elys. jucund. quæst. pag.* mihi 712. Egoque Anno 1697. Mulierem Romandiolam Annorum L. sterilem observavi, barbam gerentem; quæ interrogata mihi retulit, se nunquam menstruas purgationes vidisse, nec mammas tumefactas, pectus enim velut viri erat. De hac re vide quoque *P. Caspar. Schott. in Phys. Curios. lib. 3. cap. 32.*

OBSERVATIO CXLVI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. 284.

De Febre Quartana Abortu ſoluta.

EST *tamen*, ait *Origenes in Numer. cap.* 12. *interdum & Abortus bonus*; Et reverâ bonus Mihi apparuit in Nobili Fœmina Ferrarienſi ætatis annorum XXXI. quæ ſpatio trium Annorum Quartana Febri laboravit; à qua neque ope *Chinæ Chinæ* neque aliorum febrifugorum liberari potuit; at gravida facta, Quartana quæ ſimplex fuerat facta eſt duplex, cum capitis ſævo dolore; quarto geſtationis menſe Abortus accidit, multa cum ſanguinis effuſione, poſt verò Abortum libera à Febre Quartana evaſit, nuncque Dei gratia ſana & vegeta vivit, ac ſe iterum concepiſſe jam putat.

OBSERVATIO CXLVII.

Ex Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. 68.

De Herpete ſola aqua marina curato.

ORiginem, progreſſum, & quidquid ineſt arti Medicinæ, obſervationibus magna ex parte deberi, ait *Excellentis. D. Georgius Baglivus in Romano Archi-Lycæo Anatomes Profeſſor diligentiſſimus*, *ac Amicus meus ſingularis in lib. primo de praxi Medica cap.* 2. *pag. mihi 6.* undè meritò ad Apollineam excolendam Artem *Academia noſtra Leopoldina Imperialis* in colligendis Medicis Obſervationibus quovis anno inſudat, & collectas publici juris facit ad utilitatem Reipublicæ Medicæ; Liceat ergo nunc mihi ſequentem Collegis noſtris Curioſis communicare hiſtoriam de Herpete ſola *aqua marina* curato; erat enim Plebeius quidam noſter Ferrarien-

rarienſis temperie bilioſa præditus, annorum ætatis xxxiii. menſe Junii Anno 1696. qui hinc inde in coxis, brachiis, utroque genu, & cubito, pectore, ac facie maculas habebat elevatas, rubras, ſcabras, & ſerpentes, ac de novo hinc indè erumpentes; cui conſilium à me petenti balneum aquæ Marinæ commendo; qui etiam ter, quaterve ad ſe lavandum nudus in vicinas Maris Adriatici aquas deſcendit; & ſic ſanitatem optatam recuperavit, ac à fœdo illo affectu liberatus fuit; hinc Chirurgus noſter Ferrarienſis fide digniſſimus mihi elapſa die retulit, ſe feliciter duos viros curaſſe herpete laborantes ſola lotione *aquæ ſalitæ* cum adjecto *ſulphure*, & *alumine*; Alios autem ſcio Peritos adhibuiſſe in tali profligando morbo *aquas thermarum*.

OBSERVTATIO CXLVIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. 69.

De Tumore inſigni à capitis lotione.

A Capitis lotura per æſtatem, obortum ſub ala ſiniſtra fuiſſe tumorem teſtatur *Marc. Aurel. Severinus de Recond. nat. Abceſſ. lib. 4. c. 5. pag. mihi* 168. cui penè ſimile exemplum, me obſervaſſe recordor Anno 1698. Menſe Auguſto dum ruri eſſem, in Filia cujuſdam Ruſtici annorum ætatis xii. cui Puellæ alioquin ſanæ poſt lotionem capitis à Matre factam aqua frigida Surditas ſupervenit, à quâ ſuborto inſigni tumore in brachio dextro liberata fuit; tumor autem ſuppuratus feliciter curatus eſt; nunc ſana vivit, & Domino benedicit.

OBSERV.

OBSERVATIO CXLIX.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. 70.

De Cœcitate, ex intempeſtiva Sanguinis miſſione.

PHlebotomiam aliquandò juvare, aliquandò noxam afferre, ſcimus. Idque experientia indies comprobat; ſic Anno 1698. die 7. Decembris Adoleſcentem obſervavi, alioquin ſanum, cui alvi fluxus ſupervenit; Vocatus Medicus, ſanguinem è brachio dextro ad libram unam extrahit; quo miſſo ſenſim ſine ſenſu viſionem amittit, alvo prius ſuppreſſa; Multa adhibita ſunt à me remedia; omnia verò fruſtranea fuêre; nam cœcus, & nunc ipſe quoque vivit.

OBSERVATIO CL.

Ex Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. 71.

De dolore maximo Dentium Nive appoſita ablato.

A*Quam Nivis* dolores Dentium ſedare ait *Avicenna lib. 2. cap.* 524. idemque quandam hiſtoriam narrando confirmat *Zacutus Luſitanus in ſua Praxi Medica mirabili lib.*1. *obſerv.*85. ſic Famulam Ego vidi, annorum XXXV. temperiei bilioſæ, quæ à multis annis Dentium dolore vexabatur; multis fruſtrà tentatis auxiliis, tandem *Nivis* uſum ſubiit; hac enim circumpoſita dentium ſuorum dolorem mitigabat; E contrà verò Civem honeſtum noſco, qui temperamento ſanguineo præditus, quotieſcunque frigidam guſtat potionem, illicò in dolorem dentium incidit; ita ut cogatur non tantum calidè comedere, ſed & calidè bibere.

OBSERVATIO CLI.

Ex Miscell. Nat. Curios. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Obs. 72.

De Vermibus per tussim rejectis.

PEr tussim Vermes in Phthisicis aliquandò ejectos fuisse scribit *Felix Platerus Prax. tom.* 3. *de animal. excret. cap.* 13. *lib.* 2. *pag. mihi.* 786. Et ego hoc Anno 1699. in Peripneumoniaco, observavi per tussim excretum vermem rubrum & non exiguum; post cujus excretionem sequuta est magna sanguinis purulenti copia; indeque Mors.

OBSERVATIO CLII.

Ex Miscell. Nat. Cur. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Obs. 72.

De Morte à frigido Potu.

POmponium Lætum virum doctissimum, ac constantissimi animi, & vitæ frugalis, septuagenarium, è vita excessisse ob assumptum gelidum potum, narrat *Eruditiss. Sim. Majolus in Canicul Dier. tom.* 1. *colloq. de montibus.* Gelidissimo enim, ait ipse, vini potu Ventriculi calorem oppressit; Idemque Me observasse recordor Anno salutis nostræ 1697. Mense Junio die 17. in Puella ætatis annorum quinque, quæ post assumptam gelidissimam emulsionem, illi à Patre exhibitam, Iliaco dolore affectam, intrà breve quatuor dierum spatium, tumefacto, atque indurato ventre obiit magno patris dolore; pariterque recordor de Juvene Ariminensi Ætatis annorum XXVII. qui post assumptionem non parvæ quantitatis *peponis glacie gelidi facti*, incidit in febrem ardentem à qua quinta die necatus fuit.

OBSERVATIO CLIII.

Ex Miscell. Natur. Curios. Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obs. 74.

De Pulvere Febrifugo.

G*Lobulum Cupressinum* siccatum, atque pulverisatum ad pondus drachmarum trium in vino albo generoso exhibitum in accessionis principio, febres intermittentes curare, ait Clarissimus Dominus *Alexander Pascolus*, Perusinus Medicus, & Lector eruditissimus *in suis sermonibus ad calcem sui tractatus de febribus nuper typis dati Italico idiomate pag. 55.* Idemque Ego hoc Anno 1699. pluries expertus fui, & præcipuè in quadragenario hypochondriaco, Quartana Febri pertinaciter affecto per annum, qui tandem ope pulveris hujus prædicti, bis exhibiti, modo suprà notato, sanus evasit; Monialem pariter hoc remedio curatam vidi, & liberatam ab erratica Febri per biennium infestante; Potest etiam exhiberi remedium supradictum sequenti modo: ℞. *Pulveris Globuli Cupressini*, ʒ. ß. *Julep. simpl. q. s. Misce*: Fiant Boli aurati assumendi antè prandium, superbibendo libr. j. Aquæ Nucerianæ, vel aquæ Hordei, quod verò continuari debet sex dierum spatio, ut advertit loco citato laudatus *Dominus Pascolus.*

OBSERVATIO CLIV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Obs. 75.

De Calculis in Pericardio.

HOnesta quædam Fœmina, annorum ætatis XXXIII., temperamenti biliosi, trium filiorum Mater, suppressione mensium primò afficitur, ita ut se gravidam esse existimaret; ast ventre non tumescente tertio à catameniorum cessatione mense, frequentem syncopem patitur, à quâ tandem necatur; Aperto cadavere

davere ala pulmonis dextra atri coloris reperitur, inque ea aperta materia atra tartarea apparet; in corde nihil novi; in Pericardio verò tres Lapillos invenimus subviridis coloris, quorum duo exigui erant, alius autem magnus & duarum prorsus unciarum ponderis; cætera in hujus mulieris corpore sana erant. De variis rebus præternaturalibus in Pericardii cavitate repertis mentionem Ego feci in mea *Dissertatione de Pericardio* impressa in *tomo primo Bibliothecæ Anatomicæ Dn. Clerici & Mangeti, impressionis secundæ Genevæ. Anno* 1699. *pag.* 916. *quam Lector curiosus videat*; sic me legisse recordor apud *VVierum de Præstig. Dæmon. & Burnetum in Thesaur. Medic. Pract. lib.* 3. in Imperatoris Maximiliani Secundi corde secto, inventos fuisse tres Lapillos magnitudine pisorum, unus interim major altero colore rubigineo, qui Imperator dum viveret frequenter gravi cordis palpitatione afficiebatur.

OBSERVATIO CLV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Obs. 101.

De duplici Dentium ordine in Infante.

DE triplici ordine Dentium in Ludovico XIII. Galliarum Rege curiosam refert historiam clarissimus *Thom. Bartholinus in Anat. Reform. lib.* 4. *cap.* 12. & duplicem ordinem me notasse jam in Cive nostro Ferrariensi, memini *in mea de Dentibus dissertatione anatomica, quæ impressa reperitur in secunda editione Bibliothecæ Anatomicæ tom.* 2. *pag.* 513. Nunc notare libet, quod nuperrimè vidi in Puero recenter nato; nempe duplicem Dentium ordinem, exigui quidem illi erant sed tamen benè formati; interrogata Obstetrix, mihi jurato asseveravit tales Dentes jam Puerum ab utero Matris egressum habuisse; Infans verò post quatuor dies mortuus est.

OBSERVATIO CLVI.

Ex Miscell. Natur. Curios. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Obs. 102.

Noxa ex Cibo cocto in Vase æneo.

FAmula quædam Monialium Sancti Rochi Ferrariæ Anno præsenti 1700. accepit à Monialibus oryzam coctam in vase æneo: ipsamque suis filiis edendam porrexit; qui talem pro cœna cùm assumsissent cibum, noctè diro vomitu, doloribus, ac alvi dejectionibus miserè affecti sunt, ita ut mater ipsos emori putaret; & mihi postea juravit, filios suos nihil aliud quam oryzam illam à Monialibus dono datam comedisse; quapropter judicavi, ob esum cibi cocti in vase æneo ista symptomata evenire, recordatus *observationis 95. Cent. 3. Joh. Rhodii*, qui esum lethalem leguminis ex ære cocti enarrat in quodam hortulano; Pariter tres Rev. Moniales Ferrariæ Anno 1698. Mense Julio variis symptomatibus affectæ sunt, ut cardialgia, vomitu, ventris torminibus, alvi fluxu, ariditate faucium, siti &c. ex sola assumptione Pastæ triticeæ coctæ cum butyro, & caseo conditæ, ac recoctæ in vase æneo; quarum Monialium una forsan debilior aliis duabus mortua est; Putabant multi, Arsenicum permixtum fuisse cibo illi; Ego autem semper, idem à sola cupri malitia originem habuisse judicabam; me enim docuêre Autores de æris malignitate; hinc *D. Sennertus Pract. lib. 6. part. 6. cap. 10.* ait; *Cuprum venenosa qualitate non caret, qua & esculenta, & potulenta, si in vasis cupreis coquantur, aut diutius serventur imbuuntur; quæ postea intrà corpus assumpta ventriculum turbant, nauseam, vomitiones, ariditatem linguæ, erosiones ventriculi, dolorem, & ventris fluxus excitant*; & *Dn. Frideric. Hofmann. clav. in Schroeder. lib. 3. cap. 12.* scribit hæc verba: *si vinum, acetum aut alius succus acidus fuerit æri affusus, ac internè propinatus, legitimi veneni mineralis symptomata producit.* Et *Avicenna lib. 12. tract. 2. cap. 234.* inquit: *oportet quidem, ut caveatur usus dimittendi illud in quo est salsedo, & amaritudo, aut pinguedo, sicut sunt olea, & carnes,*

carnnes, aut acetositas, aut dulcedo, in vasibus æris, & bibendi ex eis; ipsa enim transmittunt procul dubio ziniariam, & ziniar est venenum. Caveant ergo Medici, & lento pede pronuntient de veneno malitiosè propinato, aut accidentaliter assumpto; rectè docet enim *Dom. Joh. Baptista Sitonus in Miscell. tractat.* 17. arduum nimis, & humano impar ingenio opus esse dijudicare, an aliquis veneno extinctus sit? & *Casp. à Reies in Camp. elys. jucund. Quæst. 64. num.* 35. ait de veneno assumpto cautè, aut minimè pronuntiandum esse à Medicis; qui oportet ut sciant ferè semper contrà fiscum se stare debere in ipsis casibus, nec temerè credere de venenis, ut inquit *Ursinus in Bibliotheca Med. Mangeti, tom. 4. pag.* 784. incerta enim, & fallacia signa sunt; & veneni interni ab externo dignotionem difficillimam, aut fermè impossibilem esse scribit optimè *à Reies loc. cit.* Nec fisci propterea standum accusationibus; nam quis innocens esse poterit si accusare sufficiat, ut Imperator Julianus advertit, referente Eruditissimo D. *Joh. Paulo Ferrario in Reflex. med. Legal. pag. 6.*

OBSERVATIO CLVII.

Ex Miscellan. Natur. Curiosor. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Obs. 103.

De Variis Antipathiis curiosis.

VArias in præsenti observatione antipathias curiosas notare statui, primò de Cive Ferrariensi cui cum *Liliis* antipathia tanta est ut odorem etiam à longè fugiat, oporteat, ne in vomitum, & lipothymiam incidat. Monialem nosco, quæ sanguinis hæmorrhagiam per nares confestim patitur, si *Allii* odorem persentit. Militem alioquin sanum nausea, ac vertigine correptum sola *Ranarum* præsentia observavi. Antipathiam cum *Anguillis* in Muliere gravida notavi jam in *Miscell. Nat. Curios. Decur. 2. ann. 9. observ. 208. pag.* 379. idemque hoc anno 1700. observavi in Juvencula primipara cujusdam Fabri Uxore. Sacerdos quidam noster *Calendulæ flores* summoperè aversatur; aliumque

nosco honestum Civem, qui nec odorem *Casei* tolerare potest, & tanto minùs ejusdem esum. A *Pœonia* fugiebat Juvenis ut retuli in dictis *Miscell. Cur. Decur. 2. Ann. 9. observ. 40. pag. 77.* sicque à *Rosis* alius abhorrebat, imò capitis dolore afficiebatur, dum *Rosam* olfaciebat. Adolescentulum anno elapso 1699. tertiana duplici correptum curabam cui *Emulsionem seminum Peponum* exhibui; ast illicò ac apposita saltem fuit, in tremorem, ac syncopem incidit; mater, post duas horas iterum porrexit dictam potionem, iterumque tremor, & syncope supervenêre. Domestici hoc mihi cùm narrassent & idem expertus fuissem, prohibui, ne in posterum adolescens non tantùm emulsiones non assumeret, verum ne quoque aspiceret; De Prosocro sua narrat *Excellentissimus Dn. D. Joh. annes Ludovicus Hannemannus in Observ. 51. Ann. 4. Decur. 2. pag. 121.* quæ *Menthæ* odorem, ne quidem herbæ ejus præsentiam, sine animi deliquio ferre non poterat, idemque pariter Ego nuperrimè notavi in Sacerdote quodam Romandiolo. Vir ætatis annorum 37. talem inimicitiam cum *sulphure*, ac *sulphuratis* tenet, ut scabie affectus, inunctione unguenti ad scabiem in cujus compositione *pulvis Sulphuris* habetur, statim in Lipothymiam, ac posteà tremorem, & capitis dolorem inciderit; imò ille mihi juravit, nec sine angore ac cordis palpitatione *Sulphuris* præsentiam posse tolerare; quod autem mirabile est nausea tentatur, sola *Sulphuris* nominatione; Ancillam nosco, quæ à nativitate, à *Vino* abstinet, ita ut solo *Vini* odore vomitu afficiatur. Quendam à gravi morbo liberatum *Panem* neque videre, neque ut nominetur tolerare potuisse, refert *Clariss. Dn. D. Casp. Theoph. Bierlingius in Miscell. Acad. nostr. Curios. Decur. 1. Ann. 2. observ. 207. pag. 309.* Idemquem Ego Anno 1699. in milite quodam post longam Quartanam observavi. Elbingæ Primarium fuisse Pastorem, qui *Porcelli assati* caput videre non poterat, asserit *Clar. Dn. D. Jacob. Barnerus in Misc. cit. Ann. 6. & 7. obs. 199. pag. 294.* Et Ego pariter Anno 1698. mense Junio notavi Viginem annorum quindecim quæ *caput Vituli elixati* tolerare nequibat; Varias antipathias cum *Felibus* enarrat *D. Lucas Schroeckius nunc Acad. Leopoldinæ nostræ dignissimus Præses in suo scholio ad observ. 50. Ann. 2. Decur.*

cur. II. *pag.* 83. ſic Ego uxorem alicujus Ruſtici noſco, quæ tanta cum *Felibus* antipathia vexatur, ut in ſola *Felis* præſentia deliquia patitur, ac ſudores circa frontem; idemque etiam accidere in Puero novem annorum mihi fatetur honeſta hujus urbis Matrona.

OBSERVATIO CLVIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obſ. 16

De Morte ex Scabie malè curata.

CAutè Scabioſos medicandos eſſe ait *Acad. Leopoldinæ Curioſorum decus, Amicuſque meus ſemper colendus.* DD. *Marcus Gerbezius*, *in Obſervat.* 167. *Decur. III. Ann.* 2. *pag.* 254. & aliqua ibi exempla morborum à Scabie intropulſa ortorum affert, ad quam obſervationem curioſum Lectorem remitto brevitatis cauſa; Addere ſolummodò hîc mihi in præſentiarum liceat; Militem quendam Me nuperrimè obſervaſſe Annorum ætatis XLI. temperiei melancholicæ, fœda Scabie laborantem, qui poſtquam ab Agyrta quodam Bononienſi, incognito unguento unctus fuiſſet, à Scabie mundatus eſt; Mox febris maligna eum invaſit cum delirio, convulſione, ac urinæ ſuppreſſione; & hinc die morbi quinta vivere deſiit, cautè ergo Scabiem medicandam fore, doceat hæc tragica Militis noſtri hiſtoria, & nec temerè in poſterum credendum Agyrtis ac Circumforaneis, qui abſque methodo, ac doctrinis, homines è medio tollunt.

OBSERVATIO CLIX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 17.

De Mania in Cœco ex nimio Puellæ amore.

ASprum, & Codrum cœcos amantes, irridet *Martialis*, primum *in Lib. 8. Epigr. 49.*

Formam plane, sed cœcus diligit Asper.
Et alterum *in lib. 3. epigr. 15.*
Plus credit nemo, quam tota Codrus in urbe &c.

Qui cœci amarunt illas quas formosas esse audierunt, & crediderunt, sed non viderunt; nostris hisce temporibus etiam Cœcum vidi Ego, ut cum Satyrico loquar, *qui nunquam visæ flagrabat amore Puellæ*, & tam vehementer eam amabat talique flamma cupidinis torquebatur, ut cùm illi eam negassent Parentes nubendam, tanto affectus fuerit dolore, ut brevi maniacus factus, intrà quatuor mensium spatium, macie confectus, obierit.

OBSERVATIO CLX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 18.

De Phthiriasi Oleo Olivarum curata.

RAra multa, & curiosa de Phthiriasi collegit *Dn. D. Schroëkius*, Acad. Nat. Curios. Præses dignissimus, *in suo additamento ad Observat. 39. D. Johan. Helvvigii. pag. 146.* ubi inter alia, refert *Oleo ligni Corylini* pediculos fugari juxtà *Stockeri* experimentum. Ego etiam fateri possum Adolescentulam Me nuper curasse à Phthiriasi, solo *balneo olei olivarum*; nudam enim bis in die in vase capaci dicti olei imponendam curavi. Sicque octo dierum spatio, perfectè sanatam vidi, absque alio ullo neque interno præsidio.

OBSER-

OBSERVATIO CLXI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 19.

De Venæ sectione in Gravida absque ulla noxa unoquoque gestationis mense celebrata.

VEnam secari posse tutò in Gravidis, docet inter alios Medicinæ Magistros nunquam satis laudatus *Dn. D. Christianus Helvvichius* Practicus Uratislaviensis felicissimus Academiæ Naturæ Curiosorum Collega eruditissimus *in observat.* 189. *Dec. III. Ann.* 5. *&* 6. *pagin.* 437. ubi inter alia doctè ab ipso narrata refert, in Gravida Venæ Sectionem celebratam fuisse sine ulla noxa bis, ultimis gestationis mensibus; quare circa hoc quod nuperrimè Egomet observavi in mea exercenda Praxi enunciabo: Erat Mulier plethorica Annorum ætatis XXIX. sarcinatoris cujusdam nostri Ferrariensis Conjux, quæ bis abortum passa, tertio, & quarto gestationis mense, tandem impraegnata, auxilium petit; quo circa jussi quovis mense venam aperiri in brachio, modò dextro, modò sinistro alternativè; ultimis autem mensibus in manu salvatellam incidi curavi, & sic justo tempore peperisse puellum robustum ac vegetum qui nunc sanus vivit cum Matre, quæ illum lacte proprio (ut vera genitrix debet) enutrit.

OBSERVATIO CLXII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 20.

De Cachexia cum Hydropis principio, ulcere in crure à natura aperto sanata.

RUsticum quendam annorum ætatis XLVI. observavi, qui omissis exercitiis, arthritide laborare incepit, unà cum obstruc-

tionibus utriusque hypochondrii & præsertim dextri, & in sinistro latere ob tumorem lienis difficulter decumbebat; huic facies nonnihil tumida erat cum colore lurido; aderant & manuum, brachiorumque emaciatio, urinarum cruditas, rugitus ventris, febriculæ errantes vespere præsertim ingruentes, usus aëre aquæ corruptæ vaporibus inquinato, nec Solis orientis radiis expurgato, quæ omnia Cachexiæ erant indicia, majorisque mali anteambulones, atque incipientem Hydropem minabantur, cui accedebat jus hæreditarium, eo enim morbo parens mortis fata subivit; Natura verò, quæ sola morborum est medicatrix, sponte in Crure dextro ulcere fœdo, magnam ichorosæ lymphæ quantitatem quotidiè amandavit, sicque intra mensem sanus evasit; & nunc sanato ulcere bona fruitur valetudine.

OBSERVATIO CLXIII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 21.

De Variis liquoribus infusis in venas variorum Animalium, & circa hæc observatis.

CAnem ad tabulam ligatum se accepisse ait Clariss. *Baglivus* in Romano Archilycæo Anatomes Professor nostri amicissimus, *in sua dissertat. de experim. anatom pract. pag.* 104. ipsique jugularem dextram aperuisse & infudisse in illam uncias duas Spiritus vini rectificati, sicque canem vix peracta syringatione expirasse adhuc ligatum; Nos autem nonnullas similes infusiones fecimus, & quæ observavimus nunc candidè exponemus:

I. Cani duorum Annorum, sano, venam cruralem sinistram perforavi, ac syphunculi ope *vini optimi* unciam unam in sanguinem injeci, & ligato vulnere liberum reliqui; qui statim hùc illùc inordinatè currere cœpit, indè se movere; & post breve temporis spatium, alvum exoneravit & quod notabile fuit, sudore omninò perfusus, in terram se projecit, somnoque alto correptus, duorum dierum

rum spatio dormiendo absque cibo ac potu vixit; posteà expergefactus latravit, comedit, minxit, nuncque sanus vivit, ut antea.

II. Canem juvenem, & sanitate optima fruentem super tabulam vivum more anatomico ligavi; & ei aperta vena jugulari dextra, in sanguinem per syringam infudi *spiritus Chalcanthi* unciam unam, & vix peracta operatione, canis emortuus est; aperto cadavere totum sanguinem nigri coloris, ac coagulatum in arteriis, ac venis observavi; viscera cætera alioquin sana erant.

III. Asello aperui venam cruralem in eamque infudi *Spiritus Cornu Cervi* ℈.*j.* permixtum *cum aqua rosarum* ad unciam unam; ligato vulnere asellus se contorquere cœpit, posteà copiosè urinavit, nunc verò sanus est.

IV. Felem benè ligavit Rusticus quidam & mihi ligatum attulit, cui ego aperta vena crurali dextra propè inguina, per syringam infudi *Spiritus Sulphuris guttas V. in aquæ vitæ communis* ℥. *ij.*; ligato vulnere novem horarum spatio expiravit; aperto cadavere, nigræ maculæ in Hepate, Liene, Pulmonibus aliisque visceribus apparuêre; & cruorem in vasis omnibus congelatum, imò Vesicam urinariam non sero, sed sanguine plenam fœtido, observavi.

V. Cuniculo ad tabulam ligato aperui jugularem dextram, infusaque in eam *drachma una Spiritus Salis dulcis*; vix peracta Syringatione, Cuniculus adhuc ligatus expiravit, quo aperto sanguinis coagulatio in pulmone tantùm est observata; & in aliis locis, sanguis erat omnimodè dissolutus; Cæteræ partes erant sanæ &c.

VI. *Aquam simplicem* pluries infudi in venas variorum canum; omnesque sani evaserunt, in uno Cane *Spiritus Nitri* est infusus, & mortuus est; in alio *Spiritus Cerasorum nigrorum*, & sanus evasit; in duobus, *Spiritus Fuliginis*, & primus post quinque horas est mortuus; alter post duos dies, diris cruciatus vomitibus, extinctus est; in uno Cane infusa *aqua Cinnamomi*, dementia, cœcitas, surditas, ac rabies obortæ sunt, quibus post hebdomadem mors successit; in alio autem Cane, eadem *aqua Cinnamomi* injecta, nihil mali præter vomitum peperit. In Sue quatuor Mensium *Spiritus Terebenthinæ* infusus, necem intulit, qui tamen infusus in Venam cruralem Canis venatici nihil mali attulit; notavi verò *Spiritum Tartari*, *Vitrioli*, & *Salis Ammoniaci* infusum in venas animalium, semper mortem

effecisse, quod etiam solo Sanguinis attactu *Oleum Tabaci* intrà paucas horas fecit.

OBSERVATIO CLXIV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 113.

De Morte ob Tineam malè curatam.

De Muliere legitur apud *Saxoniam Prælect. Pract.* & *Th. Bonetum in Sepulchreto Anatom. tom.* 3. Tinea tentata crebris lotionibus sanata, quæ in capitis dolorem ac febrem continuam lethalem incidit, cujus emortuæ Cadavere aperto, media pars totius Cerebri, cum membranis putrida inventa fuit, inhoreque citrino referta. Similiter Ego Anno 1702. mense Februario, adolescentem vidi, Pauperculæ cujusdam Ferrariensis filium, Tinea acriter tentatum, ac scabie fœda per totum corpus affectum, qui intempestivè inuntus, ac lotus, *medicaminibus* etiam *mercurio paratis*, liber quidem à Scabie, & Tinea evasit, at febri maligna, cum delirio correptus, in Xenodochio S. Mariæ Novellæ hujus Urbis, meæ curæ commisso, die morbi septima miserè obiit. Cadavere aperto, Cerebrum maculis nigris undequaque conspersum vidi, cum membranis lividis, & Corde flaccido; in Diaphragmate verò tumorem non exiguum notavi; Hepar durum erat præter ordinem, ac expectationem nostram; Renes naturaliter constituti erant, nec ullam labem ostendebant; In Ventriculo nihil erat, nisi aqua viscida, & flava, ac fœtida; Reliqua verò illæsa & juxta naturæ ordinem inventa sunt.

OBSERVATIO CLXV.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. IX. & X. Obſ. 114.

De Quartana Febri Ebrietate fugata.

MIlitem Quartanarium vidi, nullo alio adhibito remedio, ſola *Ebrietate* à Quartana Febri liber evaſit. Die enim, quo ingruere debebat Quartana, *libras duas ſpiritus vini* potavit, ex quo ebrius factus eſt, poſteà ſanus.

OBSERVATIO CLXVI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obſ. 138.

De Febri Maligna tumore brachii ſoluta.

AUriga Annorum XLV, bilioſæ temperiei, Anno 1702. menſe Octobris in Xenodochio Sanctæ Mariæ Novellæ, ægrotabat Febri Maligna adeò ut ad ſancta ſacramenta confugere opus fuerit; Multa tentata fuerunt remedia ab Arte noſtra præſcripta, aſt omnia incaſſum, donec tandem die vigeſima morbi dolor, indè tumor magnus in ſiniſtro brachio apparuit, quo ſuppurato, ac curato, Æger perfectè convaluit; & quod notabile fuit, ſanies, quæ prima ex abſceſſu prodiit, atra fuit, fuliginis colore.

OBSERVATIO CLXVII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obſ. 139.

De Dolore Capitis pertinaci, nullis cedente remediis in Canem tranſplantato.

MUltas & curioſas hiſtorias de morbis tranſplantatis refert Eruditiſſimus *Frommannus in* ſuo pulcherrimo, ac doctiſſimo *Trac-*

tatu de Fascinatione pag. mihi 1002. *& sequent*: Inter alia elegans exemplum ipsi communicatum, à *Clariss. Dn. D. Georg. Abrah. Mercklino*, Medico olim Norimbergensi Feliciss. narrat de Lanione, qui Podagra affectus carnem crudam bubulam afflictis pedibus detinuit, postea removit, & cani imposuit; Lanio convaluit, Canis verò podagricus factus; Quâ de re similem fermè casum ego nunc narrare in curiosorum gratiam volo, hoc Anno 1702. mense Septembris observatum, in quodam Milite præsidii nostri Ferrariensis, ætatis annorum XXIX. robustæ temperaturæ, & corporis quadrati, Hic verò Miles afficiebatur sævo Capitis dolore, qui nullis cedebat remediis seu Pharmaceuticis, vel Chirurgicis, imò semper magis illum torquebat, tandem desperatus, à Vetula edoctus, in urina propria ovum coctum comedendum cani venatico exhibuit, sicque sanus evasit, non sine admiratione.

OBSERVATIO CLXVIII.

Ex Miscellan. Natur. Curiso. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 140.

De Fluore albo, Salivatione sponte orta, sanato.

SAlivationem tam naturalem, quam arte suscitatam plures curasse infirmitates notavi ego in mea exercitatione de saliva humana, nuper typis data. Hîc autem ei addere mihi liceat sequentem observationem de Fluore albo Salivatione spontè orta sanato in Muliere quadam quadragenaria, quæ diuturno albo Fluore laborabat hoc anno Mense Augusti, à quo, post multa remedia frustrà tentata, salivatione magna spontè orta, protinus liberata est.

OBSER-

OBSERVATIO CLXIX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 141.

De Phthisi a Vermibus.

DE Nobili, desperata Phthisi diu presso, tandemque mortuo, narrat insignis ac eruditissimus *Dn. D. Christ. Franc. Paulinus in Cynograph. curios. Sect. 4. cap. 8.* cui defuncto ex ore innumeri prodiêre Vermiculi rubri capitis; Similemque casum refert *in* suis *Observat. Borellus*; Pariter Ego hoc Anno 1702. Civem Ferrariensem ætatis annorum L. observavi Phthisicum, cujus ex ore sæpè Vermes non exigui prodibant.

OBSERVATIO CLXX.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 142.

De Gonorrhœa pertinaci, rotulis nostris fugata.

QUidam Conjuges à triennio laborabant Syphilide; Vir labem contraxit per ulcera in pudendis, hinc in ore, subsequentibus Gonorrhœa, Alopecia, & Artuum doloribus; similia symptomata supervenerunt Conjugi; Aliquo adhibito specifico antivenereo purgante, cuncta remissa fuêre, & Vir penè liber videbatur, sed renovata cum uxore copula recruduit in eo Gonorrhœa; Hæc igitur in utroque rebellis perseverabat, cum artuum doloribus pro Cœli inclementia, tingebat enim indusia virenti flavedine, licet primo introitu præmonstraret albedinem; In Viro erat remissior, indolens, & diluto seminali liquamine paulatim extillans; ætas utriusque consistens, utriusque habitus gracilis, temperamentum autem Viri sanguineo-melancholicum, Fœminæ bilioso-melancholicum; Me vocarunt in auxilium, ut si aliquod arcanum ad Gono-

Gonorrhœam haberem, ipſis exhiberem, ut morbi radix, & ſymptoma proſtatarum, atque erodentium ſuccorum, & ſalium in membranis muſculorum, ac ligamentorum dyſcraſia funditus extirparetur; Quocirca prius purgato communiter corpore; ſequentes rotulas contra *Gonorrhœam* à me pluries in aliis caſibus feliciter expertas, præſcripſi, quibus quotidiè aſſumptis manè jejuno ſtomacho, intra quindecim dierum ſpatium ſani Conjuges evaſêre; hæc verò rotularum eſt deſcriptio genuina: ℞. *Ligni Sancti limati, Corticum ejuſdem, Salſæparillæ electæ, Suberis pulveriſati, Coriandrorum præparat., Cinnamomi electi, Roſarum rubrarum, Cornu Cervi uſti, ana,* ℈.j. *Miſce, & pulveriſentur omnia ſubtiliſſimè & cum ſaccharo & aqua Lactucæ Q. S. fiant Rotulæ S. A.*

OBSERVATIO CLXXI.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obſ. 143.

De Umbilici Hæmorrhagia.

HÆmorrhagiam Umbilici ſe obſervaſſe ſcribit in quodam Apothecario *Guiliem. Fabricius Hildamus in Cent.* 3. *Obſerv.* 37. talemque Sanguinis effluxum etiam Ego hoc anno 1702. notavi, in quodam Mirandulenſi, qui febri continua correptus, die morbi undecima, ſpontè Sanguinis fluxione per Umbilicum excitata, per quam libræ duæ cruoris emanarunt, & nullo alio tentato ad febres remedio, nec ope remediorum hæmorrhagia cohibita, ſed ſponte ceſſante, perfectè convaluit, & nunc D. O. M. favente, ſanitate gaudet inculpata.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obſ. 144.

De Abdominis Tumore ſponte ſanato.

PUella quædam à Nobilibus parentibus nata, tumore ventris laborans, Hydropica cenſebatur ab omnibus, & cùm Umbilicus promineret, Me jubente, apertio ejus facta à Chirurgo fuit, per quam puris laudabilis libræ ſex boni ponderis effluxerunt; nulloque alio adhibito remedio, niſi vini ablutione omninò ſanata fuit, notandum tamen, etiam per alvum, aliam puris partem excretam fuiſſe ipſo tempore, quo foramen erat apertum in Umbilici prominentia.

OBSERVATIO CLXXIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obſ. 202.

De Brachii dolore ex imaginatione.

CUrioſam obſervationem circa imaginationis effectum refert *Clariſſ. D. P. Malebranche lib. 2. de Inquir. Verit. cap.* 7. de Ancilla quadam, quæ candelam admovebat dum Ægro cuidam vena pedis incidebatur, & ſimul ac illa ſcalpellum vidit infixum, tantus pavor ipſius invaſit artus, ut per triduum, aut quatriduum, in eodem pedis loco, quem viderat incidi, ſenſerit dolorem adeò acerbum, ut per illud tempus in lecto decumbere coacta fuerit; hujuſque cauſam refert in ſpiritus in illas partes corporis ſeſe violenter diffundentes; ſimilem caſum in Adoleſcente quodam noſtro Ferrarienſi hoc Anno notavi; Hic attentè cùm conſpexiſſet Chirurgum phlebotomantem in Brachio dextro Sacerdotem Pleuritide correptum, poſt duas horas incidit in dolorem brachii dextri valdè moleſtum, & præſertim in loco, ubi vena brachii cephalica in Sacerdote prædicto

secta fuerat; qui dolor spatio duorum dierum perseveravit, donec suborta ephemera evanuit; Febris verò sudore terminavit feliciter.

OBSERVATIO CLXXIV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 203.

De Variis in Anatome repertis.

NOnnulla collegit, quæ raro in Anatome reperiuntur *Reald. Columbus Cremonensis de re Anat. lib.* 15. lectu dignissima, ac maximæ utilitatis; Pariter Ego nonnulla inpræsentiarum notare volo, observata in cadaveribus & hominum, & brutorum, cultro anatomico subjectis: Primò igitur in Cane venatico non duos *Renes*, sed unum tantum offendi in dextra abdominis parte, molis tamen majoris ac sunt Renes ordinarii aliorum Canum. Secundò, *Lapillos plures* rubri coloris *in Jecore* cujusdam Pauperis febri maligna correpti ac extincti; Tertiò, *Vermem* sat crassum, & longum *in vesica* alicujus Sacerdotis Romandioli; Quartò, *Puellum imperforatum*, id est, sine ani foramine, tertia ab ortu die mortuum; Quintò, *duas linguas* in Cane. Sextò, *tumorem in Corde* cujusdam Vetulæ annorum LXIII. Septimò, *duplicem vesicam* in Sue; quæ tamen Vesicæ, una sub alia jacebant atque in unum tantum collum terminabant; Octavò, *Testes* non in scroto sed *in abdomine* absconditos, in tribus subjectis; Imo in Adolescentis Pleuritide mortuo *tres testes* inveni; Nonò, in Thoracis cavitate *magnam aquæ citrinæ* quantitatem *in Cadavere* Fabri lignarii Ferrariensis febri continua & cardialgia denati Anno 1700. Mense Novembris. Decimò Tandem *Pulmones* in pluribus *pleuræ* partibus *connexos*, nunc in uno tantum latere, nunc in ambobus, in variis corporibus humanis animadverti meisque ostendi Auditoribus.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXV.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 204.

De Chirurgia Insuforia in Canibus.

MUlta experimenta circa Insusoriam Chirurgiam se fecisse refert *Clariss. Georgius Baglivus* Prof. Roman. mihi Amicissimus; Ego hîc nonnulla notabo circà idem opus à Me ope insusoriæ, observata.

I. Catulo ligato ad tabulam, venam aperui Jugularem sinistram, & exiguam *aquæ fortis* quantitatem injeci, & vix terminato opere, adhuc ligatus catulus mortuus est; aperto cadavere Sanguinem in jugulari omninò coagulatum reperi; Viscera verò sana erant.

II. Per Syringam injeci pariter in jugularem alterius Canis majoris ad tabulam, ut suprà benè ligati, uncias tres *aquæ communis*, post modum ligato vulnere, tremore correptum fuit Animal duarum horarum spatio perdurante; Cæterùm benè se habebat, & nunc sanus vivit.

III. Cani fœminæ gravidæ cruralem dextram secui, atque injeci *Spiritum vini* ad pondus unciæ unius boni ponderis; clauso vulnere, passa est canis horrores universales, & abortum die sequenti, attamen sana evasit.

IV. In meo prædio, Asello alioquin sano, aperui cruralem sinistram & ope syringæ *Aquæ Cinnamomi* unciam injeci; Clauso exindè, & fasciato vulnere, per diem integrum non comedit, neque bibit; postea comedere incepit, & nunc sanus vivit, solummodò color pilorum mutatur in dies; Quin eodem die Caprum ligavi alioquin sanum, eique cruralem pariter lævam aperui, atque injeci mediante infusoria ℈.j. boni ponderis *Spiritûs Salis dulcis*, statimque vulnus claudi curavi; Notavique, Caprum in gyrum rapi multo temporis spatio; indè humi stratus per diem integrum mansit absque cibo & potu, & urinam copiosè emisit;

 alia

alia verò subsequente die comedere incepit, nunc sanus vivit, è domestico verò, qui antea fuerat, evasit sylvester, ita ut nunc non solùm ab hominibus sed ab animalibus etiam fugiat.

OBSERVATIO CLXXVI.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Decur. III. Ann. IX. & X. Obs. 205.

De Scabie crescente Luna aucta.

CAlculi dolores Luna crescente auctos notavit *Dn. D. Vitus Riedlinus in suo Itinere Medico pag.* 34. qui locus à me lectus in memoriam revocavit id, quod Observavi Anno 1699. in quodam Milite Scabie laborante per XVII. Menses; quæ Scabies crescente Luna ità crescebat; ut præter naturam intumescentes manus, genua, & pedes, motum progressivum impedirent, adeò ut spatio trium, vel quatuor dierum in lecto decumbere Miles cogeretur, quovis mense primo scilicet novæ Lunæ tempore; Pariter mihi narravit Vir fide dignus, se vidisse Clericum Regularem, qui in principio cujusvis Lunæ, sævo dentium dolore afficiebatur spatio duorum dierum perdurante; dentes autem bonæ erant qualitatis.

OBSERVATIO CLXXVII.

Ex Miscellan. Natur. Curios. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 206.

De Urina Frigida in Febre Maligna.

URinam frigidam emissam à Muliere febricitante observavit *Excellentissimus Bernhardinus Tombinus*, quemadmodum legitur *in Actis Philoexoticorum Brixiæ num.* XXX. Ego autem Anno 1703. testor, Militem quendam febri maligna correptum me vidisse, quæ eum ad deliria & convulsiones usque deduxit, is verò, quod admirabile fuit, urinam frigidam emittebat, quô viso, subsequuturæ

turæ mortis indicium pronuntiare non dubitavi; quod etiam evenit; nam die morbi ſeptima æger extremo ceſſit Fato.

OBSERVATIO CLXXVIII.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Decur. III. Ann. IX. & X. Obſ. 207.

De Diabete ſolo Aquæ ferratæ uſu curato.

PAuperculus quidam, ætatis annorum XLI. temperiei bilioſæ, urinæ detinebatur profluvio; ita ut uno tantum die triginta libras urinæ redderet, hinc ſitis intolerabilis orta eſt, ita ut quavis nocte pluſquam libras novem aquæ communis ebiberet; Ego in conſilium vocatus, *aquam ferratam* potandam, pro remedio propono; alia enim pharmaceutica remedia potentiora paupertas Ægroti non permittebat; & hoc ſolo auxilio brevi convaluit; nuncque ſanus vivit; Pariter recordor Anno 1701. Menſe Julii *aquæ ferratæ* uſu Religioſum quendam Me curaſſe ab immani Dyſenteria, ac Mulierculam Anno 1702. nimio menſium fluxu laborantem hoc eodem præſidio ſanatam me vidiſſe memini; hanc *aquam ferratam* in curatione Diabetis laudat *Lazar. Riverius in Prax. Medic.*

OBSERVATIO CLXXIX.

Ex Miſcellan. Natur. Curioſor. Decur. III. Ann. IX. & X. Obſ. 208.

De Febri tertiana ſimplici, cum ſurditate ſymptomatica.

ADoleſcens Nobilis tertiana Febri corripitur hoc Anno 1704. Menſe Junii; & cum incepit rigor ac vomitus, ſurditas pariter aggreditur, creſcente Febri augetur ita, ut in paroxyſmi febrilis augmento nec campanarum ſonitum, nec tympanorum ſtrepitum, neque tubarum clangores audiat; Aſt declinante febre,

paulatim cessat surditas, & sensim auditum recuperat; cessante autem omninò tertiana, omninò pariter surditas evanescit.

OBSERVATIO CLXXX.

Ex Ephemerid. Curios. Cent. I. & II. Obs. 39.

De Verminoso Abdominis Tumore.

ADolescens Annorum XIV. post dolores circa umbilicum in Abdomine internè subortos, febre continua quatuordecim diebus laboravit; hinc apparuit quidam tumor mollis distans ab umbilico ad tres digitos in parte dextrâ, & hoc in abscessum mutato, absque ullo Chirurgico auxilio, sanies in magnâ effluxit quantitate & copiâ: hinc post aliquot dies Vermes plures teretes viventes exière mediocris magnitudinis; Abcessus verò post eruptionem, quamvis validiora ac præstantiora per Expertissimum Chirurgiæ Professorem ad curationem vocatum, remedia adhibita fuerint, neutiquam tamen ad perfectum statum salutis restitui ac redigi potuit; quia materies ichorosa, & putrida assiduè emanebat, ex quo magna ac summa emaciatio supervenit, cum virium jactura; unde tandem miserè ex hac vita in æternam migravit Patiens. Aperto post obitum Cadavere, statim sublatum fuit dubium de loco, ubi lumbrici memorati fuerunt producti; fuit enim notatus, & diligenter observatus canaliculus quidam membranosus calami scriptorii magnitudinem, & latitudinem quatuor digitorum adæquans, ducens originem à tunicâ internâ Intestini Ilei usque ad Peritonæum protensus, per quem vermes ab Intestino transibant, & per abscessum apertum exitum sibimetipsis parabant; Ex hac observatione confirmatur opinio illorum Doctorum, qui dicunt in nostro Corpore Humano de facili posse produci diversas concretiones, membranosas nimirum, carneas & novos ductus, & receptacula juxta nostri corporis indigentiam pro variis usibus exequendis.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXI.

Ex Ephemerid. Curiof. Cent. I. & II. Obf. 40.

De Puella nata cum Variolis.

NArrat Clariff. D. *Franciscus Mauriceau*, Chirurgus Parifinus, *in* fuo *Tract. de morbis Gravidarum & Puerperarum Lib.* 1. *cap.* 2. fe ortum fuiffe Variolis affectum, quod licet rariffimum fit, attamen aliquando accidit, ut Ego obfervavi ter in praxi meâ; & præcipuè Anno elapfo 1705. menfe Octobris die quarto in Puella, quam octimeftrem peperit Uxor cujufdam Fabri ferrarii Ferrarienfis, morbo acuto detenta, quæ fcilicet filiola in auras vitales edita comparuit toto corpore variolis fœdato, magna & Matris & Parentum admiratione; mortua autem eft hæc Puella tertio à nativitate die.

OBSERVATIO CLXXXII.

Ex Ephemerid. Curiof. Cent. I. & II. Obf. 41.

De Menftruis Vomitu evacuatis.

HIftorias Vomitus Sanguinis Menftrui varias legimus, quibus fequentem addere mihi nunc liceat. Anno 1700. Menfe Junii vocatus fui ad vifendam Filiam cujufdam Mercatoris noftri Ferrarienfis Annorum xxiv. quæ à tribus menfibus fuppreffionem Menftruorum paffa, petebat auxilium; purgato corpore, & bis miffo è vena pedis fanguine, Vomitu fanguinis tentatur per vices repetente, ita ut intra quatuor dierum fpatium libras penè quatuor cruoris evomuerit; Iterum Menfibus fequentibus per vomitum catamenia fluxêre; donec tandem meo confilio Conjux facta, ac brevi gravida non amplius talem vomitionem eft experta; nunc fana vivit, & plurium filiorum eft parens; fimiles cafus videat curiofus Lector in *Mifcel-*

Miſcellan. Acad. Nat. Curioſ. Ann. 4. *&* 5. *Decur.* 1. *pag.* 63. *Ann.* 6. *&* 7. *ejuſd. Decur. pag.* 83. *Ann.* 2. *Dec.* 11. *pag.* 251. & alibi & præſertim *Apiar. Clariſſ. D. Harderi obſ.* 22.

OBSERVATIO CLXXXIII.

Ex Ephemerid. Curioſ. Centur. I. & II. Obſ. 42.

De Catameniorum fluxu non aſſueto tempore in variis Fœminis.

IN Praxi Medica facienda multas obſervavi Mulieres poſt quinquageſimum ætatis annum Menſtruo fluxu ordinata periodo præditas, aliaſque Puellas, quæ ante decimum ætatis annum Catamenia viderunt; Sic Famula quædam Monialium eſt hîc Ferrariæ ſeptuagenaria, quæ quovis Menſe fluxum patitur Menſtruorum ſpatio quatuor dierum perdurantem; Pariter Uxorem cujuſdam Judæi novi annorum LXIX. Menſtruatam. Idem obſervavi in honeſtâ Viduâ annor. LXXII. & in quadam Ruſticâ annor. LXVII. & in aliis multis annor. LV. & ultrà; Vidi pariter filiolam Sarcinatoris annorum quinque Catameniorum fluxum patientem; ſimiliter filiam Civis cujuſdam noſtri annorum ſeptem Menſtruatam obſervavi; ac de alia quatuor tantum annorum idem notaſſe faſſa eſt mihi nuper Obſtetrix fide digna.

OBSERVATIO CLXXXIV.

Ex Ephemerid. Curios. Cent. I. & II. Obſ. 43.

De Acicula deglutita cum Urina excreta.

PUer quidam annorum quatuor, Filius Fabri lignarii Ferrarienſis, invenit humi jacentem aciculam in quodam cubiculo, eamque deglutivit; Deſperati Parentes me in conſilium vocant, ſtatimque juſſi, ut paſtam triticeam cum butyro coctam, aliaque oleoſa & pinguia

guia exhiberent, ut ſic inviſcata acus deglutita ſine noxâ per alvum expurgaretur; quare ſub veſperam *Conſervæ Roſarum & Caſſiæ recens extractæ, ana,* ℥. ij. propinavi; Verùm natura, quæ ſola vias nobis incognitas adhuc in corpore humano cognoſcit, ac ſtato tempore aperit, per vias Urinæ aciculam ſine ulla Puelli noxa dimiſit magna Parentum admiratione, & hoc ſecunda die à deglutitione acus. Similia exempla rerum ſcilicet deglutitarum, per inſolitas vias è corpore humano ejectarum, paſſim leguntur apud noſtros Autores & præſertim apud *Joh. Schenckium lib.3. Fabricium Hildanum, Alexand. Benedictum, Langium, Helmontium, Chriſt. Frid. Garmannum, Diemerbroeck*; & alios tam Antiquos, quàm Recentiores.

OBSERVATIO CLXXXV.

Ex Ephemerid. Curioſ. Centur. I. & II. Obſ. *61.*

De Angina ex retentione muci Narium.

DE Colico dolore cujuſdam Mercatoris, à retentione mucoſitatis narium orto meminit jam *Clariſſimus Dominus Joh. de Muralto, Vir omni eruditionis genere inſtructus*; *in Miſcell. Academ. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann.* 8. *Obſerv.* 13. Et Ego Anno 1701. menſe Februario obſervavi Monachum quendam, qui magno fluxu muci per Nares cum capitis gravedine afficiebatur; quo repente ſuppreſſo, incidit in Anginam; ut nihil omninò deglutire poſſet; aſt ſectis ſub linguâ venis, & ſanguine ad libram unam extracto, brevi dierum duorum ſpatio ſanatus eſt; & quod notatu dignum fuit, cùm convaleſcere incepit, muci etiam fluxus per nares rediit; & ſic quod fuit cauſa morbi, extitit & cauſa ſalutis.

OBSERVATIO CLXXXVI.

Ex Ephemerid. Curios. Centur. I. & II. Obs. 62.

De Mania in Puero Castratione curata.

PUellus maniacus Annorum septem, plura expertus remedia incassum, tandem Castratus convaluit; quæ observatio convenit cum *Observ. 32. Samuelis Formii Riverio* communicata, de Adolescente Maniaco, ad cujus curationem potentissima usurpata fuerant remedia, ita ut ventum fuerit ad *Antimonii* usum, ad *Trepanum*, & ad *Arteriotomiam* temporum, at cùm omnia illa nihil conferrent, ad *Castrationem* deventum est, qua instituta remissa fuêre omnia symptomata, & furor omninò cessavit, manente tantummodo Delirio Melancholico, ita ut Mania in Melancholiam versa fuerit; quod tamen in meo casu non accidit, nam nunc sanus omninò vivit.

OBSERVATIO CLXXXVII.

Ex Ephemerid. Curios. Cent. I. & II. Obs. 63.

De Alvi fluxu periodico.

PUellus quidam Ferrariensis ætatis annorum novem, Anno quarto Dysenteria laboravit, à qua difficulter liberatus est; post quam affectionem, quovis mense, crescente Lunâ, diarrhœa tentatur per duos, tresve dies; & hoc symptoma à quarto anno, usque ad nonum, qui præsens est, continuat; multa tentata præsidia, sed omnia frustranea fuerunt.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXVIII.

Ex Ephemerid. Curiof. Centur. I. & II. Obf. 64.

De Ulcere ex Vefpæ punctura.

RUftica quædam Fœmina à Vefpâ puncturam in facie fub oculo dextro paffa eft, ex qua protinus natus eft dolor, & inflammatio; quæ non ceffavit, nifi per abfceffum, quo rupto ortum eft ulcus, quod difficulter fanatum eft, & nonnifi trium menfium fpatio; fimilem, imò pejoris eventus hiftoriam, Me legiffe recordor in *Centur. 4. Obferv. Chirurg. Guil. Fabricii Hildani n.* 78.

OBSERVATIO CLXXXIX.

Ex Ephemerid. Curiofor. Centur. I. & II. Obf. 65.

De Morte ex fuppreffo Judore.

SUdores aliquid venenofi intra fe continere credidit, non fine aliqua probabilitate Illuftris Anatomicus D*aniel Tauvry in fuâ novâ Anatom. part. 2. cap.* 10.; liberant enim à doloribus arthriticis, qui nonnifi à falibus acerrimis oriri poffunt, liberant à pefte; ac infenfibilis tranfpirationis interruptio Febres putridas, ac malignas producit, quæ omnia non poffunt contingere, nifi fudores valdè corrofivum quid continerent; Hoc autem apparuit maximè menfe Octobri Anni 1704. in quodam Hortulano alioquin fano, ætatis annorum xxxIII. qui ex fuppreffione confueti fudoris incidit in febrem malignam tantæ ac talis acutiei, ut quatuor dierum fpatio mortuus fit, fruftrà tentatis alexipharmacis, fanguinis miffione per cucurbitulas fcarificatas, aliifque remediis, quæ Ars Medica, & temporis brevitas fubminiftrare poterant. Recordor etiam Mercatoris, qui à fuppreffo fudore in Ophthalmiam contumacem incidit, & ab hac tandem in cœcitatem, fine ullâ fpe vifionem

recuperandi: Colligere hinc liceat quantæ necessitatis sit sudoris excretio, & è contrà quantum damnum afferat hominibus ejusdem suppressio.

OBSERVATIO CXC.

Ex Ephemerid. Curiosor. Centur. I. & II. Obs. *66.*

De Calculo in dextrâ Maxillâ.

CIvis quidam Mantuanus toto juventutis suæ tempore Calculo vesicæ laboravit, adeò ut quinquagesimo ætatis suæ Anno lithotomiam passus sit, & ex ejus vesicâ calculus magnitudine ovi columbini extractus fuerit: postmodum verò in dextrâ maxillâ dolorem sentire cœpit, cum tumore in mandibulâ exteriùs apparente, quo aperto, extractus fuit lapillus granum fabæ æmulans, durus, ac rotundus inæqualiter; Similem casum Lector curiosus videre potest *in Act. Philexoticor. Nat. & Art. Brixiæ Mens. Junii N.* 32. *pag.* 83.

OBSERVATIO CXCI.

Ex Ephemeridi. Curiosor. Cent. I. & II. Obs. 67.

De ingenti ac subita Mammarum inflatione.

CUriosum valdè fuit symptoma, quod accidit Anno 1704. cuidam Fœminæ honestæ ætatis annorum XXIX. hæc enim bona fruebatur valetudine, & naturali catameniorum fluxu tentabatur, quo tempore sibi pedes abluit, & illicò menses stetêre, ac tumor & dolor in Mammis ortus est, nocte verò, ad tantam magnitudinem ubera pervenêre, ut surgere nec è cubili, nec se movere potuerit; donec bis phlebotomiam passa in utroque pede, sic intrà triduum sana facta est, & Mammæ ad naturalem statum rediêre; Historiam au-

autem penè similem Me legisse recordor in *Act. Philosoph. Angl. Oldemburgi Ann. 1669. mens. Octobr. observ. 3.*

OBSERVATIO CXCII.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. I. & II. Obs. 68.

De Febre periodica lunari.

RAram Febrem Anno 1706. observavi in quadam formosissima Juvene annorum XXI., virgine, & boni corporis habitûs; hæc primò passa mensium suppressionem, posteà in febrem incidit cum rigore, ac vomitu incipientem, atque in sudorem terminantem spatio horarum decem, quæ febris prima Lunæ quadra redibat, postea in Plenilunio, tandemque in ultima quadra; & ita perseveravit per tres menses, quibus elapsis sponte febris cessavit; & catameniorum fluxus iterùm advenit.

OBSERVATIO CXCIII.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. I. & II. Obs. 181.

De Hydrope Sanato.

ARtificem quendam nostrum Hydropicum, ætatis XLIV. annorum curandum habui, cui venter in tantam excreverat molem, ut indies ruptus videretur, & æger pro deplorato haberetur; qui tamen, Deo adjuvante, solo *diureticorum* usu à Me sanatus fuit; sumebat enim quotidie libram unam *Aquæ Ononidis* cum ℈.j. *Spiritus Salis dulcis*, inde *Aquam Villensem cum succo Limoniorum*; & sic apertis urinæ viis, profusa per vesicam incredibili lymphæ copia, convaluit. Aliusque Medicus, fide dignus, amicus meus, retulit, se Puellam asciticam curasse ope *succi herbæ Cochleariæ* ad unciam unam, quovis mane exhibiti, jejuno stomacho, cui additæ fuerunt guttæ novem *Spiritus Chalcanthi*, unde copiosæ urinæ red-

ditæ ſunt. Similem caſum etiam notavi *in Miſcell. Cur. Dec. III. ann. 4. obſ. 74.*

OBSERVATIO CXCIV.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. I. & II. Obſ. 182.

De ſubita Morte ex percuſſione regionis Ventriculi.

PErcuſſam cum impetu Stomachi regionem Mortem ſubitaneam inferre, docet D. *Dominicus Miſtichellus in ſuo tractatu de Apoplexia lib. 1. cap. 6.* quod Anno 1709. verificatum notavi in adoleſcente Filio cujuſdam Militis noſtri, qui poſtquam in terram procidit, atque Stomachi regionem ſuper ſaxum magna violentia percuſſit ſtatim mortuus eſt.

OBSERVATIO CXCV.

Ex Ephemeridib. Curioſ. Cent. I. & II. Obſ. 183.

De vi admiranda Digeſtionis in quodam Bajulo.

FErmentum Ventriculi digeſtivum miram vim habere oſtendit *Ill. D. Anton. Valliſnerius, Prof. P. Patavinus in eruditiſſimo ſuo opere de corporis humani vermibus pag. 20.* Liceat mihi notare, quod in Bajulo quodam obſervavi. Hic annorum ætatis XXXIX. robuſti temperamenti, carnes & piſces licet crudos ſine nauſea comedebat, ova cum teſtis ſuis, vitrum, carbones, funes, corium, oſſa animalium fracta tamen prius malleo, fœnum; herbas quaſcunque crudas, & ligna. Aſt elapſa hebdomada audivi à Rev. Sacerdote, ipſum poſt comeſtionem non exiguæ quantitatis calcis domi ſuæ, ſupra montes Veronenſes poſitæ, ex dolore Iliaco mortuum eſſe.

OBSERVATIO CXCVI.

Ex Ephemeridib. Curioſ. Centur. III. & IV. Obſ. 21.

De viribus Aquæ vitæ.

AQuæ ardentis uſum etiam antiquis temporibus in Medicina locum habuiſſe, teſtatur *Jo. Mich. Savonarola in libro de ea conſcripto.* Ejuſdem uſum Ego quoque pluries feliciter expertus ſum. Ad ulcera optimam eſſe obſervavi; & enim ſine tanto unguentorum apparatu, ſola impoſitione *ſpiritus vini* & mundificatio & incarnatio ſucceſſit. Ita ſimplices contuſiones eâdem curatas non ſemel vidi. Vulnus ea curatum in milite notavi *in Miſc.Nat.Cur.Dec. II. Ann.* 10. *Obſ.* 134. Hæmorrhagiam contumacem ab evulſo dente molari in quodam Ruſtico ſola ea cohibui. Scabiem curatam ſola, ſed frequenti, lotione cum *aqua vitæ*, Anno 1711. in quadam Adoleſcentula ab omnibus unguentis abhorrente deprehendi. Vomitum in Muliere gravida immanem uſu *Spiritus vini* extra & intra per plures dies adhibiti compeſcui. Famulus quidam eryſipelate phlegmonode in dextra manu laborans meo conſilio eum parti affectæ appoſuit, unde dolor ac inflammatio ceſſavit. A. 1710 tumores quidam genarum cum dolore dentium populariter graſſati ſunt, quos feliciter curavi internas oris partes ſæpè cum eo eluendo, unde ſalivatio ſuborta morbum fugavit. Honeſta quædam Fœmina annor. XL. hinc inde in coxis, brachiis, utroque cubito & dorſo maculas habebat elevatas, rubras, aſperas & ſerpentes, atque de novo ſubinde erumpentes, quam priùs purgato corpore, & ſola frequenti lotione *aquæ vitæ* ſanavi. Impetiginem in facie & collo, ſola hac, in qua tartarus fuerat ſolutus, appoſita bis ſanatam vidi. Vir quinquagenarius moleſto hæmorrhoïdum dolore conflictatus cum modica inflammatione, adhibito cataplaſmate ex *Cepa cocta & aqua vitæ* parato, intra biduum ſanus evaſit.

OBSERV.

OBSERVATIO CXCVII.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. III. & IV. Obſ. 59.

Urina Verminoſa.

JUvenis cùm per concubitum venereum gonorrhœam virulentam contraxiſſet, non ſine ſummo ardore urinæ, poſt triginta dies ſanguinem purum mingebat, inde purulentam urinam excernebat, quæ diligenter obſervata multos vivos Vermiculos, quales in aceto notantur, exhibebat per lotium natantes; quod ad plures dies continuabat, donec per multum tempus aſſumpto *Salſæparillæ decocto* perfectè convaluit. Similes caſus urinæ verminoſæ *Cl. D. Roſ. Lentilius, Medicus Stutgardienſis Doctitiſſimus, in Parall. ad Dec.* 1. *Ann.* 8. *obſ.* 11. *Miſcellan. Acad. Natur. Curioſor.* recenſet: Vide etiam *Zodiac. Med. Gall. Ann.* 1. *Menſ. April. Obſ.* 2.

OBSERVATIO CXCVIII.

Ex Ephemeridib. Curioſ. Cent. III. & IV. Obſ. 60.

Arteriotomia.

ARteriotomiam non tam periculoſam eſſe, qualem olim ob metum aneuriſmatis crediderunt, Neoterici contendunt, imò *Cl. Paulus Barbette*, poſtquam docuit modum, quo hæc operatio ritè inſtituitur, addit, hanc optimum eſſe præſidium in Cephalæa, Mania, Epilepſia, & Oculorum affectibus; idemque comprobat *in ſuis Act. Med. præſtantiſſimus Thom. Bartholinus ann.* 1671. *num.* 4. Et Ego teſtor, pluries hanc operationem feliciter ceſſiſſe.

Sic in Muliere quadragenaria ſævo Occulorum dolore affecta, ſecta temporali Arteria à Chirurgo experientiſſimo Dominic. Ferreto

reto in Xenodochio S. Mariæ novellæ Ferrarienſi meæ curæ commiſſo, melius ſe habere incepit. Pariter Anno 1705. dum Lauretum petebam, in Romandiola Ruſticum Maniacum ope arteriotomiæ ſanitati reſtitutum vidi. Adoleſcentem Epilepticum, Piſtoris cujuſdam Tridentini filium, annorum tredecim poſt Arteriotomiam in utroque tempore inſtitutam, ſanatum fuiſſe obſervavit Parochus fide dignus. Honeſta Fœmina ætatis annorum XXXIX. per multos dies affligebatur graviſſimo Capitis dolore circa frontem & ſupercilia, qui ſingulis propemodum horis recurrebat, tam acutus, ut ſibi Caput cultello aperiri ſemidelirans optaret, & ſi quis cubiculum ingrediebatur, clavum ſibi Cerebro infigi videretur; ſola verò Arteriotomia in utroque tempore celebrata, ſana evaſit. Denique in pertinaci Ophthalmia ter in praxi mea feliciter ſum uſus tali Chirurgico præſidio in utroque ſexu, & præſertim Anno 1711. menſe Maji in Puello poſt Variolas Ophthalmia pertinaci laborante.

OBSERVATIO CXCIX.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. III. & IV. Obſ. 61.

Maligna Febris Dentium caſu finita.

HEmerodromus quidam Anno 1710. annorum ætatis ſuæ XXVI. Febri acuta & maligna correptus fuit, cum peſſimis ſymptomatibus, quæ, licet ſeptimâ viderentur ſopita, undecimâ die rurſus invalescebant; aderat Phrenitis, Convulſio, Vomitus, Alvi fluxus, cum Singultu ac Syncope; tandem parotides apparuêre, quibus ſuppuratis mitiora facta ſunt ſymptomata; & Febris die vigeſima ceſſavit, Dentes verò unus poſt alium ſponte, capilli etiam intra triduum à cute capitis ſeparati, ſponte pariter ceciderunt.

OBSERVATIO CC.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. III. & IV. Obſ. 62.

Quædam rara in Anatome reperta.

IN Cranio cujuſdam Militis Anno 1709. menſe Januarii Pleuritide extincti, obſervavi defuiſſe Suturam rectam; idemque Ann. 1689. in Cranio Mulieris, febri maligna defunctæ, me deprehendiſſe recordor.

In Surdo à nativitate, forti Apoplexia occiſo, Tympani membranam craſſiorem ac denſiorem notavi Ann. 1690. die 30. Januarii.

In tribus Aſthmate denatis ſequentia obſervavi; in primo Adoleſcente annorum XIX. totam Pulmonum ſubſtantiam ſero plenam; in ſecundo quadragenario, lapillos in dextro Pulmonis lobo; in tertio autem, qui fuerat Faber ferrarius, reperta eſt vomica in ſiniſtra Pulmonis parte.

In Corpore Canis venatici, ut ductum Pecquetianum meis oſtenderem diſcipulis, vivi aperti unicum tantùm Renem offendi.

In Phthiſico Ann. 1697. extincto totum ſuccum felleum ſaxeum reperi, ſecta enim cyſtide, Calculus pyriformis viridis coloris extractus eſt, quem conſervavi uſque in menſem Novembrem, qui Euro ſpirante, in viridem liquorem ſponte eſt diſſolutus.

Lienem rotundæ figuræ, ſubſtantiæ alioquin ſanæ, obſervavi in Cadavere ſervi cujuſdam Pleuritide extincti Ann. 1709. menſe Januarii; ſimile quid legitur *in Th. Bartholini Cent.* 1.

Anno 1710. in Lepore videre mihi licuit tres Renes, duos nimirum in dextra parte, minores tamen; unum autem in ſiniſtra juſtæ molis, omnes bonæ conſtitutionis; retulitque mihi Chirurgus quidam, ſe vidiſſe pariter in vacca duos Lienes realiter inter ſe diſtinctos & ſeparatos, ſanæ tamen ſubſtantiæ.

OBSERVATIO CCI.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. III. & IV. Obs. 68.

De Morbis Lanionum.

OMnem laudem meretur egregium opus Clarissimi Domini *Ramazzini*, Professoris P. Patavini, *de morbis Artificum*: eruditè enim ibi morbosas eorum affectiones descriptas habet curiosus Lector. Verùm quia de Lanionum morbis verba vix facit, ideò inpræsentiarum mihi liceat aliquid à me notatum exponere. Lanius igitur, sive Lanio, & Macellarius, ille turpis est artifex, qui carnes in carnario vendit, sicque dicitur, quod animalia concidat & laniet, ut ait *Calvinus in Lexic. Jurid.* Lanistæ verò a laniandis corporibus sic dicuntur, & à Laniis differunt, quoniam isti modò apud Auctores carnifices sunt, modò Præfecti ludi gladiatorii, qui gladiatoribus dictata dabant modumque pugnandi edocebant; ut testantur *Hildebrand. in Antiq. Roman. Beroaldus in Sueton. & Laurentius in Polymath. lib.* 1. Corporum autem Lanionum à Me pluries facta observatione, notavi, pravis semper succis infecta esse, vel ob pravum vivendi modum, vel ob exhalationes cadaverinas, à mactatis animalibus evaporantes, quæ in Lanii corpus introductæ fermenta, humores ac spiritus inquinare valent; unde cachexiæ sæpè oriuntur, & fœdo colore tinguntur Laniones, cum obstructionibus, & aliquandò præternaturali salivatione, ac Scorbuto. Sic duos à Cachexia in Hydropem incidisse observavi: multos Icteritia pertinaci affectos: sæpè, uti ipsi mihi fassi sunt, Vertigine corripiuntur, atque pedum intumescentia; quatenus scilicet fœtidi halitus Capitis internas partes lædunt, animalesque spiritus fugant, & in gyrum veluti agitant; nec non assiduè manendo in sordidis liquoribus pedes malè afficiuntur, atque ob ingressum illarum pessimarum particularum inflantur ac tument; Vomitu etiam ac Nausea sæpè tentantur, & præsertim cùm artis prima rudimenta suscipiunt; fœtidum etiam odorem semper exhalant: particulæ enim à sordibus

& carnibus mactatorum animalium elevatæ, in vestium porositates, ac etiam cutis ipsius corporis introductæ, semper a suo sulphure nauseosos emittunt halitus. Præterea quoniam pondera magna, & frequenter deportant, in altum extollunt, atque huc & illuc trahunt, ut sunt boum, vaccarum, vitulorum &c. cadavera, hinc est, quod etiam sæpè morbis obnoxii fiant, qui Bajulos afficere solent, ut sunt ruptura vasorum in pectore, Hernia, Gibbositas, & Varix: primus, dum spiritum continere eis est necesse, unde vasa Sanguinea nimis distenta facilè rumpuntur; secundus, quia spiritum cohibendo facilè Peritonæum relaxatur; tertius, quoniam temporis progressu, vertebris ad anteriora inflexis, habitum contrahunt in tali figura & situ; quartus demum accidit, dum contingit dilatatio venarum in valvulis, ex motu sanguinis ad superiora retardato, ob musculos crurum nimis distentos, ut ait laudatus *Ramazzinus l. c. cap.* 37. Idem etiam dicendum de Cœliopolis, vulgo Trippari, nempe illis, qui Intestina animalium purgant ac vendunt, iisdem enim morbis tentantur, atque majora patiuntur symptomata ac Laniones, & præsertim in vitio crurum ac pedum, & hoc ob assiduam atque copiosam aquarum putridarum illuviem, in qua semper versantur. Addendum etiam, quod isti ut plurimum sebaceas candelas conficiunt, ex qua operatione dolores Capitis, Vertigines, Oculorum rubor, & difficilis Respiratio oriuntur, prout legere licet ex *Olao Borrichio* in *observ.* 86. *Volum. V. Act. med. Hafn.* imo autore eodem *Ramazzino*, iidem perpetua Inappetentia, & Nausea tentantur; & fœminæ penes eorum officinas habitantes uterinis passionibus afficiuntur, *vid. cap.* 16. *de Morb. Artif.* Curiosam refert historiam *Bierlingius* in *Miscell. Curios. Dec. I. Ann.* 2. *Obs.* 207. de Lanione mucronem cultri abhorrente, ita ut si Suem jugulare vellet cultro acie prædito, linteolum involveret, clausisque oculis isti animali jugulum incideret; hic tamen casus, potius ad antipathiam, quam ad morbum est referendus. Hucusque de morbis corporis, nunc pauca de moribus addere liceat, desumpta ab autoritate *Martialis in Epigr.* 67. *lib.* 11.

Et delator es, & calumniator,
Et fraudator es, & negotiator.

Et fallator es, & Lanista, miror.
Quare non habes, Vacerra, nummos.

Quibus vitiis Laniones abundare solent, ut interpretatur *Dominic. Macrus in suo Hierolexico*: pro Lanista enim Lanium intelligit, qui lanienam, artem scilicet turpem in macello exercet. Laniones ergo ut plurimum malis moribus induti sunt, unde ebrii, blasphemi, luxuriosi, ac de facili homicidæ evadunt, sine pietate, petulantes, ac sordidi fures: rarò enim in pondere justam emptoribus mensuram porrigunt; unde sæpè hic Ferrariæ à Tribunalibus vexantur, & in carceribus detenti pœnas luunt.

OBSERVATIO CCII.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. III. & IV. Obs. 151.

De Variis observatis in Boum contagio.

ANnis 1713. & 1714. in nostro Ferrariensi Ducatu Lues contagiosa Boum adeò exarsit, ut ultimum istorum animalium excidium minaretur; maximum erat damnum, maximus erat timor, ne ab hac animalium specie in alias animalium & hominum species transiret; memores illius *Titi Livii in lib.* 41. nempe *Consulibus eo difficilior erat, quod pestilentia, quæ priore anno in Boves ingruerat, eo verterat in hominum morbos &c.* Correpti enim Boves cibum respuebant, aures subitò collapsæ procidebant, pili erigebantur, tremor penè universalis aderat, oculi lachrymabant, per nares multa lymphæ copia exibat, alvus solvebatur, & in aliquibus pustulæ sub cute prodibant, ita ut crederent aliqui, Variolis Boves ipsos affici, tandemque brevi septem dierum spatio, magno cum cruciatu, ut ex mugitu apparebat, moriebantur. Hanc esse febrem malignam contagiosam, semper sum arbitratus, quia uno affecto, statim cæteri afficiebantur, & uno mortuo, ferè omnes peribant. Et non tantùm esse malignam, sed ardentem, manifestum esse ait *Clariss. D. Nigrisolus* noster, quia patiuntur Bo-

ves affecti intensum calorem, exhalando à naribus & ore halitum similem igni; ut fatentur Mulo-medici, qui manum immissam sustinere haud potuêre: præterquam quod Boves affecti semper potarent, potarent nunquam ad satietatem; causa igitur istius febris immediata est motus fermentativus præternaturalis humorum, ortus à particulis salino-acribus arsenicalibus, quæ in massam sanguinis derivatæ ipsius compagem alterant primò, inde solvunt; undè oritur Febris maligna, contagiosa à dissolutione, & per consequens mortalissima, vel curatu difficillima.

In horum cadaverum sectione, viscera reperta sunt sana, præterquam quod in aliquibus Omasum vidi penè sphacelatum. Nonnulli Rustici Boum mortuorum ex hac contagione carnes comederunt absque nocumento. Aliqui ex Medicis credidêre, particulas illas salino-acres arsenicales cum aëre permixtas ingredi corpus horum Animalium; Alii ex pravo alimento derivatas putarunt; Multi ex humida, ac pluviosa tempestate ortas esse dixêre; nonnullis placuit corporum cœlestium influxum de hac pestilentia accusare. Ego autem puto, ex inundationibus, & intemperiebus elapsis, terram malè fuisse dispositam, ac ut ita dicam, ægrotantem, unde ex ea vapores maligni arsenicales elevati, in Bovesque introducti febrem hanc pessimam excitarunt, quod suis temporibus etiam evenisse scribit *Ammianus Marcellinus* his verbis; *affirmant alii terrarum halitu densiore crassatum, aëra emittendis corporum spiraminibus resistentem, necare nonnullos, qua causa animalia præter homines cætera, jugiter prona Homero auctore, & experimentis deinceps multis cùm tales incessunt labes, ante novimus interire.* (*Histor. lib.* 19. §. 3.) Multa fuêre experta remedia, omnia verò incassum. *Antimonium crudum cum Nitro ac Sulphure* exhibebant aliqui; *Theriacam*, *Oleum contra Pestem nostrum*, *Contraiervam*, *Absinthium*, & *Terram sigillatam*, multi *Farinam hordei*, *Camphoram*, *Spiritum Vini*, *Scordium*, *Cornu Cervi* & similia pluries repetita; Venæsectio etiam & Setacea frustranea fuêre. Ego semper judicavi inutilia fore multa, & exotica experiri remedia; unde *Seneca* ait, *medicinam herbarum scientiam esse*: suadebam igitur usum *Graminis*, *Sonchi*, *Cichorei*, *Cardui sancti*, & *Scorzoneræ* in decoctis exhibendis. Quæri posset, cur istæ particulæ salsæ & acres arsenicales solùm

sunt

ſunt Bovinæ ſpeciei infenſæ & cur hæc peſtis folùm per contactum talia inficiat animalia? cui reſponderet *Hippocrates: differre corpus à corpore, naturam à natura, nutrimentum à nutrimento.* Unde *Lucretius* cecinit.

Propter diſſimilem naturam, diſſimileſque
Texturas inter ſeſe, primaſque figuras.

Utinam interim tale flagellum ſe ſiſtat, ac nocendi finem imponat, ne perveniat

——— ad miſeros damno graviore Colonos
Peſtis, & in noſtræ dominetur mœnibus urbis.

OBSERVATIO CCIII.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. III. & IV. Obſ. 152.

De Strabiſmo ex terrore.

ADoleſcentula annorum ætatis quatuordecim cùm menſe Auguſto Ann. 1713. ruri eſſet, & ſola penes arborem decumberet, vidit per herbas adrepentem anguem ſibi vicinum, unde tanto terrore eſt correpta, ut ſenſerit

Metu riguiſſe capillos,
Et gelidum ſubito frigore pectus erat.

Ut verbis utar Poëtæ, ſubito ſic terrore perfuſa, ſurgere volebat, non tamen, uti nec clamare poterat, ſicque *obſtupuit, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit.* Ex hoc autem valido terrore Strabiſmo fuit affecta in utroque oculo, convulſione nempe muſculorum oculos moventium, quæ adhuc perdurat. Confer exempla Amentiæ & Epilepſiæ ex terrore in *Miſcellan. Acad. noſtræ Curios. Dec. III. Ann. 9. Obſ. 57. & 67.*

OBSER-

OBSERVATIO CCIV.

Ex Ephemeridib. Curiosor. Cent. III. & IV. Obs. 153.

De Usu aquæ Villensis cum cibo.

AQuæ *Villensis* usum cum cibo nuper in erudita lectione des-cripsit, ac publici juris fecit *Claris D. Matth. Regali.* Quæ mihi circa hoc observare contigit, candidè proferam. Calculosus quidam Hetruscus à pluribus annis doloribus Nephriticis vexabatur, qui sæpè usque ad orci fauces illum urgebant; tandem à vino prorsus abstinuit, atque pro potu per Mensem *Aquam Villensem* cum cibis potavit, & hoc remedio per duos Annos immunis à Nephritide evasit. Atque Sacerdotem etiam vidi quadragenarium, qui usu *aquæ hujus* cum cibo se liberavit à frequenti Urinæ suppressione, quod remedii genus à quodam Monacho Cisterciensi, olim Medicinæ Doctore se didicisse mihi retulit.

OBSERVATIO CCV.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. III. & IV. Obs. 154.

De dolore Capitis periodico in Narium hæmorrhagiam terminante.

VIduam Ferrariensem, XXXIII. annorum Mariti mortem lachrymis acriter prosequentem, & quam præ dolore menstrua defecerant, novi; quæ in plenilunio quovis mense dolore Capitis sævo afficitur, qui tamen superveniente Narium hæmorrhagia ad plures uncias iterum cessat. Similiter Anno 1709. Juvenem Centensem observavi, qui quovis mense Cephalæa cum vomitu lymphaticæ materiæ tentabatur, frustra multis propterea adhibitis medicamentis; qui tamen dolor superveniente sanguinis fluxu per Nares evanescebat, & aliquando tam largiter effusus est cruor, ut ferè

ferè ad mortem redactus fuerit Juvenis, fluxu tandem ope *pilularum Helvetii ex Alumine & sanguine Draconis conflatarum* suppresso.

OBSERVATIO CCVI.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. V. & VI. Obs. 39.

Epicarpium antifebrile.

Circa Amuletorum usum vanitatis & superstitionis multùm occurrere, semper fui arbitratus; verùm quia honestissima quædam Mulier Lucensis mihi candidè affirmavit, plures sequenti amuleto à Febre Tertiana & Quartana febri liberatos fuisse, atque experimento facto hìc Ferrariæ in quodam Famulo Quartanario, & & in Milite arcis nostræ, exitus feliciter cessit, ideo arcanum hoc, quo fœmina non paucam sibi comparavit pecuniam, in publicum profero: ℞. *Thuris in lachrymas pulverisati*, ℨ. *ij. Croci optimi, gr. X. Salis communis*, ℨ. ß. *fuliginis*. ℨ. *X. Vitelli ovi recentis num. j.* Misce, Fiat Emplastrum pulsibus applicandum ante accessionem, nec removendum usque ad finem febris.

OBSERVATIO CCVII.

Ex Ephemeridib. Curios. Centur. V. & VI. Obs. 40.

De Hydrope esu Ceparum sanato.

Adductus ad Me fuit Rusticus quidam nostri Ferrariensis suburbii, annorum quadraginta, Asciticus, ventre in immensum fere tumente, pedibus item inflatis, reliquo verò corpore consumtus, umbilicus prominebat, & crura transsudabant. Consilium petiit, fassus, se præter *potum urinæ pueri* semel in die assumtum, aliud medicamen, ob paupertatem, non assumisse: itaque *Cepas* coctas & manducatas commendo; ipse etiam quotidie iis crudis &

coctis in cibo utebatur, atque pro potu *decoctum* etiam *Ceparum* assumebat : quo factum est, ut urinam copiosè emitteret; sicque per mensem continuans sanus evasit, & adhuc salvus vivit.

OBSERVATIO CCVIII.

Ex Ephemeridib. Curiosor. Cent. V. & VI. Obs. 41.

De Ictero notabili.

IN praegressa *Centuria tertia Miscell. nostr. Curios.* historia de Ictero singulari mihi in memoriam revocat sequentem : Civis quidam noster Ferrariensis, annorum XL. mediocris habitûs, cibis copiosis & potibus generosioribus liberè indulgens, pondus cum gravi dolore in dextro latere persensit, in cujus declinatione tota facies viridi colore usque ad guttur tincta, dextra pars corporis atro colore notabatur, sinistra verò flavescebat; ita ut notabile fuerit, tres diversos colores in uno Icterico comparuisse. Urina ejus modò Viridis, modò atra apparebat, & praesertim haec, quae noctu excernebatur, atri coloris erat, quae verò in die, viridis conspiciebatur. Purgato corpore, ex usu *Salis Absinthii* ad ʒ. j. per plures dies; colorum facta est mutatio, facies enim, quae prius viridis erat, flava facta est, & pars dextra, quae atri coloris prius apparebat, flava evasit, laeva autem atrum paulatim induit colorem, & ita post vigesimum diem color unus, flavus nempe factus est, qui usu *Syrupi Cichorei cum Rhabarbaro*, per plures dies, unà cum usu *Chinae Chinae* sensim evanuit.

OBSER-

OBSERVATIO CCIX.

Ex Ephemeridib. Curiof. Cent. V. & VI. Obf. 42.

Experta in hæmorrhoïdum dolore.

Religiofum novi, qui *balfamo fulphuris* in hoc affectu utitur; Fœminam, quæ *oleum ovorum*; Puellum, qui *adipem ranarum*; & pifcatorem, qui *cepam fub cineribus coctam* adhibent. Judæum quendam vidi, qui à longo tempore ab eo vexatus, poft varia præfidia, tandem fequenti unguento fanatus eft: ℞. *Unguenti Rofati, Malvini, ana, ℥.j. Mercurii crudi, ʒ. ij. Sulphuris vivi ʒ.j. Croci. Orientalis, gr. V. Mifce in mortario plumbeo f. a.*

OBSERVATIO CCX.

Ex Ephemeridib. Curiof. Cent. V. & VI. Obf. 71.

De Sudore colorato.

Aliquos apud Perfas effe, fcribit ex *Tavernierio* Illuftr. *D. Joh. Bapt. Bianchi in Hift. Hepat. part. 2. cap. 10. pag. 137.* qui aliqua vifcerum indifpofitione detenti, verno tempore *decoctionem radicis chinæ recentis* copiosè potant, hinc ad lectum compofiti uberrimis fudoribus perfunduntur, atque fudorem flavum emittunt. Ego bis in praxi medica facienda fudores coloratos me vidiffe recordor; primò Bajulus erat annorum ætatis XXXIII. laborans maligna febre, cui circa undecimum diem delirium fucceffit, cum motibus tremulis ac convulfivis; exhibito *pulvere Bezoar. occidentalis cum aqua Cordiali Saxoniæ, Theriacali, & Scordii compofita* in maximum fudorem incidit, qui ad decimam quartam diem uf-

que perseveravit, cessantibus pravis symptomatibus, & accedente salute; notatum autem fuit, sudorem coloratum fuisse, ita ut subucula & sindones virides apparuerint. Secundò Meretrix quædam virulentia venerea affecta, cum nodis & ulceribus, ad *Decoctum Guajaci* & *Salsæparillæ* confugit; concitato sudore, hic apparuit odore fœtidus, ac colore ater, ita ut totam penè cutem tinctam observaverimus unà cum indusio & linteis; & quod notabile insuper fuit, cùm ista linea supellex à sordibus mundanda ad lixivium traderetur, illicò tota disrupta, ac in minutas partes discissa fuit, veluti ab aqua forti tacta fuisset. Pariter mihi narravit Chirurgus aliquis noster fide dignissimus, se vidisse olim Adolescentem febre ardente correptum non sine mortis periculo, cui undecima die sudores flavi copiosi acciderunt, ita ut Ictericus putaretur, & si aliquis ex Domesticis eum tangebat, statim is flavo colore tingebatur; qui sudor ad plures dies perduravit, cessato autem eo, pariter cessavit & febris.

OBSERVATIO CCXI.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. V. & VI. Obs. 72.

De Vermibus in variis corporis partibus observatis.

VErmes in sanguine febri maligna correpti Anno 1702. clarissimè observavi, atque meis Discipulis ostendi; in ejusdem etiam urina Vermiculos rubri coloris, licet exiguos, non semel vidi; qui Æger nono morbi die frigido sudore perfusus obiit: ex ejus verò cadavere per nares duos Vermes atri coloris vivos exeuntes se vidisse Famulus retulit. Post magnum auris dextræ pruritum atque dolorem in quodam Plebeio nonnullos Vermiculos flavos ab aure exeuntes vidi, quos sequuta est modica sanguinis portio guttatim exstillans. In ulcere auris antiquo Vermes exiguos in magna copia obortos fuisse, observavi Anno 1704. mense Junio

nio in quodam pauperculo, duro lienis tumore per plures annos laborante. Puellus novem annorum post Variolas ophthalmia dextri oculi contumaci adeò laborabat, ut de visu illius partis dubitaretur; in oculi laborantis angulo tumor apparuit, ex quo suppurato ac aperto, pauco cum pure exivit Vermis rubri coloris.

OBSERVATIO CCXII.

Ex Ephemeridib. Curios. Centur. V. & VI. Obs. 95.

Vermis per vomitum ejectus.

GRavissimè ex acuta & maligna febre laboraverat Vir quidam, Josephus de Rogerio dictus, quam subsecuta est non levior Dysenteria, ab utroque malo ope medicamentorum liberatus, tanta fame deinceps correptus est, ut unica die varii generis esculenta ingurgitaverit ferè ad libras 64. nec tamen exinde famescere desierit. Ad illam compescendam plurima adhibita fuêre remedia, ex *amaris* potissimùm composita, ut acidum exorbitans, quod tantæ famis causa credebatur, infringeretur: ea verò in longum tempus assumta & cum *aloë* commixta expulêre tandem inopinato vermem adeò grandem & horribilem, ut serpentis formam ac magnitudinem referret, qui statim ab egestione vita privatus longitudinem suæ molis exhibuit palmorum XXVII. & ultra, atque ex parte supera pilosus apparuit; Æger autem sensim restauratus, liber à tam molesto vorandi desiderio factus, adhuc in vivis est.

OBSERVATIO CCXIII.

Ex Ephemeridib. Curiof. Cent. V. & VI. Obf. 96.

Hydropica ſanata.

FOemina quædam conſiſtentis ætatis, Aurelia de Angelo vocata, per annum & ultra diro Aſcite vexata, cùm nullis videret ſe profeciſſe medicamentis, vitæ ejuſmodi pertæſa & veluti in deſperationem ducta, ne ſitis ardore, quem intolerabilem profitebatur, pereundum ſibi foret, una die ſeptem prægrandes *aqueos* ut vocant *Cucumeres* ſeu *Pepones* devoravit, nec his contenta, *aquam* ad plures calices largiſſimè potavit, adeò ut difficili mox & aucta reſpiratione preſſa, abſque pulſu, totoque corpore algida jam jam moritura videretur; & quidem funus ac inferias propinqui paraverant, operientes infauſtum exitum proximè ſucceſſurum; ſed, en! cœpit inopinato tam affluenter urina per ſuos ductus erumpere, unà cum copioſiſſimo ſudore, ut undique ubertim aquoſus humor efflueret, idque ad dies plurimos; & ſic tandem abdomen detumeret; tandem ingens juxta aures tumor obortus eſt de parotidum genere, eoque in ſuppurationem perducto ac curato, ipſa convaluit.

OBSERVATIO CCXIV.

Ex Ephemerid Curios. Cent. V. & VI. in Append. pag. 10.

Conſtitutio Epidemica Ferrarienſis; Anni 1715.

POſtquam Annis proximè elapſis lues peſſima Boves miſerabiliter invaſit, atque copioſiſſimi imbres tellurem inquinaverunt noſtrum, totumque agrum Ferrarienſem ſtagnantibus aquis peſſimè vitiatum vidimus, ita ut ſemina futuræ meſſis pro majori parte deperdita

perdita fuerint, unde caritas, ac inopia anni 1715. ſurrexit; facta eſt etiam ſanitatis jactura.

Martio menſe vix inchoato, magnus Bufonum & Ranarum numerus obſervatus eſt, & increſcente Vere innumerabilis Culicum, Vermium, Serpentum, Muſcarum, Papilionum, Locuſtarum, Erucarum, aliorumque Inſectorum copia ſuper terræ faciem apparuit, & liberum aëris campum occupavit, ex quo nonnulli multas ægritudines in humano genere prædixerunt; Verno etiam tempore adhuc currente maximi Solis æſtus in Maii fine corpora noſtra vexarunt, mox aura nebuloſa & humida, dolorum Dentium, Capitis, & Rheumæ parens ſurrexit, quæ tamen brevi in multam eſt mutata ſerenitatem. Acceſſit Junius, & ſummis caloribus corpora noſtra affecit, hinc exordium habuêre Febres quædam, quæ prima facie Tertianæ ſimplicis notam præferebant, mox duplicatæ pertinaciter utrumque ſexum, omneſque ætates invadebant; primò enim rigor incipiebat, qui ad plures horas durabat, vomitus amari ſucci aderat, cardialgia, dolor capitis, & eximia ſuccedebat ſitis; in multis tormina, & ventris fluxus, in aliis ſumma alvi ſtypticitas, inappetentia in omnibus, ac vigiliæ aderant; in tali, ac tanto autem numero Febres iſtæ invadebant, ut nulla ferè domus, nulla Religioſorum, tam marium quam fœminarum Monaſteria, nullus denique in urbe locus fuerit, ab hoc febrili incendio immunis; miſerandum erat videre unum vix in domo ægrotare, dein paucos poſt dies totam febricitare familiam, ſic Cœnobia, Xenodochia videbantur, & rura repleta febricitantibus; in timidis nonnullis ac effœminatis contagionis timorem crearunt; ægrotantes creſcebant in dies, & ſine ſalute primorum, numerum augebant ſecundi, ut vix ſufficerent Medici ad tantas ægrotorum viſitationes, dies enim licet æſtivus ad tale miniſterium brevis erat. In Curatione talium Febrium primò *Lenitiva* proponebantur ad educendas pravas materias in primis viis hærentes, & hoc die pari, & vacua fiebat; elapſa autem impari, in qua febris redibat, *Venæ ſectio* celebrabatur; ſed hic notavi, die talis remedii, quo febris quià tertiana, abeſſe debuerat, acceſſionem reduplicatam, & ex ſimplici, duplicem factam fuiſſe, & continuam, ſicque majus minari periculum; qua experientia edoctus, impoſterum nunquam in talibus curandis

randis Febribus Venam secari jussi, sed ubi opus erat, *cucurbitulas scarificatas* tantummodo applicari mandavi; *Alterantia*, *Cordialia*, *Clysteria*, *Narcotica*, *Diuretica*, & *Sudorifica* in cassum semper fuêre administrata; imò summum illud remedium, nempe *cortex China Chinæ*, per plures dies exhibitum parùm aut nihil præstabat auxilii; sive cum vino generoso, sive in bolo cum *Syrupo Absinthii*, confecto in Decoctione, Tinctura, Extracto, Syrupis, in Rotulis, aliisque modis exhiberetur: Medicorum aliqui istum pulverem cum *Rhabarbaro*, *Zedoaria*, *Gentiana*, & *Centaurio minori* mixtum dederunt, aliique pulverem *corticum Fraxini*, & *corticum Aurantiorum*, *baccarum Juniperi* similiter experti sunt. Si in aliquibus cessabat febris, brevi redibat, ac ter & quater recidivam patiebantur ægrotantes. Ego & uxor mea dilectissima, sub Augusti finem ab hac febri correpti, usque ad Novembrem ea laboravimus. Sic inter alios sub festo Paschatis Clariss. Dn. Hieronymus Baruffaldus Philosophiæ Doctor Excellentiss. atque Amicus meus suavissimus pertinacissimam hanc febrem, pravis stipatam symptomatis usque ad æquinoxium autumnale fuit passus; ego optima instituta victus ratione, & ad plures dies assumpto *vino generoso*, in quo *China Chinæ* infusa fuerat, tandem convalui; uxor vero mea, quia purgata, & aliis pharmaceuticis remediis usa est, sanguine etiam è vena pedis emisso ad febrem cicurandam, semper in pejus ruebat, & majores patiebatur febriles insultus. Modo Quartanæ duplices apparebant, modo simplices, hinc Tertianæ redibant, inde duplices fiebant, iterum Quartana, imò in aliquibus de septima in septimam diem revertebantur febres, pertinacem, & malignam semper servando naturam. Observatum est, nonnullos aërem mutavisse, aliaque loca petiisse, ibique morantes sanitatem recuperasse; Reversi verò Ferrariam, illicò à nova febri vexati sunt.

Pauca fuêre funera, sed longissimæ convalescentiæ, hinc in multis obstructiones obortæ, in aliis crurum, & pedum intumescentia, in aliquibus icteritia, surditas, tremor, ac scabies, signa erant infirmitatis elapsæ. Notatum fuit in pejus semper ruere Ægrotos, atque recidivare faciliter, spirante Euro, qui ventus pertinaciter ad plures dies perseverabat. Causam inquirentes nonnulli,

li, nimium ſideribus tribuentes, putaverunt, ſtellarum influxum malignum, primò Boves, inde Homines affeciſſe; alii calorem æſtatis nimis intenſum, longum, atque moleſtum, accuſabant, quatenus extenuando corpora, & humores fundendo, nec non ipſos ſpiritus diſſipando, hujuſce naturæ febres excitaret; Multi in vino cauſam horum morborum latitare autumabant, eo quia anno elapſo 1714. ab cœli inclementiam ex uvis ferè immaturis vinum aciditate abundans confectum fuerit, quod aſſumptum craſim humorum, ac fermentorum vitiando, tales febres excitaret; Non pauci cadavera Boum, Lue peſſima anno elapſo denatorum, & hinc inde paſſim ſepulta, cauſam iſtarum calamitatum agnovêre: dicebant enim, particulas nobis infenſas, ac mortiferas à cadaverum corruptione elevatas atque per poroſitates terræ ad aërem inquinandum ſublevatas, infectionem in humoribus noſtris peperiſſe: nec defuerunt, qui nimis creduli hanc peſſimam conſtitutionem a faſcino & maleficarum artibus diabolicè provenire crediderunt. Aliqui, cum quibus ego facio, cogitaverunt cauſam harum febrium internam fuiſſe humores viſcidos atque tenaces, concoctu difficiles ac vix ſeparabiles, nec ſine longo tempore conſumi aptos; externam autem cauſam in vitio terræ conſtitutum eſſe; cùm enim annis elapſis, ex copioſis imbribus, & fluminum diluvie tota facies noſtræ telluris tecta apparuerit, & per conſequens viſcera ejus coinquinata a ſtagnantibus aquis fuiſſent, unde infectæ ex pravis humoribus herbæ paſcua nociva exhibuerint; Ex hoc morbi Animalium, Arborum multarum obitus, rubigo ſegetum orta; particulæ enim nitro-ſulphureæ aſſiduè elevabantur, & fructus adhuc tenellos & uvas nondum maturas adurendo, ſpem colligendi alimenta furabantur; quin puteorum noſtrorum aquæ, quibus juſcula, pultes &c. conficiuntur, particulis iſtis imbutæ, vitium cum alimento præſtabant. Qui exactam vivendi normam obſervabant, ſæpè pejus vexabantur, quam illi, qui diætæ regulas aſpernati, omnis generis cibaria pro libitu ac voluntate aſſumebant; Aliqui intemperantes, ante acceſſionem largam vini generoſi quantitatem potabant, ac inde ſe ad ſomnum & ſudorem componebant, & nonnulli tali modo ſanitati ſunt reſtituti. Alii omnimodè ſe abdicarunt à vino, abſque ullo fructu: Febres enim pari perti-

nacia procedebant, atque diætam, quantumvis regulis propriis exercitam eludebant. Ad effugiendam pessimam hanc constitutionem ad rura ibant non pauci, verùm quia agri nobis vicini, eadem valetudine afficiebantur, parùm utilitatis experti sunt; qui verò extra nostra confinia proficiscebantur, atque vel Bononiam, Mantuam, Patavium, Veronam, Venetias, atque Romandiolæ urbes pergebont, ii sanitatem facilè recuperabant. Non minùs accidit nonnullis, qui tædio affecti ad exteras urbes se contulerunt adhuc febricitantes, ut absque alio remedio pristinam recuperaverint sanitatem, & benè valentes in patriam redierint. In puellis passim observabatur in præsenti constitutione magna Lumbricorum copia, per vomitum enim & per secessum Vermes in febrium exordio prodibant, & multi pueri ex hac peste denati sunt. Hystericas insuper affectiones in fœminis, talibus febribus conjunctas præter modum notavi, earumque insultus fortiores, atque frequentiores maximè in febris principio, & augmento. Fructus penè omnes Verminosi, ac ingrati saporis, ita ut bonæ substantiæ fuerint illi soli, qui ab exteris ad nos mittebantur & præsertim illi optimi succi erant, qui à Patavinis montibus veniebant. Postremò tandem observavi per publicas nostras vias, per vicos, & plateas, si quid aquæ, aut alterius humiditatis, ad paucos dies permaneret, viridem colorem, ac fœtorem emittere, quod non tam facilè annis transactis eveniebat. Faxit Deus, ut hæc terminante Anno 1715. finem habeant, atque meliorem Anni venturi 1716. Constitutionem possimus sani describere.

OBSERVATIO CCXV.

Ex Ephemeridib. Curiof. Cent. VIII. Obf. 9.

De innoxio esu carnis Boum Lue pessima contagiosa denatorum.

IN contagiosâ ac penè pestilenti constitutione annorum 1713. & 1714. qua tota penè Italia vexata fuit in Bovino genere, cujus memini *in Cent. V. Ephem. Curios. pag.* 347. inter alia decreta a prudenti nostro Magistratu emanata, ad avertendam pessimam hanc Luem, unum

num fuit, ne aliquis auderet ſub vitæ pœna comedere carnes Bovinas ex Lue peſtilentiali emortuas, ne fortè peſſimus ille morbus corpora hominum invaderet, & ſic fieret tranſitus a peſte Boum ad contagium hominum: Verùm licet talia decreta ſingulatim ruſticis fuerint inſinuata, attamen nonnulli longè ab Urbe noſtra degentes, antequam Boum e tali morbo mortuorum corpora ſepelirent, non tantùm lucri cauſa excoriarunt, ob pelles eorum exſiccandas atqve vendendas, verùm quoque coxarum muſculos ſale conditos atque fumo induratos ſervarunt, & hyeme ſuccedente ſuaviter & ſine ulla noxa, elixatos comederunt, nec unquam febrem, & neque exiguam, paſſi fuêre, mihique faſſi ſunt, ſe toto hyemali tempore talem carnem comediſſe, ſine nauſea & vomitu.

OBSERVATIO CCXVI.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. VIII. Obſ. 10.

De Febre octana & ſextana.

MIlitem Anno elapſo curavi, qui quavis hebdomada die Veneris dolore Capitis abſque febri vexabatur, quæ accedente die Sabbati evaneſcebat, taliſque affectio ad menſes aliquot perduravit. Anno verò præſenti 1717. fœminam obſervavi viduam, annorum XXXIII., ſterilem, quæ qualibet ſexta die febrem patiebatur frigore incipientem, & ſudore terminantem; hæc autem a me curata fuit ſola *Chinæ Chinæ* exhibitione, iterata per plures dies, imò die paroxyſmi bis *corticem* hunc *Peruvianum in Vino Malvatico* aſſumebat, quod aliis diebus ſemel tantùm faciebat.

OBSERVATIO CCXVII.

Ex Ephemeridib. Curiof. Cent. VIII. Obf. 11.

Odontalgia Venæsectione curata.

MErcator quidam noftras Ferrarienfis, alioquin fanus, fæpè Dentium dolore afficiebatur, qui nullum fentiebat levamen nifi à fanguinis miffione, ad quam ftatim recurrebat, cùm eam pateretur. Et cujufdam Monialis recordor, quæ Stomachi ardorem quovis ferè menfe fentiebat, & fola Venæ fectione ab eo liberabatur, quæ in pede celebrabatur.

OBSERVATIO CCXVIII.

Ex Ephemeridib. Curiofor. Cent. VIII. Obf. 12.

Mors ex Stomacho percuffione.

DE fullone narrat *Anton. Benivenius*, qui unico pugno, Stomacho cujufdam Juvenis violentiùs impetito, eum interemit: ego etiam Anno 1712. vidi piftorem, qui itidem percuffit puellum in regione Ventriculi, a quo illicò concidit veluti apoplecticus, & licet multæ artes adhibitæ fuerint ad revocandam in puero vitam, ex illo tamen ictu mortuus eft.

OBSER-

OBSERVATIO CCXIX.

Ex Ephemerid. Curioſ. Cent. VIII. Obſ. 13.

Lachrymæ ſanguineæ.

MEnſtruas purgationes per oculos, quovis menſe veluti lachrymas ſanguineas excretas vidit *Remb. Dodonæus.* Ego verò fletum ſanguineum in adoleſcente obſervavi, quotieſcumque data cauſa ad fletum incitabatur, rubore inſigni oculi turgebant, & inde ſanguineæ guttulæ, veluti cruoris rivus, exibant: in verò Anno 1709. menſe Julio febri maligna correptus vitam cum morto commutabat.

OBSERVATIO CCXX.

Ex Ephemerid. Curioſ. Cent. VII. & VIII. in Append. pag. 18.

Conſtitutio epidemica Ferrarienſis Annorum 1716. & 1717.

FRigus hyemale, quod Anno 1715. menſe Decembri incepit; anno etiam 1716. uſque ad menſem Martii perduravit; multæ nives, cum ventis borealibus ſuper faciem terræ glaciem ad multas hebdomadas conſervarunt, & licet remiſſum ſub Martii finem videretur frigus, attamen recruduit menſe Aprili, & uſque ad Majum non ceſſavit. Itaque hoc durante frigore, Gravedines multæ, ac Pleuritides obſervatæ ſunt; quin imò Oculorum inflammationes paſſim obortæ & pertinaces adeò extiterunt, ut nonnullæ ad menſem uſque pro tractæ, patientes vexarint. Ver acceſſit, & imbres frequentes tellurem infeſtabant, noſtram flumina augebant, & ſegetes nimio madore irrigabant, ſi verò mutatis ventis ſerenitas apparebat, vix Sol igne ſuo terram fovebat, ſtatim elevatis aqueis vaporibus nebulæ denſiſſimæ obortæ ſunt, hinc natæ in homi-

nibus Surditates, Apoſtemata, & vagi dolores cum flatibus; Æſtas calidiſſima ineunte Junio derepentè invaluit, unde multæ tertianæ Febres, tam ſimplices, quam duplices obortæ ſunt, cum nauſea, vomitu materiæ amaricantis, capitis dolore, ac immodica ſiti, quinimò nonnullos Tertiana pernicioſa vexavit, quæ omnes ope *Chinæ chinæ* ſanatæ ſunt, priùs tamen leviter alvo exonerata. In Autumni primordiis pluvia multa, qua ceſſante, ſerenitas, uſque ad Kalendas Decembris continuavit; ita ut ſemina terræ bono omine tradita, & magna uvarum copia feliciter collecta, vinaque optima repoſita fuerint. Hoc autem tempore, ſalubritas aëris, corporibus humanis bonam valetudinem impertita eſt, ita ut præter aliquas leves Quartanas, & placidas erraticas Febres, nil aliud mali quoad ſalutem Ferrarienſibus acciderit; Solummodò notatu dignum fuit, Autumni tempore, multas gravidas abortum paſſas fuiſſe ſine ulla cauſa manifeſta. December ſanus extitit.

Terminato Decembri, menſis Januarius ingreditur Anni 1717. & frigus primò remiſſum apparuit; aſt die hujus menſis undecimâ, aura ſeptentrionalis rigida advenit, & tamen fortiter agitavit auras, ut quædam arbores, quidam muri, ab ejus impetu, erutæ, ac collapſi ruerint, quatuor dierum ſpatio borealis hic ventus dominatus fuit, quo ceſſante illicò magna nivis copia deſcendit, inde frigida ſerenitate favente, uſque ad ſecundum anni menſem nives perduraverunt, mox aura dulciori reddita, diſſolutisqua nivibus, ſub finem Februarii frigoris ſævities evanuit. Hoc verò tempore, Anginæ multæ, Colici dolores, ac Febres catarrhales ubique debaccharunt, imò Epidemia in infantibus tali hyeme incepit Variolarum, quæ poſtea toto Anno 1717. miſerrimè perſeverans puerorum ſtragem multiplicavit, & quod notabile fuit, hujus anni hyems, quoad morbos, plus jùvenes, quam ſenes affecit, horum enim vix unum aut alterum curandum habui. Ineunte Vere multæ nebulæ denſiores obſervabantur, quæ tandem in pluvias terminabant; ſequebatur, imò ſemper major fiebat Epidemia Variolarum in puellis, ac nonnullæ malignæ febres obortæ ſunt, quæ in principio leves apparebant, progreſſu tamen temporis funeſtæ, ac mortales manifeſtabantur, ex quibus febribus quatuor noſtri Medicinæ Doctores, præter alios denati ſunt, primus Dn. Andreas Zuffi,

si, alter Dn. Joseph Vaccarius, Juvenis optimæ spei, tertius D. Cæsar Lollius discipulus meus, & quartus tandem Dn. Françiscus Salmius, ætatis annorum LVI. compater meus honoratissimus, & omni scientiarum genere instructus. Partus difficiles multi, & multæ pariter icteritiæ. Accessit æstas, cujus mensibus magna siccitas, & austrini venti calorem augebant; sequebantur malignæ febres atque nonnullos vexabant tertianæ duplices melioris notæ, cum vomitibus in principio accessionis, ac dolore capitis sævo, qui non nisi declinante febre mitescebat. Mense Augusti nonnullæ occurrerunt Dysenteriæ, quæ tamen Deo adjuvante sanatæ omnes fuêre.

Erat miserandum cernere quotidie infantum cadavera Variolis enecata ad tumulum deferri. In principio Septembris Cœlum mutavit faciem, & calore remisso, aquas dedit salutares ad terram irrigandam: sic maligna febrium constitutio mitigata fuit, & tantummodo subortæ vertigines, tusses, ac graveines. Increscente Autumno iterùm serenitas rediit, atque aureis Solis radiis toto Octobris mense gravisi sumus. Cereris, Bacchi, ac Pomonæ dona hoc Anno non modica fuêre collecta, & valetudines paucæ Homines malè habuerunt, non ita tamen in Bobus, ac Suibus accidit, in illa quippe animalia mors falcem immisit; unde timor colonis invasit, ne Epidemica Lues in Bovino genere anni 1713. resurgeret, & lachrymas iterum excitaret.

Cæterùm præter dictas febres, & magnam Variolarum copiam cum Lumbricis in puellis, annus 1717. salubris dici potuit, nullæ enim Apoplexiæ, paucæ Quartanæ, in minima copia Scabies, ac articulorum dolores. Mense Decembri hyems apparuit, sed parùm ab Autumno differebat, frigus enim tolerabile ac mite observabatur. Quod verò notabile fuit hoc Anno, extitit ventorum frequens copia, unde pericula multa, imò naufragia in mari Adriatico ad nostra ora, & Pado, aliisque nostris fluminibus acciderunt, subversis enim navigiis merces non tantùm sed homines etiam miserabiliter deperditi fuêre. Æstivo tempore magna Insectorum copia segetes infestabat, ac hominibus ruri præsertim degentibus molestiam inferebat. Arthriticos annus præsens modicè infestavit, & leviter tantùm tacti citò ad consueta exercenda munia

nia redibant. Ardente Sirio multi Canes in rabiem perciti fuere, quod aliis annis mitius evenire observatum fuit. Parturientibus, ac Puerperis Lucina favit, ita ut vix una puerperii vel partus tempore obierit; hystericas affectiones, ut plurimùm mites, & magis in Juvenibus, quam Senibus tusses & gravedines in Autumui principio; Hypochondriacis, ac Melancholicis præsens annus, nec profuit, nec nocuit, eorum enim ordo, parùm consilia Medicorum imploravit, unusque ex illis tantummodo gradum fecit ad Maniam; nonnullæ observatæ fuerunt icteritiæ flavæ, absque præviis morbis, vel doloribus ortæ, quæ tamen adeò leves fuerunt, ut absque læsione actionum non solùm apparuerint, verùm sine ullo prorsus remedio evanuerint sponte; istæ autem potius in Juvenibus, quam in Senibus observatæ sunt; Lue venerea affectos pessimè vexatos vidimus, & multos ex hac peste mortuos, licet multa tentaverint remedia, & ad usum ipsius *Mercurii* desperati confugerint. Sic postremo Andreas Pareschius Ferrariensis Gallica Lue affectus post *decocta Salsæparillæ, Ligni Guaiaci* & sudoribus tentatis, tandem ad *Mercurialem unctionem* desperatus advenit, qua admissa gingivæ, linguæ, aliarumque oris partium gangræna suborta, miserabile Veneris sectatoribus exemplum, ultimam clausit diem; in sanctimonialibus paucissimi morbi, & Regularium Religiosorum Sacerdotum nonnulla tantum funera; nosterque antistes Cardinalis de Verme ætatis ann. 77. febri maligna correptus sanctè obdormivit in Domino, in cujus cadavere reperta sunt penè omnia viscera sana. In aliquibus nostri suburbii locis, nonnullæ febres malignæ peticulares,& contagiosæ naturæ, uno enim ægrotante, brevi temporis intervallo tota simul ægrotavit familia, hæc tamen influentia trium tantummodò mensium spatio perduravit: accedente enim Autumno omninò evanuit; impetigines multæ in fine Novembris adultos affecerunt, quæ usque ad anni finem pertinaciter duravêre. In principio Decembris ophthalmiæ multæ, pertinaces tam in maribus quam in fœminis. Observavi tandem in multis pauperibus sola diæta multas febres sanatas, sicque cum *Joh. Damasceno in ultimo aphorismo* concludendum. *Diæteticam medicinam præstantiorem esse Phamaceutica, & Chirurgica.*

OBSER-

OBSERVATIO CCXXI.

Ex Ephemeridib. Curios. Centur. IX. Obs. 5.

Febris quartana à terrore fugata.

ADolescentula Ferrariensis, temperamenti sanguinei, sub autumno febre correpta fuit octana, non quidem obscuris, sed paroxysmis evidentissimis, quæ hyeme in Quartanam conversa fuit; horrore primò horas duas durante corripiebatur, inde superveniebat febris sexdecim horarum spatio perdurans: frustrà fuêre adhibita plurima, ita ut adolescentula debilior facta vix è lecto surgere posset; denique quod remedia non potuêre, valuit timor. Nam cùm in accessionis principio existeret, & in lectum se ad paroxysmum sustinendum componeret, ac sopita somno indulgeret, repente soror ejus cubiculum ingreditur, dicens: Surge & propera, domus enim nostra incensa concrematur, audi clamores populi, audi vicinos fletus, fuge ignem, fuge necem. Hoc audito, surgit attonita, & semivestita ad januam domus currit; tunc soror ejus clamat: siste fatua, ne vides me tibi jocum fecisse, taleque finxisse periculum, ut à pertinacia febris timor te liberaret? Et ita revera evenit, ac jugulato quasi paroxysmo, statim sana facta est, adhuc Dei gratia sana vivit. Et Matronæ recordor, quæ patiebatur ferè continuum Capitis dolorem, atque ob infestum nuncium repentinum mortis filii sui, sana facta nunquam imposterum capitis sensit dolorem, mœsta tamen ac infelix ob filii necem diu vitam duxit.

OBSERVATIO CCXXII.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. IX. Obs. 6.

Surditas ex terrore.

ADolescentula nobilis & formosa, annorum ætatis quindecim cùm ruri esset, ex conspecto angue, improviso in herba, juxta se observato, tanto terrore corripitur, ut tremens & frigido perfusa sudore domum reversa, lipothymiâ corriperetur: qua cessante surda est facta, & adhuc nonnisi fortiter clamantis vocem audit, sonumque campanæ haud percipit.

OBSERVATIO CCXXIII.

Ex Ephemeridib. Curiosor. Cent. IX. Obs. 7.

Splen petrefactus.

IN historia Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1700. Dom. *Littre* ostendit Lienem humanum petrefactum erutum è Viro LX. Annorum; cui non absimilem liceat Mihi referre casum, cujusdam nempe fabri ferrarii, ætatis LV. annorum, temperiei melancholicæ, ad fletum proni atque ad iram; is post dolorem colicum icterus est factus; accessit febris primò quartana, mox duplicata malignæ naturæ, vigesimo autem morbi die pertinax narium hæmorrhagia, cum lethali eventu. In cujus cadavere aperto varia notabilia reperta sunt, uti Pulmo flaccidus & lividus, Cor nigris maculis fœdatum, Pancreas penè consumptum, Mesenterium flaccidum & saniosum, Jecur aqueis vesiculis plenum, Vesicula fellea vacua, Renes succenturiati ferè consumti, Lien verò taliter induratus & exsiccatus, ut lapideam referret naturam, cultro enim anatomico non cedebat, & malleolo percussus in tres

tres divisus partes ut saxum frangebatur. Quem D. Cæsar Lollius, Discipulus quondam meus adhuc conservat.

OBSERVATIO CCXXIV.

Ex Ephemeridib. Curiof. Centur. IX. Obf. 8.

Hæmorrhagia lethalis ex scarificatione.

NUper miles præsidii nostri Ferrariensis Annorum LV. mali habitûs, & obstructionibus viscerum obnoxius, febri mali moris correptus medicam imploravit opem; cui, præmisso clystere, impositæ fuêre octo cucurbitulæ scarificatæ, per quas non tantùm magna sanguinis copia effluxit, sed pessima etiam secuta est hæmorrhagia, quippe cruor enormiter dissolutus, totus per levia cucurbitularum foramina infra 24. horas effluxit, absque eo, quod ars nostra ei auxiliari potuerit, omnibus adstringentibus incassum adhibitis, sicque sensit per vulnera mortem.

OBSERVATIO CCXXV.

Ex Ephemerid. Curiof. Cent. IX. Obf. 9.

Cœcitas ex Scabie retropulsa.

PAupercula quædam puella tredecim annorum, correpta fuit quartana, post cujus septimum paroxysmum sponte oborta est scabies universalis in corpore, & nullum amplius quartanæ vestigium apparuit: Ejus Mater, ne tota familia scabie fœdaretur, variis unguentis, ex *Sulphuratis* & *sublimato*, unà cum *Leandri foliis* ac *floribus* scabiem auferre tentavit; sic unguentis quater adhibitis, puella oculorum inflammatione primò tentata fuit; ex qua citò aucta suffusio ac cœcitas orta, quæ nunc etiam perdurat, evanescente tamen dolore & inflammatione.

OBSERVATIO CCXXVI.

Ex Ephemeridib. Curiof. Cent. IX. Obf. 10.

Dolores Articulares ex adftricta Diarrhœa.

QUò natura vergit, eò Medicum ducere convenire, ait *Hippocrates*; quod ratio & experientia teftantur; nam cùm pravi humores à natura per alvum fecernantur, malè eos retardat Medicus ac adftringit, ut ad partes nobiliores deferantur magno vitæ difcrimine. Ita accidit menfe Junio Anni 1718. in quodam Mercatore Bergomenfi, qui diarrhœam paffus, poft biduum, ab Empyrico edoctus, *pulvere fuberis* affumpto, alvi fluxum retardavit, aliifque adftringentibus omninò hunc fuftulit; verùm oborti in illo funt dolores articulares atrociffimi, ita ut nec brachia nec genua, imò nec caput movere potuerit, qui nervorum cruciatus per menfem duraverunt.

OBSERVATIO CCXXVII.

Ex Ephemeridib. Curiofor. Cent. IX. Obf. 11.

Tumor Verminofus.

VIr Romandiolus annorum LV. temperiei melancholicæ, æftatis tempore valdè delectatus venatione, cui fupervenit febris tertiana duplex, cum vomitionibus biliofis in principio; aft leviter purgato corpore, melius fe habere incepit; undecimâ autem morbi die tumor fub axilla finiftra apparuit, qui ad ovi magnitudinem crefcens, tandem fuppuratus, Chirurgi ferrum paffus eft; quo aperto exivit cum pure mixta non pauca quantitas Vermium vivorum exiguorum, mox ulcere cicatrice obducto Æger convaluit.

OBSER-

OBSERVATIO CCXXVIII.

Ex Ephemeridib. Curiof. Cent. IX. Obf. 12.

Infania periodica.

NUper obfervavi Fœminam annorum XL. quæ abfque febre infaniebat in quovis plenilunio, quod fpatio duorum dierum durabat; quibus elapfis, iterum mentem recuperabat; nunquam ipfa menftruas vidit purgationes, capillos rubri coloris habet, & fudor ejus fœtet; eryfipelati valdè obnoxia, morbum hunc modò in cruribus, modò in brachiis patitur, nec menfis integer tranfit, quod eryfipelate non tentetur.

OBSERVATIO CCXXIX.

Ex Ephemeridib. Curios. Cent. IX. Obf. 13.

Dolor inter caput & genua reciprocus.

SArcinator quidam ætatis annorum xxxix. multis abhinc menfibus dolore capitis vexatur per integrum diem, & quidem bis in menfe, & quod notatu dignum eft, dolor femper correfpondet dolori in genubus, ut crefcente primo, hic pariter augeatur, & contra; modò autem incipit à genubus dolor, mox furgit in caput; nunc primò caput invadit, nunc genua; & uno evanefcente, evanefcit & alter. Ego fufpicabar de Celtica lue, verùm patiens fe nullam nifi conjugem honeftiffimam cognoviffe fanctè teftatus eft; nihilominus tamen, leviter purgato corpore, *decoctum Salfæparillæ* per menfem exhibui, recta fimul inftituta victus ratione.

tione. Nunc melius se habere incipit, sperans se pristinam recuperaturum sanitatem. Et Fœminæ recordor, quæ dolorem auris dextræ patiebatur, cujus semper comes inseparabilis erat dolor calcanei, istique cruciatus maximè ad plures dies infestabant hyemali tempore.

OBSERVATIO CCXXX.

Ex Mangeti Bibl. Medic. Practic. Lib. XIV.

De puerperio infelici à potu frigido.

QUantum actu frigidus potus puerperis præsertim non longè à partu obsit, docuit celeberrimus *D. D. Marcus Gerbezius* Medicus Labacensis, & amicus meus singularis in suo tractatu *de morb. complicat. part. 2. cap. 20. p. 453.* unà cum *Clariss. Dno. Dre Georgio Franco* Patrono atque collega meo semper colendo *in Ephem. Nat. Cur. Decur. 2. anno 9. observ. 200.* quod etiam sequenti observatione patet.

Juvenis quædam Fœmina, hîc Ferrariæ, uxor unius fabri lignarii annorum XXI. feliciter peperit filiolam; puerpera hinc facta, sine ullo ventris dolore, lochia benè ac ritè fluebant, ejus die quinta à partu siti vehementi molestabatur, ad quam expellendam libram unam *emulsionis seminis peponum factæ s.a. in aqua stillatitia cichorei, gelidè* ebibit, post cujus assumptionem totius corporis improvisus rigor accessit cum ventris tumore, dolore, ac nonnulla, exigua tamen, convulsione; lochia suppressa sunt, ac die sequenti ingenti affecta fuit febri, à qua occisa est.

OBSERVATIO CCXXXI.

Ex Mangeti Bibl. Medico-Practic. Lib. XV.

De Fele rabida.

CAnes rabidos venenato morſu homines occidiſſe, experientiâ conſtat; raró autem de Fele hoc accidiſſe narratur; Verùm *Cornelius Stalpart. vandervviel obſervat. cent.* 1. refert de cive Lugdunenſe in Bataviis mortuo ex morſu rabidæ felis; hîc autem Ferrariæ anno 1693. menſe Maii Adoleſcentulam annorum xv. obſervavi; cui pollicem manus dextræ momordit rabida felis; de quo morſu parùm ſollicita fuit, & parùm pariter ſolliciti fuere parentes; aſt ſupervenientibus pravis ſymptomatibus, immenſa ſiti, cephalæa, & potus faſtidio, ſequuto delirio, aut convulſione obiit.

OBSERVATIO CCXXXII.

Ex Mangeti Bibliothec. Medico-Practic. Lib. XV.

De noxa ab eſu carnis vaccinæ à cane rabido demorſæ.

DOctiſſimus *D. Petrus Borellus cent.* 1. *obſ.* 75. narrat, Porcum à cane rabido demorſum fuiſſe, omneſque qui ejus carnem deguſtarunt, rabidos effectos fuiſſe, unde colligit maximè cavendum eſſe ab eſu animalium à canibus rabidis demorſorum; hinc pariter Ego anno elapſo 1694. menſe Auguſti obſervavi familiam integram Ruſticorum veneno affectam ob eſum vaccæ demortuæ à cane rabido morſæ: tres autem ab illo veneno emortui ſunt, alii vero ope remediorum, Deo favente, ſani evaſerunt.

OBSERVATIO CCXXXIII.

Ex Manget. Bibliotheca Medic. Practic. Lib. XVIII.

De Arsenicô sine noxâ deglutitô.

PRobatum jam esse ait Clariss. & nunquam satis laudatus Dom. *Lucas Tozzi*, Archiater Pontificius & Amicus meus semper recolendus in *Comment. Aphorism. Hippocrat.* 16. *lib.* 4. *pag. m.* 209. graviùs affici eos qui jejuni *arsenicum* assumpserunt, leviùs verò qui à pastu; idque verissimum notavi nuper in circumforaneô quôdam arcanorum jactatore, qui ut rudem illuderet plebem, *arsenicum* elapsâ die, horâ XXII. publicè manducavit absque ullâ noxâ: Hoc autem accidit, ut ipse candidè mihi fassus fuit, quia ante prædicti *arsenici* assumptionem cibis oleosis ac pinguibus usus fuit, quibus ventriculi interior tunica ad veneni particulas retundendas, fuerat oblinita.

Scholium.

Hæc ex communicatione *Præclariss. Viri Domin. Josephi Lanzoni*; quibus addimus, nos aliquoties observasse ejusmodi agyrtas non tantùm assumptis oleosis ventriculum suum contra venenorum morsum præmuniisse, sed illis etiam materias plurimùm viscosas adjunxisse, quibus quasi infasciaretur ac hebetaretur vis particularum corrodentium, earumque actio prorsus reprimeretur, ut vidimus motum globuli plumbei è sclopeto emissi, momento ab argilla oppositâ cohiberi. Viscosa autem quibus præcipuè utuntur illi, sunt animalium interanea in putrilaginem propè cocta, indeque etiam apparata juscula crassiora ac viscidiora. Hoc mihi in memoriam revocat historiam cujusdam Viri, qui apud nos horrendâ cephalæâ diu tortus, in istiusmodi circulatorum manus præ desperatione tandem se conjecit, quique experiundis venenis in theatrum productus; (facta spe nihil ab iis commotionis funestæ excitari posse in

in ventriculo ſatis ſuperque oleoſis pinguibus præmunitô, ſed à ſuper aſſumptis antidotis quicquid ad rebellioris mali eradicationem neceſſarium foret, abundè ſuffectum iri) eorum periculum in ſe ipsô fecit, atque ex eô convulſus, varièque vexatus per quatuor ſeptimanas orci veſtigia premens, neſcio quô fatô tandem ad vitam rediit, àc revera per concuſſiones à venenis oppoſitiſque largiùs antidotis ſuſcitatas, pro tempore liber à cephalæâ ſuâ evaſit, at tandem ab eâ de novô poſt aliquot annos recrudeſcente, brevi, nihil proficientibus auxiliis, è vivis ablatus eſt. Itaque in illo vis viſcidorum ac oleoſorum non ſatis oblinivit ventriculi parietes, quin aliquid indefenſum veneno patuerit, ubi lethiferam actionem ſuam exercuerit. Credo equidem apud alios, qui talia ſæpius experti ſunt, ventriculum per omnes ſui partes faciliùs poſſe defendi, ſicque eos minus lædi, quia ſcilicet præterquàm quòd eorum ſtomachus à reliquiis viſcoſorum priùs aſſumptorum continuò prope oblinitus, faciliùs à ſuper adjectis integrè defenditur, non abſonum etiam videtur addere, membranam interiorem viſceris in iiſdem minùs fieri ſenſibilem ac lacerabilem, velut equus calcari aſſuetus, non ita punctiones præ callô cuti inductô perſentit. Hocque novum non apparebit iis quibus de hiſtoriâ Mithridatis Regis Ponti, ac præcipuè illius Mulieris quæ Alexandro Magno fuit oblata conſtabit.

OBSERVATIO CCXXXIV.

Ex Mangeti Biblioth. Medico-Practic. Lib. 18.

De Fungorum Veneno.

MUlier honeſta, bonis parentibus nata, Annorum XXXI. eſu frequenti *fungorum* delectabatur; cùm elapſô menſe poſtquam *fungorum* non exiguam quantitatem comediſſet, paucis tranſactis horis, dolore, tormineque magno ventris, nec non cardialgia, cum ſudore frigido, ac convulſione correpta fuit, imò totum corpus flavedine conſperſum videbatur; Me ſtatim vocant

Domeſtici & *fungos* manducatos, tanquam hujus affectionis cauſam, accuſant, Ego ſtatim vomitorium medicamentum exhibeo, à quo non exiguam quantitatem materiæ corruptæ, ac fœtidæ evomuit; mox per alvum nigra quædam, veluti piceam materiam excrevit, unà cum urina aquoſa, ac omninò cruda; inde *Theriacam* ad pondus ʒ i. cum vino albo generoſo propinavit, atque ſtomachi, & cordis regionem *oleo noſtro contra peſtem ac venena* inungi juſſi; ſic tota nocte dormivit; mane expergefacta aſſumpſit uncias quinque *Vini Malvatici*, cum ʒ i. *pulveris ſalis Abſinthii*; ſicque Divino favente Numine ſana evaſit.

OBSERVATIO CCXXXV.

Ex Mangeti Biblioth. Medico-Practic. Lib. 18.

De Laudano opiato ad pondus ʒ. v. *ſine noxa aſſumpto.*

DE Antimonii vitro ad pondus triginta granorum ſumpto ſine noxa narrat obſervationem *Clariſſ. Dom. Johan. Schenckius obſervat. medic. lib.* 7. & Ego obſervavi quendam Militem ſine ullo prorſus nocumento aſſumentem *laudanum opiatum* ad pondus ʒ. v. & de Ruſtico quodam recordor qui cinerem, arenam, lapillos, cretam, gypſum, nitrum, & calcem, abſque noxa vorabat, etiam pluries in die ob lucrum paucæ pecuniæ, ex quo exclamandum cum Poëta

...... *quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames ....

De *opio* autem inoffensè ſumpto videatur Sextus Empiricus, Mercurialis de Veneno, Wierus, Garzias ab Horto, Monardes, Heurnius, Schenckius, & alii plures tum Antiqui, tum Recentes ſcriptores.

OBSER-

OBSERVATIO CCXXXVI.

Ex Mangeti Biblioth. Medico-Practic. Lib. 18.

Vini & Veneris nimium usum venenatum esse probatur exemplis.

V*Ini*, ac *Veneris* nimium usum semper fuisse nocivum agnovit quoque antiquitùs Poëta dum cecinit in Epigram.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore
Uno namque modo, vina venusque nocent.
Ut Venus enervat Vires, sic copia Bacchi
Debilitat gressus, debilitatque pedes.

Attamen, licet immodicus *vini, venerisque* usus auferre valeat salutẽ ab hominibus, nonnulli, qui, non ut vivant, nati sunt, sed ut bibant, & coeant; tam bibaces sunt, ac salaces, ut nihil nisi *vini* Dolia, nil nisi meretrices in mente, in corde, ac præ manibus habeant; hinc cùm Vir xxxix. añorum, temperiei calidæ ac humidæ; vini magnam quantitatemdie, prima Augusti hujus Anni 1695. ingurgitasset, ut inde ebrietatemaxima fuerit correptus, circa vesperam Apoplecticus mortuus est; Aliumque mercatorem alioquin sanum cœcum factum vidi ab immodico *vini* usu, & à frequenti Bacchi delitia; immò Sacerdos mihi asseveravit se Mantuæ olim vidisse Adolescentem Annorum xv. maniacum factum ex immoderato *vini* usu, à qua mania nunquam usque ad mortem liberatus fuit; Circà Venerem verò, Juvenis adest hìc Ferrariæ Annorum ætatis xxvi. biliosæ temperiei, qui Paralyticus factus est à nimia *Venere*, & de alio Juvene. xxviii. Annorum, è nobili stirpe orto recordor, qui sæpè in Clinopali se exercebat, & in *Veneris* castris strenuus miles factus erat, ast in coïtus actu epilepticus factus est, cujus morbi insultus quavis hebdomada invadebat, ac spatio duarum horarum perdurabat, son-

ticus iste affectus menses vidit, & annos, donec Juvenis in trigesimo constitutus ætatis suæ anno, ipsa magis, magisque insæviente epilepsia mortuus est; alios edocens *Venerem* Libitinam dici, ac natalium non solùm sed & mortis quoque Presidem esse, de quo videatur *Tiraquellus in leg. connubial. Plutarchus in Numa*; & meus Tractatus de balsamatione cadaver. cap. 5.

OBSERVATIO CCXXXVII.

Ex Mangeti Biblioth. Medico-Practic. Lib. 18.

De morte à Gypso sumpto.

Gypsum esse venenatam materiam, & multos occidisse narrant *Plinius*, & *Sabellicus lib. 4. Ennead. 9.* Ego Anno 1691. duos Adolescentes observavi, quibus cum polenta exhibitum fuit *gypsum*; supervenit statim Tussis, ariditas linguæ, ac singultus, cum febri, ac delirio, & syncope. *Theriaca* fuit à Doméfticis exhibita, & ʒ i. *pulveris stercoris muris*, quod esse antidotum proprium *gypsi* docet *Sennertus*; verùm die quarta ab assumptione *gypsi* minor adolescens mortuus est; majorque sanus evasit, solummodò tremore ferè de continuo affectus.

OBSERVATIO CCXXXVIII.

Ex Mangeti Biblioth. Medico-Practic. Lib. 18.

De Vesparum ictu.

Remedium facile ad citò sanandos *Vesparum ictus* tradit *Clariss. D. Joh. Michaelis in Prax. Clinic. general. Append. de Venen. cap. 3.* nempe urinam propriam, quod sæpè in Rusticis expertus feliciter evenit; imò nuper Ancilla quædam delicatula deambulans in hortulô nostro *ictu vespæ* affecta, sola *urina* propria parti affectæ appositâ, nullôque aliô remediô à dolore illicò liberata est, & ab ictu,

Ami-

Amicumque habeo, qui mihi juftè fatetur, fe pluries expertum effe, contra *ictus Vefparum* maximè facere *falivam* hominis jejuni.

OBSERVATIO CCXXXIX.

Ex Mangeti Biblioth. Medico-Practic. Lib. 18.

De Morte ex Aqua forti.

ASfervabat domi fuæ quidam Mercator vas vitreum, in quo non exigua quantitas *aquæ fortis* erat confervata ad ufum feparationis metallorum, cùm Puella Annorum fex fiti capta, eam bibit, indeque diris cruciatibus fpatio quatuor horarum periit.

OBSERVATIO CCXL.

Ex Mangeti Biblioth. Medico-Practic. Lib. 18.

De Citri ac Limonum fucco optimo remedio contra Venenum Aquetta dictum.

MUlti affumpferunt fequentem liquorem *Aquetam* vulgo à multis dictam;

♃. *Pulveris Arfenici*, *Stibii crudi*, *herbæ hyofciami*, *fermenti*, *ana*, *partes æqu.* Ebulliant omnia in aqua communi donec tertia pars confumpta fit, inde coletur, & ferva; hæc aqua epota mortem afferret, nifi celeriter opem portaret *fuccus Citri*, *vel Limoniorum*; fic enim multi, quibus data fuit dicta aqua fanati funt & necem fugerunt.

OBSERVATIO CCXLI.

Ex Mangeti Bibliothec. Medico-Practic. Lib. 18.

De facili Curatione Vulnerum simplicium.

MOdum facilem curandi simplicia vulnera hîc apponere mihi liceat, ad Medicinæ Tyrones erudiendos, qui sequens est à Me pluries feliciter expertus. Vulnera igitur manè & vesperi vinô albô generosô priùs mundifico, postea *oleum hypericonis* vulneri appono, & sic hoc facili remedio simplicia vulnera citò certaque methodo sana reddo. Et elapsis diebus vulnus simplex sanatum vidi sola inspersione pulveris tabaci.

OBSERVATIO CCXLII.

Ex Mangeti Bibliothec. Medico-Practic. Lib. 18.

Remedia Varia experta ad vulnera simplicia sananda.

PRimò; Solum *vinum* calidè appositum pluries expertus fui multæ esse efficaciæ ad vulnera simplicia curanda. Secundò, *Pulvere tabaci* insperso militem vulnera sanare retulit expertus; Tertiò, *Aquam vitæ*, *oleum Hypericonis*, *oleum vitelli ovorum*, *oleum Terebinthinæ*, & *oleum Abietinum* multæ esse efficaciæ ad vulnera consolidanda probavi sæpè in Praxi Medica facienda; imò *aquam communem* non solùm sanguinem sistere, sed etiam vulnera simplicia quoque consolidare experientia me docuit; Quartò, sequenti unguento feliciter multi utuntur Chirurgi; nempe

℞. *Terebinthinæ lotæ in aqua salviæ*, ℥. ß. *Mellis rosati simplicis*, ʒ. iij. *Farinæ hordei*, ʒ. ij. *Aloës succotrinæ*, ʒ. iij. *Pulveris sanguinis draconis in lachryma*, ʒ j. *M. f. Unguentum S. A.*; Quintò *Balsamum sulphuris* ad vulnera sananda commendant multi sic edocti à *Mart. Rulando*; hocque probavit miles, & sanatus est. Sextò, *Pulverem vitrioli*

vitrioli romani rubificati non tantùm hæmorrhagias ſiſtere, ſed etiam vulnera conſolidare, expertus nuper fui in Adoleſcente, ab alio in brachio dextro vulnerato. Septimò, *Herbam millefolium* dictam contuſam cum vino generoſo appoſitam brevi curaſſe vulnus, Chirurgus Amicus meus fide dignus mihi retulit; quod etiam in Ruſtico Ego feliciter expertus nuper fui.

OBSERVATIO CCXLIII.

Ex Mangeti Bibliothec. Medico-Practic. Lib. 18.

De remedio ad Vulnera: ad Dominum Doctorem J. Jac. Mangetum Amicum Colendiſſimum.

PRimos duos tomos Bibliothecæ tuæ Practicæ diligentiſſimè collectæ, ac utiliſſimè publici juris factæ, rite accepi; & quia ab humaniſſimis tuis mihi ſcriptis, intellexi nunc quartum tomum ſub typo exiſtere, antequam ad umbilicum perducatur egregium tale opus; mihi liceat tibi tranſmittere ſequentem formulam Balſami, qui intrà horas xxiv. omnia ſimplicia vulnera ſanat.

℞. *Olei Veteris olivarum*, ℥. iij. *Terebinthinæ Venetæ*, ℥. v. *Florum Hyperici*, ℥. j ß. *Thuris electi*, ℥. j. *Sanguinis draconis in lachrym.* ʒ. iij. *Olei Abietini*, ℥. j. *Florum Nicotianæ*, *pug.* ij. *M.* omnia hæc ſimul, ſuperinfundendo tantum *Vini Malvatici*, ut omnia ſubmergantur; & ſtent per triduum in infuſione; poſtea coquantur ad vini conſumptionem, inde forti facta S. A. expreſſione, reponatur Balſamus in Vaſe ad uſum.

Ad faciliter incarnanda Vulnera, & Ulcera.

℞. *Pulveris Maſticis*, *Myrrhæ*, *Thuris*, *ana*, ℈. j. *Olei Terebinthinæ*, *Ceræ*, *ex vitellis ovorum ana*, ℈. ij. *Unguenti de Betonica*, ℥. iij. *Spiritus Vini optimi*, ℥. j. M. F. S. A. Unguentum.

OBSERVATIO CCXLIV.

Ex Mangeti Bibliothec. Medico-Pratic. Lib. 18.

De Observatione circa vulnera capitis.

OBservandum fuit, inquit *Clariss. Dn. Joh. Jacob. Waldschmidtius in notis ad Barbettæ Chirurg.*, omnes in capite graviter vulneratos, si lumen, vel candelam ferre non potuerunt, fuisse mortuos; quod idem Ego pluries expertus fui, imò hoc tanquam signo lethalitatis ipsius vulneris nunc utor.

OBSERVATIO CCXLV.

Ex Mangeti Bibliothec. Medico-Practic. Lib. 18.

De fractura cranii, cute illæsa manente.

DE casu ex alto, cum fractura cranii sine læsione cutis externæ observationem me legisse recordor apud *Joh. Helvvigium observat.* 19. cui observationi eruditum,atque optimum additamentum addidit Illustrissimus Vir omni eruditionum genere instructus Patronus meus in æternum colendus *Dn. Lucas Schrœckius* nunc Academiæ Leopoldinæ nostræ dignissimus Præses; hîc Ego Mense Februarii hujus Anni *1695*. Adolescentem vidi ligno in capite percussum sine vulnere; pauca tamen apparente contusione; qui post tres dies à percussione in sævum capitis dolorem; ac febrem incidit; Aperta cute à Chirurgo fractum cranium apparuit, à qua fractura die septima mortuus est; similes autem observationes de cranio fracto, cute illæsa manente, mentionem faciunt, præter citatum *Helvvigium*, *Forestus*, *Greg.Horstius*, *Fabritius Hildanus*, *Joh. Schenckius*, & alii &c.

OBSER-

OBSERVATIO CCXLVI.

Ex Mangeti Bibliothec. Medicò-Practic. Lib. 18.

De Vulnere sola aqua simplici curato.

A*Quam simplicem* sistere sanguinem colligitur ex libro *Domini Josephi Cignoci* Chirurgi Celeberrimi Florentini Domini mei semper colendi *comment. ad lib. Hippocrat. de Ulceribus pag. mihi* 21.; ex *observ.* 136. *Miscell. A. N. C. Decur.* 2. *Ann.* 10; ex *Joseph. Zambeccaro in experimentis*; ex *Dn. Caspar. Bartholino Th. Fil. in exercitat. Miscellaneis*, & ex *Diariis Eruditor. Romæ Ann.* 1670. Verùm non solum cruorem sistere, sed etiam vulnera sanare posse aquam simplicem docet *Philip. Palatius Med. Doct.* in libro suo *de Vero Methodo quibuscunque vulneribus medendi cum aqua simplici*; quod quidem nuper in quodam milite expertum feliciter vidi; vulneratus enim hic miles fuit in brachio sinistro, & *solâ aquâ* appositâ bis in die sanatus sine alio remedio est; diligenter enim vulnere deterso linteolum *aqua* madefactum apponebat, inde fasciâ ligabat; & hac arte curatio vulneris facta fuit, hinc de Famula mea recordor in dextra manu vulnerata quæ vulnus suum brevi curavit *aquam simplicem* adhibendo.

OBSERVATIO CCXLVII.

Ex Mangeti Bibliothec. Medico-Practic. Lib. 18.

De Vulnere in thorace, pure per urinam emisso, curato.

DOminus N. N. Annorum ætatis XLIV. boni corporis habitûs vulneratus est in singulari certamine in parte sinistræ thoracis inter quartam, ac quintam costam; Vulnere judicato penetrante, ac lethali, ob maximam sanguinis effusionem, tussim molestam, ac febres maximas supervenientes, Chirurgus bis in die vulnus detergebat, ac ipsi medebatur ordinaria lege artis Pæoniæ, hinc undecima die non exiguam sanguinis corrupti copiam cum urina excrevit, & ità pariter quotidie usque ad XIX. diem, minuendo semper tamen de die in diem materiam purulentam; febres cessavere, tussis, & reliqua symptomata: sicque æger spatio XXVII. dierum perfectè sanus evasit; hinc de alio Milite recordor in Pectore vulnerato ab alio Milite, qui puris materiam per urinæ vias transmisit, & brevi convaluit; pariterque Pleuritide affectum vidi, sanguinem, ac pus cum urinario sero secernentem intrà XIV. dies sanum, ex quo patet vias aliquas esse, nobis adhuc ignotas, per quas Natura modò lapillos, modò pus, modò sanguinem ad vesicam, à pectore, à Ventriculo, & aliis Visceribus, demittat; quas vias incognitas nobis, futura ætas videbit, ac fortunati nepotes aperient; multa enim, ut cum *Seneca* loquar, adhuc in humano corpore restant detegenda, semperque restabunt; de hac autem re satis.

OBSER-

OBSERVATIO CCXLVIII.

Ex Mangeti Bibliothec. Medico-Practic. Lib. 18.

Epilepsia capitis vulnere curata.

DE Phalereo deplorato ob vomicæ morbum narrat *Plinius lib.* 7. *cap.* 50. & post eum *Nicol. Caussinus in Polyhistor. Symbolic. lib.* 3. qui cùm mortem in acie quæreret ab inimicis, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoste; Sic enim ab inimicis sæpè quam non speramus utilitatem capimus, undè egregiè *Cassiodorus lib.* 4. *Variar. num.* 47. ait, homines lædere cupientes, beneficia frequenter impertire; Hinc juvenem nosco comitiali morbo laborantem, ad cujus curationem multa fuere, sed frustrà tentata remedia, qui à milite fuit vulneratus in capite, cum cranii fractura insigni, adeò ut proximus fuerit Morti; Ast diligentis Chirurgi ope Divina favente Clementia post duos menses sanus evasit, & quod notabile fuit, nec tempore curationis vulneris, nec post curationem unquam neque minimam epilepsiam passus est, nunc sanus etiam vivit; Circa hanc rem quoque, me legisse recordor apud *Thom. Burnetum in Thesaur. Medic. Practic. lib.* 5. de quodam nobili, qui post gravem de scalis lapsum, ob quem necesse fuit terebram cranio admovere, à comitiali morbo sanus evasit, ac nunquam ex eo malum percepit; & de Puella refert *Laz. Riverius*, quæ mediante pleuritide ab epilepsia liberata fuit.



DISSERTATIO

DE VITA ET MORTE

AD

Dn. D. LUCAM SCHROECKIUM.

Medicum Augustanum, & Leopoldinæ Imperialis

Academiæ dignissimum Præsidem.

Inserta Miscellaneis Naturæ Curiosorum. Decur. III. Ann. IX. & X. in Appendice pag. 113.

INgens ausum est meum, temeritatique affine, quod hanc Dissertationem de Vita, & Morte sub tuum conspectum venire sinam, Protecturam non habituram, quin potius sustinuerit judicem:

Quo nil exactius, eruditiusque,
Sed nec candidius, benigniusque;

Quamobrem ad hoc tua me coëgit humanitas, incitavit virtuti adjuncta nobilitas, & stimulavit inseparabilis à comitate Prudentia:

Tu castus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix.

Cla-

Clarissimi Patris tui virtutes laudabili æmulatione imitaris, & quod de Hercule dictum, aureas ex animo catenas emittis, quibus non aures modò sed hominum tibi mentes adnectis; Plura me loqui gestientem pudor exterret, ne quid peccem in hujusce flammæ innocentiam; sub auspicis igitur nominis tui, hanc Dissertatiunculam emitto, orans, ut animum obsequentem serena fronte admittas, & faveas; Hinc felix Hygieia te ad Nestoreos annos incolumem servet, dum Ego usque ad vitæ terminum permanebo: Tuæ Ill.^{mæ} Dominationis.

Addictissimus Famulus
Josephus Lanzonus, Med. Doct.

DISSERTATIO
DE VITA ET MORTE.

INgentis speciei Deam tibi, humanissimo Lectori, offero undique perlustrandam, Amorum scilicet matrem, Venerem ipsam; At cur obstrepis? quid hîc exponere Dearum salacissimam, ubi de Vita, & Morte disceptandum? Forsitan sepulchrales næniæ commune aliquid habent cum nuptialibus tympanis? Ita sanè, Veterum enim exquisitissima ingenia Venerem non solùm natalium Præsidem coluêre, verùm etiam Mortis; siquidem in æde Libitinæ quæ ad vitam pertinent vendere consueverunt, Libitinam non aliud, quam Venerem esse putantes; hoc autem argumento humanæ fragilitatis, ait *Rhodiginus*, unumquemque admonebant, quod una, eademque Dea principium, & finem Vitæ in potestate habeat, utque ingredientibus Vitam, vel decedentibus præsideat; sic unusquisque Vitæ dies, & potest esse supremus; alius namque inter materni uteri latebras, & inter fingentis adhuc naturæ manus intercidit; alius in ipso statim ævi flore, vix dum percepto vitæ sensu, perit, alius dum nascitur, alius dum vagit in cunis abripitur; imò ex tot hominum millibus, quam paucis datum est ad senectæ limen, quemadmo-

dum cecinit *Homerus*, pertingere. Adeamus igitur cum tali prodromo propositam de Vita & Morte Dissertationem, ut de eo saltem gloriari possimus, Nos hodie, si thesim Medico-Physicam attingere nequivimus, pro viribus talem moralem hypothesim detexisse. Ast accedendo ad institutum, statim ab initio magni Romanæ eloquentiæ Parentis occurrit assertum; Vitam nempè quâ fruimur, à Deo nobis ari, atque impertiri, quibus autem eadem innitatur fundamentis, quoque corruat modo, apud Medicos non ità constat, ut nulla se prodat dubitatio; examinare igitur conabimur primo loco, quid reverà importet Vita; secundo, cur ut plurimum certum tempus non transeat; postremò denique in quo Mors consistat; & ut primam propositæ orationis partem aggrediar enucleandam, oportet supponere de Vita tantùm me loqui, non prout ab anima rationali principium successivasque operationes sumit, verùm in quantum, anima rationalis principium successivasque operationes sumit, verùm in quantum, anima rationali non considerata, animal quodcunque vivit; Quapropter Peripatetici Philosophi quos Medici Galenistæ secuti sunt, Vitam nil aliud esse docuerunt, prӕterquam mansionem vitalis caloris in humido, quòd vocant radicale, ac tamdiu vitam conservari, quousque humido consumpto calor ipse exstinguatur; Rem exemplo illustrare conantur, flammula nimirum in candela, in qua observatur, quod ad ejus lumen conservandum duo requirantur, nempe calor seu ignis, & pabulum, ut cera, vel oleum, quod ipsi igni alimenta ministret: sic aiunt in animalis corpore nativus calor existit, qui continuò vescitur humido quodam, quo corpus ipsum abundat, & quemadmodum quoties oleum debitam proportionem excedit, toties ignem ipsum lucernæ obruit, & quoties maximus ignis pauciori copiæ olei conjungitur, ac breviter absumpta pariter evanescit, ità nimium excedente vel radicali humido, vel calore nativo, animalis vita labitur; Ut autem verum fateamur, hujusmodi ratiocinium præter adductum exemplum de flamma nihil continere videtur rei tam certæ, aut saltem tam verosimilis, ut vestrum, *O Academici Curiosi*, mereatur assensum; Intellectus enim concipit quidem, ignem conservari propter pabulum, ignem deficere propter pabuli immodicam copiam; Difficultas autem est, ni fallor, hujusmodi operatio-

tiones conficere, in animalis corpore, ubi nec flammam existere, nec pabulum ministrari eadem ratione, qua fit exteriùs, constat; Quare hujusmodi metaphoram vulgaribus hominibus traditam credamus oportet, Philosophis verò res ab ovo, ut dici solet, inquirentibus, intimiùs rem emedullare convenit; negotium enim præ manibus habemus, quod non fictis verborum machinamentis est pertractandum, sed majori, quo fieri potest, candore, & certitudine.

Clariùs forsan philosophantur, qui Vitam consistere docent in quadam partium proportione, & harmonia, nempè quod tamdiù vivere dicatur Animal; quamdiù ejus partes ità sibi mutuò cohærent, atque respondent, ut fungi possint muneribus illis, quæ maximè vitam constituunt: nempè quandiù exercere possint motiones omnes, quæ sunt omninò necessariæ, ad hoc, ut anima valeat suas edere operationes, quod idem prorsùs est asserere vitam nihil aliud esse, quam rectam partium organizationem; Et quamvis hujusmodi organizatio, & partium harmonia, conditio tantùm prævia, & dispositio vulgò dicatur, ut anima corpus ipsum ingrediatur; hoc profectò de Brutis minimè, ni fallor, sentiendum, cùm eo instanti vivere incipiant, quò primò conformantur; & quidem anima non de novo producta, sed solummodò ex recta fluidorum cum spiritibus, & utrorumque cum solidis partibus harmonia, resultante, cum quibus motus omnes, quos vitales appellamus, producunt; & hoc quidem maximè probabilitate non caret, cùm experiamur mechanico artificio fieri posse volatilia, quæ materiales alas habentia huc, & illuc agitari possunt: Porrò si quis nunquam hujusmodi machinam vidisset, statim cùm viderit illam, huc illuc instar veri Animalis moveri, procul dubio, pronuntiabit verum esse Animal, nimirum quia potissimum Animalis argumentum est motus; Neque objiciant maximum esse discrimen inter verum, & fictum Animal, ut potè quod præter apparentem motum nihil ulterius possidet, quod valeat vitam testari, ac proindè longa diversaque ratione constitui vitam in Animalibus; quam partium varia contextura; Huic enim difficultati facilè occurrunt, explicantes miram naturæ solertiam, quam Ars non nisi rudi quodam studio valet imitari. Quare licet diligentissimus fingatur Tarentinus Architas, hic tamen præter volatum, non potuit aliud Columbis à se constructis impertiri, nec proinde dicendum

dum est naturam diversis ab Arte instrumentis in suis fœtubus parandis, procedere; Concludendum itaque reor Animal automa quoddam esse, cujus Vita in partium id componentium proportione, ac harmonia consistit, & in tantùm ab illis, quibus ad mensurandum tempus nos utimur, diversificari, in quantum hoc à natura, illa ab hoc, artificialem constructionem recognoscunt; illa motu destituta hoc mediante redeunt in motum, qui eorum vita dicendus, hoc verò nequaquam, quia nimirum nequit Ars singula assequi, atque invicem combinare instrumenta, quæ illam constituunt, ut superius dictum fuit: Nonne enim artificialia horologia sola mediante gravitate, motus omnes quibus indigent, exercent? & quonam alio medio nostrum hoc naturale utitur, nisi illo? An non propter sanguinis impulsum, qui pressionem, & pondus importat, in animantibus secretiones fiunt, nutritiones peraguntur, & calor conservatur? An non propter fermentationes in musculorum fibrillis excitatas motus omnes excitantur, cùm tamen fermentatio nil aliud sit, quam quædam elatio, per quam dum majus spatium desideratur, fibrillæ distenduntur, motusque celebratur. His positis, & pro viribus delibatis magna superest difficultas, quomodo scilicet voluntarios motus, hac data hypothesi, exerceamus; cui difficultati, ut satisfacere possimus, operæ pretium est animadvertere, quod quamquam hi motus sensibus nostris percipiantur voluntarii, attamen illa ratione, qua exteriùs in horologiis quadam rota tacta immediatè incogitatus motus celebratur, eodem prorsus modo in Animalis corpore ii motus, qui voluntarii appellantur, peraguntur; scilicet, si quis citò extenderit manum in nostros oculos, tanquam nos verberaturus, quamvis sciamus, eum nobis Amicum, & non nisi joco id facere, vix tamen possumus nos cohibere ab illis claudendis, quod ostendit eos non claudi spontanea quadam opera, cùm id fiat contra voluntatem nostram, quæ sola, aut saltem præcipua illius est actio, sed quod machina nostri corporis, ita sit composita, ut motus illius manus in oculos nostros excitet alium motum in nostro Cerebro, qui deducit spiritus animales in eos musculos qui palpebras deprimunt; nam nedum reor in ipso Cerebro separari, & cribrari succum nerveum, & animales spiritus, verùm & copia aliqua retineri posse, ut ad cer-

certos usus adhiberi valeant: Concipere item possumus ex diversis, vel per externos sensus, vel per phantasiam, & memoriam tactionibus, in nervorum aliquorum capitibus, seu infundibulis, talem dilationem fieri posse, ut spiritus animales, qui priùs per eorumdem spatiola descendere ab angustia prohibebantur, mox qua data porta feliciter & ubertim excurrant. His ita stantibus, quis non videt quanta facilitate mechanicè motuum omnium harmonia peragi possit? nam exempli gratia, cùm quis sapidum edulium videt, ex hac visione fibrillæ quædam Cerebri leviter, & cum delectatione tanguntur, ex quo facili negotio consentientes (quemadmodum in horologiis rotæ cum rotis) aliæ fibrillæ, quæ aliàs hujusmodi tactionem cum delectatione expertæ sunt, & in quibus præteritarum quasi sulci impressi fuêre, disponunt Animal ad porrigendas manus, ad aperiendum os, ad deglutiendum, quia successivè semper præteritæ delectationis refricatur memoria, & vi præsentis cogitur animal ad continuationem; Unde eleganter non minus, quam doctè *Lucretius* cecinit, voluntarios corporis motus exemplo navis à vento commotæ patefaciens:

Et facile est factu, quoniam conjuncta tenetur
Inde ea proportio, corp s ferit, atque ita tota
Paulatim moles protruditur, atque movetur;
Præterea tum recessit quoque corpus, & aër
Scilicet ut debet, qui semper mobilis extat
Per patefacta venit penetratque foramina largus,
Et dispergitur ad partes ita quasque minutas
Corporis; hinc igitur rebus sit utrinque duabus
Corpus ut, ac navis velis, ventoque feratur,
Nec tamen illud in his rebus mirabile constat
Tantula, quod tantum corpus, corpuscula possunt
Contorquere, & onus totum convertere nostrum:

Quippe etenim ventus subtili corpore tenuis
Trudit agens magnam, magno molimine navim,
Et manus una regit quantovis impetu euntem,
Atque Gubernaclum contorquet quolibet unum
Multaque per trochleas, & tympana pondere magno
Commovet, atque levi sustollit machina nisu.

Sufficienter ergo probatam opinor primam hujus orationis partem, quo supposito devenire opus erit ad secundam, cur scilicet cujuscunque animalis vitæ præfixus propriæ speciei terminus nunquam pertransiri possit; quam tamen licet rem maximoperè difficilem agnoscam, conabor nihilominus breviori, quo potero, sermone extricare; Dico igitur quod cùm semen secundum omnes suas partes desierit se extendi, & ut meliori modo me explicem, cùm amplius non habeat corpora, quæ optent complexum aliarum sibi similium particularum, & sic Animal vegetationi terminum dederit, tunc omnia ad æquilibrium motus omnes gerentia consistentem vitæ statum, ætatem virilem à Medicis appellatam constituunt, quæ feliciter perdurat, imò infeliciter, dum timendum semper, ne cùm nequeant in eodem statu remanere, aut quiescere, in deterius ruant, quemadmodum de Valetudine dixit Hippocrates, & etiam juxta illud:

„ *Qui l'inopia, è l'affanno ogn'or si vede;*
„ *E con il cibo ancor la vita manca*
„ *E della morte rea crescon le prede,*

Ea enim corpora, quæ vel in motu sunt, vel alterius corporis motui resistunt, vel obsecundant, necesse est ut quotidie diminuantur, & minimarum molecularum jacturam insensibiliter experiantur; Audiamus quæso Philosophum Poëtam supradictum sua Musa canentem:

Quin etiam multis solis redeuntibus annis

Annulus

Annulus in digito subtertenuatur habendo;
Stillicidi casus lapidem cavat; uncus aratri
Ferreus occultè decrescit vomer in arvis;
Strataque jam vulgi pedibus detrita viarum
Saxea conspicimus . . . .

Quod si igitur Lapides, & Metalla longo annorum cursu senescunt, & tabo conficiuntur, quanto magis Animalia, quæ non modo externis tum aëris, tum aliorum corporum motionibus sunt obnoxia; verùm etiam perpetuo opus est fluidorum; & spirituum omnium impetus, & detrimenta sustineant, quo fit ut solidæ partes, per quas fluida præterfluunt, alterentur, discontinuentur, atque figuram propriam tandem amittant; figuram dico, qua omnia peragunt, & à qua vitæ continuatio dependet; figuram dico, qua nimirum cutis cribrum, transpirationem tantoperè viventibus necessariam molitur, figuram nempe, qua viscera omnia impensu glandularum conglomeratarum, conglobatarum & vesiculatarum, nedum fluidorum cribrationibus, & permixtionibus consulunt, verùm etiam fermentorum energiam conservant; hac igitur alterata, necessariò læditur vitalis œconomia, senescente itaque animali necesse est ut tandem morti succumbat, quia nempe fluiditates vitæ protrahendæ necessariæ ab alteratis organis vitiantur, quæ ut plurimùm sensim de spiritu amittentes vappescunt, atque vel ad stagnandum in Cerebri concamerationibus evadunt obnoxiæ, undè Rheumaticæ affectiones, & aëris interceptiones, vel alibi lentis passibus advenientem Mortem celeriùs accersunt; Ratio autem cur nonnulla Animalia celeriùs, nonnulla tardiùs morti debitum persolvant, à duabus causis petenda est, nimirum à majori fluidorum subtilitate, ac energia, qua lentescentiæ resistunt, & à robustiori viscerum, aliarumque solidarum partium structura, qua mediante annorum tabo vegetius resistunt, nec tam de facili propriam figuram deperdunt, unde annorum series diuturnior evadit; sin autem è converso, nec fluiditates sint admo-

dum ſubtiles, & vegetæ ut ſtagnationi reſiſtere valeant, nec ſolidarum partium ſtructura ſit adeò firma, quæ tum externis, tum internis motionibus obſiſtere poſſit, neceſſe eſt, ut brevior Annorum curriculus animantis vitam metiatur, atque pallida Mors Animal invadat; Quare ut tandem diſſertationi huic noſtræ finem imponamus, per quam eruditè incomparabilis Philoſophus *Renatus de Cartes* ſcripſit: corpus hominis viventis differre tantùm à corpore hominis mortui, quantùm differt horologium, aut aliud automaton, (id eſt alia Machina, quæ ſponte movetur,) cùm rectè diſpoſitum eſt, & in ſe habet principium corporale motuum, quorum gratia elaboratum eſt cum omnibus, quæ ad ejus actionem requiſita ſunt, ab eodem horologio, vel alia machina, dum rumpitur, & principium motûs ipſius agere ceſſat; quod totum intelligendum, mortem, nil aliud eſſe, quam omnimodam motionum omnium privationem, nam cùm vita ex dictis, in ordinato quodam motu conſiſtat, mors è diametro vitæ oppoſita nihil aliud erit, quam quies. En igitur à primo ad ultimum pro viribus probatum vitam hominis eſſe admodum ſimilem horologio, cujus ſanè Mors in quiete pariter conſiſtit, quemadmodum Vita in motu.

FINIS.

INDEX.



INDEX MATERIARUM

Conʃ. Conſultationem; *Obʃ.* Obſervationem ſignificat.

I.

Infans

M.

O.

P.

R.

S.

FIN.

